





ACTA ERUDITORUM

ANNO

M DCCIII

publicata.

Cum S. Cæsareæ & Regiæ Polonicæ Majestatum privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes, THOM. FRITSCHIUM, & FRID. GROSCHUF.

Typis CHRISTIANI GOEZI.
A. MDCCIII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Januarii, *Anno MDCCIII.*

CORPUS HISTORIÆ GENEALOGICÆ ITALIÆ & HISPANIÆ, in quo Stirpium utriusque Regni primariarum Genealogia Exegesi Historica perpetua illustrata, ordine Alphabetico exhibentur, cum Insignium Iconibus & Indicibus necessariis. Recensente JACOBO WILHELMO IM-HOF.

Norimbergæ, sumtibus Johannis Hofmanni viduæ & Engelberti Streckii, 1702, fol.
Alphab. 4. plag. 5.

Quod Nobilissimus Im-Hof, illustre Norimbergæ suæ decus, pollicitus est, cum ante hunc annum edere cœpisset vasti operis, Hispaniæ Italiæque præcipuarum Familiarum Genealogias complexuri, sub titulo *Stemmatis Desideriani*, Prodromum; se quippe certis temporum intervallis particulas istius, separatis voluminibus, cum orbe erudito communicaturum: hujus promissi exsequendi jam quidem feliciter facit initia præsenti libro, qui XX omnino in se continet familias, videlicet I. Stirpem Regiam Arragonicam. II. Atestinam, ex qua Duces Mutinenses. III. Aquinensem. IV. Aquavivianam. V. Acunianam. VI. Archinteam. VII. Avalensem. VIII. Barbianam. IX. Barberinam. X. Benavidensem. XI. Boncompagnanam. XII. Borromeanam. XIII. Burgesinam. XIV. Cajetanam. XV. Cantelmensem. XVI. Capuensem. XVII. Caracciolensem. XVIII. Caraffensem. XIX. Cerdanam, & XX. Chisianam. Quæ, utpote stirpes, in quamplurimos ramos seu lineas gentem suam quælibet diffuderunt, tabulis Genealogicis XCVI admirabili cum in-

dustria comprehensos. Appellationes vero familiarum diversarum in Indice, cui gens Marchionum *Zondedari* adhuc inserenda erit ex pagina 381, repræsentantur, ibique inquirendæ sunt. Equidem restabant familiæ *Cybonia*, *Columnensis*, *Cordubensis*, & *Cuevana*; has autem secuturo volumini reservari oportuit. Grato tamen insimul animo fatetur, quorum opera maxime profecerit, Nobilissimus Auctor, laudatque ideo in Præfatione præsertim celeberrimi nominis viros, *Ant. Magliabecbium*, *Andream Josephum Baronem de Gittio Neapolitanum*, *Gerardum Ernestum de Franckenau*, nuper ex Hispania, ubi Secretarii Regii Danici munere functus est, reducem, moxque luci publicæ typis Amstelodamensibus exhibiturum *Historiam Legum Hispaniæ*, seu *Bibliothecam* ejus *Juridicam*, & post eam *Insignia omnium Hispaniæ Nobilium Magnatumque*, peculiari opere collecta; ac denique fol. 282. *Carmineum Nicolaum Caraccioli*, *Principem de S. Bono*, Neapolitanum, a quo de gente ipsius insignem commentarium, ab ipsomet erudite conscriptum, acceperit.

Addi vero his etiam jure suo debet Illustrissimus Princeps de *Castiglione*, *Thomas de Aquino*, qui Nobilissimo *Im-Hofio*, quod nostrum unus ex litteris ejus hausit, non Genealogicam modo arborem stirpis Aquinensis in ære affabre expressam, sed commentationem quoque historicam, qua ista illustratur, & ex qua pleraque, quæ in Exegesi historica familiæ illius exstant, relata sunt, manu elegantissima scriptam, transmisit.

Nos interim servabimus pristinum morem nostrum, & cum ipsæ tabulæ Genealogicæ earundemque exegesis, a curiosis hujus studii, quod per se sicut ad perdiscendas historias proficuum, ita & amœnissimum non esse non potest, penitius velint introspici; quædam ex singularum fere expositione Historica decerpemus, quæ & jucunda lectu fore & digna notatu visa sunt. Fol. 24. de Jacobo I Arragoniæ Rege hæc referuntur verbis Bernardi Gomesii: ut ipso purificationis festo die, pridie cujus in lucem editus fuerat, Christo nomen daret puer, dubitante Regina, cuinam ex Apostolis Domini illius nomen imponendum commendaret, duodecim candelas cereas, æqualis ponderis atque magnitudinis, ex voto offerri Apostolis curavit, unicuique illarum propri-

proprium cujusque Apostoli nomen adscribens, ut quibus simul succensis candela, quæ diutius præluceret, designatum huic Apostoli nomen puero imponeretur; unde aliis omnibus consumtis ac extinctis, prælucente Jacobea dicta, protinus in templum remeatum est, atque Jacobi nomen puero tanquam a Deo impositum, ut scilicet Apostoli Hispaniarum Patroni nomine potiretur puer, qui Hispaniense imperium atque Christi nomen tam longe lateque erat propagaturus. F. 25 memorabile est duellum, quo Petrus III Arragoniæ Valentiæque & Siciliæ Rex, cum Carolo Andino, Neapolitani Siculique regni usurpatore, ipsis Kal. Junii A. 1283 ad urbem Vasconiæ Burdegalam voluit decertare. Fol. 28. Petro IV Arragonum Regi ideo cognomen *Cærimoniosi* inditum fuisse commemoratur, quod in cærimoniis regiæ dignitatis servandis diligens admodum fuerit & curiosus. Lepidum autem inprimis est, quod fol. 30 ex Laurentii Vallæ L. III de rebus a Ferdinando Arrag. Rege gestis, de Petro, Urgelli Comite & nepote Alphonsi IV Aragon. Regis, narratur, quod is habuerit scrinia aureis argenteisque, pro regionum diversitate, numismatis referta & malleo cuneata, idque non avaritiæ modo, sed lusus & contumeliæ gratia. Hospites enim, qui permulti ad eum familiariter divertebant, sciscitabatur, cujusnam generis pecunia indigerent; respondentes, ejus generis, ut in quam quisque provinciam iter haberet, adducebat ad scrinia, & quantum vellent, capere jubebat, frustraque conantes capere deridebat, & hos sibi de amicis jocos comparabat, novo genere dissimulandæ avaritiæ jactandarumque opum. F. 50 affirmatur, solos, ex omnibus Italiæ Principibus, Duces familiæ Estensis, longissima ac perpetua stirpis serie, incolumem dignitatis titulum, huncque auctum, cum ex Marchionibus Duces facti sint, ad hanc usque ætatem protulisse; itemque f. 57, a Nicolao II Estense & Ferrariæ Marchione, Academiam Ferrariæ A. 1392 institutam dotatamque, primosque in ea Doctores, Bartholomæum Salicetum Bononiensem, & Giglivolum Cremonensem fuisse. Memorabile est fol. 65 de familia Aquinensi, quod illa insignibus suis hæc verba circumscripserit: *Bene scripsisti de me Thoma.* Quæ inde suam originem habent fol. 83, quod Thomæ de Aquino Theologia confirmata fuerit, sic referente Bzovio in Annal. ad annum 1270 Sect. 15, per istam a Crucifixi imagine editam vocem: *Bene*

de me scripsisti Thoma : quam ergo recipies pro tanto labore mercedem ? F. 86 legere est, quod Ferdinandus Rex Neapol. A. 1463 instituerit Ordinem equestrem Herminium, ab emblemate Pontici muris, quem *Hermine*, Germanice Hermelin / vocant, in quem qui adscripti erant, ex aureo torque gestabant imaginem ejusmodi muris, turpi cœno undique circumdati, cum subscriptione: *malo mori, quam fœdari.* F. 137 de Johanne, Ureniæ Comite, ex familia Acuniana, notandum venit, ipsum inter alia ædificia sacellum Ossunæ exstruxisse, in quo ipsius exuviæ post obitum reconderentur, vestibuloque ejus hæc inscribi curasse verba: *Si vivere pulcrum est, mori utile est.* Cæterum & inter Acunios, Tab. XI. enumeratos, fol. 139 Johannes Laurenciades Pombeiri Dynasta inclaruit infidelitate uxoris suæ, Leonoræ Menesiæ, quippe quæ, corporis sui copia Ferdinando Regi Portugalliæ facta, facile etiam se induci passa est, ut, deserto marito, cum adultero matrimonium contraheret; quam injuriam & contumeliam non ferens Johannes, in Castellam abiit, ubi ab Henrico Rege comiter exceptus, atque in ejus aula commorandi facultatem adeptus, in pileo suo *cornua aurata*, Lusitanicis insignibus distincta, plumarum loco gestavit, sicque per risum & jocum ignominiam suam contemsit. F. 160 lectu dignum est Epitaphium Johannis Jacobi Comitis Barbiani, strenui bellatoris, Italica lingua conscriptum, quod in æde Carmelitarum discalceatorum Leodii exstat in hunc modum: *L' ossa sono qui di Gio Giacobo Barbiano Conte di Belgiojoso e di Cunio, Sr. di Chiocchera, ed hebbe due mogli, la prima Maria Sensellé, la seconda Anna Pottiers: resse provincie, e governò esserciti, hora è puoca polve. Mori in Liege ali XVIII Octobr. l' anno di salute M D C X X V I.* F. 164, antequam Maphæus Barberini, post Gregorii XV mortem, ad Pontificatum Romanum eveheretur, paucisque adeo diebus ante electionem, apum, quibus in insignibus Barberini utuntur, multitudinem in Collegio Vaticano versus Tusciam convolasse, & examen supra fenestram, cellam Cardinalis Barbarini contingentem, parieti adhæsisse, observatum fuit. F. 165 traditur, in sepulcro Antonii junioris Cardinalis Barberini, R. E. Bibliothecarii, annoque 1671 fatis functi, exstare hæc verba: *Hic jacet Pulvis, Cinis & Nihil.* F. 185 & seq. Plumbinensis

sis Principatus (*Piombino*) historia enarratur, quibusque ille hactenus dominis paruerit. F. 204, cum Leone XI Pontifice Romano mortuo, Cardinales in medium consilia conferrent, aquila ex ædibus Altaempsianis volatu in sublime elata, postquam diu aerem pererrasset, tandem ad fortalitium molis Hadrianæ, draconi insculpto, & insignia Gregorii XIII referenti, insedit, atque ita ex se & subjecto dracone insignia gentis Borghesiæ repræsentavit, neque ita multo post Camillus Borghesius, Pontifex Romanus electus est, sub Pauli V. nomine, anno 1605. Fol. 218 & 219 multis differit Nobilissimus Auctor de Benedicto Cajetano, Pontif. R. inde ab anno 1294, sub nomine Bonifacii VIII, quo de notum est dicterium, *intrasse ut Vulpem, regnasse ut Leonem, & mortuum esse ut Canem*, interque alia refert, quod is non instituerit solum proficuum maxime Romanis morem celebrandi Jubilea, sed & Cæsares eisque addictos Vatiniano prosequutus sit odio, ejusque festivum dederit documentum, cum Borchetum Spinolam, Genuensem Archiepiscopum, Cæsaris partibus deditum, sibi primo Quadragesimæ die ad ædem sacram obviam factum, ut cinerem de Pontificis manu acciperet, carmine mutato ita affatus sit: *memento, quod Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reverteris*; inque ejus oculos, non in caput, uti mos est, cinerem conjecerit. Fol. 223 jucundum cognitu est de Camillo Cajetano Duce IV. Sermonetæ, qui, cum brevi corpore atque etiam gibber esset, sed magno animo & alto spiritu, istum corporis animique sui habitum eleganti expressit symbolo, pingens *arundinem rectam*, cum *foliis virentibus deorsum natura sua recurvatis*, adscripto lemmate: *Folia procumbunt*. Fol. 230 & seq. diplomate regio comprobatur, familiam Cantelmensem, ex qua genus suum deducit, qui adhucdum Ecclesiæ Neapolitanæ præest Archiepiscopus, Jacobus Cantelmi, originem suam ex Scotorum Regum prosapia trahere. Singulare etiam est Epitaphium Berardini Caraccioli f. 285, quod ita se habet: *Heic jacet corpus Venerab. in Christo Patris D. & Domini nostri Berardini Caraccioli Rubei de Neapoli, Dei gratia Archiepiscopi de Neapoli & utriusque Juris Doctoris, ac Medicinæ scientiæ periti. Qui obiit an. Dom. MCCLXII.* Fol. 289 legimus de Marino Caracciolo,

 post

poſtea Cardinale, quod is, cum Franciſcus Sfortia mortuus, & Mediolanenſis Ducatus ſub Cæſaris poteſtatem redactus eſſet, a Carolo V. Imp. urbi & provinciæ *Primi Præſidis* ſeu *Producis* dignatione præfectus fuerit, pariterque f. 339, 340 de Carolo Caraffa, Epiſcopo Averſano, & Cardinale, ſub Urbano VIII Pontifice, cujus exſtat inſignis commentarius *de Germania reſtaurata*, quod is, cum munere ſuo fungeretur in Epiſcopatu, ibidem ſepultus fuerit, his tumulo inſcriptis verbis: *Oſſa Caroli Carafa Maximi Peccatoris*. Neque minus allegari hoc meretur Gregorii Carafæ, Magni Ordinis Melitenſis Magiſtri, & anno 1690 fatis functi, Epitaphium, quod ipſe ſibi poſuit vivus, fol. 341.

FR. D. Gregorius Carafa e Principibus Roccellæ,
Magnus Hieroſolymitani Ordinis Magiſter,
Cui vivere vita peracta in votis erat,
quia mortem primam qui prævenit,
ſecundam evitat,
hoc ſibi adhuc vivens
non Mauſoleum, ſed tumulum poſuit,
reſurrecturo ſatis,
Anno Domini 1688, Magiſterii vero VIII.

Fol. 354 de Ludovico Duce de Mondragone & Stigliano exſtat, illum falcones eo aluiſſe numero, ut illis paſcendis quadraginta quotidie gallinæ requirerentur. F. 363 Johannes Petrus Carafa, antequam fieret Cardinalis, non humilem modo abſtinentemque ſe geſſit, ſed inſtituit etiam peculiarem Ordinem Monachorum, qui appellati ſunt *Theatini*. At enim, cum ex Marcelli II. morte in Pontificem R. eſſet evectus, ſub Pauli IV. nomine, interrogatusque, quanam ratione vivere ipſe vellet, *magnifice*, reſpondit, *& ut ſummum Principem decet*. F. 364 de Carolo Carafa Cardinale ex Thuani Libro XVII refertur, quod is, cum Legatus Pontificis ad Regem Galliæ miſſus Lutetiam ingrederetur, ſignumque crucis, ex more, ederet, verborum, quæ proferri conſueverunt, loco, (ut erat ſecuro de Numine animo & ſummus religionis deriſor) occurſante paſſim populo, & in genua ad ipſius conſpectum procumbente, ſæpius ſecreta murmuratione hæc verba ingeminaverit: *Quandoquidem iſte populus vult decipi, decipiatur*. Fol. 379 ex-

execrandum est luxuriæ exemplum, de Augustino Chisio, Romano trapezite, qui Leoni X Pontifici Maximo totiusque Purpurei Senatus cœtui, exterorumque Regum Legatis, ob filium ab illo baptismi lavacro tinctum, splendidissimum convivium instituit, in quo non satis fuit, eduliorum omnis generis missuumque exquisitissimorum apparatui modum omnem ademisse, nisi etiam lances, pinaces, cæteraque cum escaria vasa, tum potus instrumenta ex argento affabre facta, omnia in Tiberis præterlabentis alveum, inani luxus ostento, præcipitarentur, idque non una modo, sed pluribus quoque vicibus, quotiescunque scenicum illud ferculorum & mensarum choragium mutandum foret. Atque ista parvo constitisse æstimandum erat, nisi & alieno ex orbe petitarum immani pretio avium, quas psittacos nominamus, solæ linguæ, variis in patinis conditæ, ultimo ferculo omnem luxus ostentationem longe superassent.

Non negamus quidem, longe plura, quæ a nobis adponi mererentur, reperiri in pulcerrimo isthoc libro; sed voluimus tantummodo movere salivam lectoribus; simul apprecati Generosissimo Auctori vitam incolumitatemque, ut operis hujus adhuc residuas partes, jamque, quod accepimus, elaboratas, possit cum eruditis communicare, æternam nomini suo famam, quando gloriam omnis fere Europæ gentium illustrissimarum enixus est admirabili studio prosequi, apud posteros effecturus.

JOHANNIS FAES, MINISTERII STADANI SENIORIS, & ad D. Wilhadi Pastoris Primarii, Anatome Bullæ Jubilcæ universalis Anni MDCC Papæ Innocentii XII.

Helmstadii, apud Henricum Hessium, 1702, in 4.
Alphab. 1. plag. 6.

Viginti effluxerunt anni & amplius, ex quo maxime Reverendus Auctor librum *de Jubileis Pontificum Romanorum*, ad dissertationis Academicæ formam abs se conscriptum, sub Frid. Ulrici Calixti præsidio, in illustri Julia, ubi studiorum causa tunc agebat, Eruditorum disquisitioni subjecit, occasionem suppeditante Cle-

Clementis X. Pontificis Romani Jubileo, toti orbi Christiano circa istud tempus indicto. Quandoquidem vero Innocentius XII, in anno millesimo septingentesimo solennitati huic consecrando, istius haud ita pridem vestigia legit, Bullam, qua is celebritatem ejus indixit, ad ulterius examen revocandam sibi Noster sumere non dubitavit. Itaque post proœmium, in quo de ceremoniarum ortu & Jubileorum invento disserit, totumque negotium a Gentilibus originem traxisse ostendit, Bullam istam Jubileam, A. 1699 divulgatam, ad verbum exhibet, ejusque hinc & inscriptionem, & tractationem, & subscriptionem latius considerat.

In Inscriptione, ad ejus primo denominationem attendit, cumque eadem *Indictio* vocetur, de hujus vocis significatione varia in medium affert, eamque hoc in loco idem, quod promulgatio, notare perhibet. Mox anni Jubilei distinctionem recenset, & de autore hujus Bullæ, Innocentio XII, pauca disserit. *Episcopi* vero titulum cum suo nomini hic addiderit, de istius in sacris æque ac profanis usu genuino amplius commentatur, cui comes adjungitur titulus *servi servorum Dei*, quo se itidem insignire Autori Bullæ modo memoratæ placuit.

Sequitur Tractatio, quam non ineruditam esse fatetur Noster, istaque occasione de Pontificibus Romanis eruditionem aut amantibus, aut odio prosequentibus nonnihil disserit. Loca Scripturæ ab Innocentio allegata sub dispectum accuratiorem vocat, & rationes, quæ annum Jubileum celebrandum suadere dicantur, examinat. Seculi imprimis proxime elapsi pericula cum nominentur, de ejus indole historicas, & cum vitæ sanctimonia saluberrimum & Christiano plane dignum nomine studium vocetur, de bonis operibus in Jubileo exercendis sacras quasdam observationes subministrat. Quemadmodum vero ad centum annos denuo elapsos provocavit Pontifex, sic de Jubileis, juxta Bonifacii VIII. ordinationem, centesimo quoque anno celebrandis agit Noster, neque tamen, quantopere a primo hoc instituto Bonifacii successores declinarint, monere intermittit. Hinc ad Jubilei indulgentias pergit, & quam infirmis eæ fulcris innitantur, demonstrat. Buccinas jubileares antiquum Judæorum morem imitari quidem concedit, sed Jubileum tamen Pontificium cum Jubileo popu-

populi ſancti nulla componi ratione poſſe, quin potius heterodoxiæ iſtud multis modis accuſandum venire probat. Fines deinceps Jubilei Innocentiani prætenſos parum eſſe idoneos affirmat: & reapſe ſacram nundinationem ſcopum illius primarium vocari debere ſtatuit, eamque ob rem & harum nundinarum merces, puta indulgentias, & emtorum conditiones, & horum, quo ſe digne præpararent, incitationem prolixe excutit. Præcipue ad preces, quas in Jubileo fundere jubeat Pontifex, oculo utroque reſpicit, & quid de Papæ exhortatione Com-Paſtorum ad muneris ſui ſedulum exercitium, deque injuncta iis oratione pro Regibus ſentiendum ſit, declarat. Imperatorem etiam, Regesque ac Principes Catholicos cum ſpeciatim invitarit Pontifex, ſingularibus hanc rem obſervationibus illuſtrat, ac Imperatorem ſtylo curiæ Romanæ nonniſi *electum* ideo vocari innuit, quod nondum coronationem a Papa acceperit. Tandem commendatam viarum ſecuritatem, additasque Bullæ huic minas excommunicationis in ejusdem violatores conſiderat.

Circa Subſcriptionem Bullæ haud addi notat formulam alias conſuetam: *ſub annulo Piſcatoris;* appenſam vero ei Bullam plumbeam dum contemplatur, de Bullis Romanorum Pontificum plumbeis & de plumbatoribus, qui iſtas appendunt, aliqua ſuperaddit. De cætero Lectorem ſæpius remittit ad alius Bullæ ab Innocentio XII anno 1694 publicatæ anatomen, abs ſe pari cum præſenti induſtria ſusceptam, & in Præfatione *Clementis* quoque *XI* Papæ, in Cathedra hodie Romana conſpicui, binas *Bullas* eadem methodo examinatas, una cum libris *de Clavibus veterum* & *de Dominica in albis* ſe, dummodo facilis Juno Lucina typographica opem tulerit, propediem editurum pollicetur.

TOBIÆ GRANZII J. U. D. REIP. GORLICENSIS Scabini & Advocati Provinc. Luſat. Superior. Ordinarii, Defenſio Inquiſitorum. Ex genuinis Jurisprudentiæ principiis, nec non præcipuorum JCtorum & Practicorum Commentationibus, Reſponſis & Deciſionibus, &c. ut facienda & facta methodice collecta.

Francofurti & Lipsiæ sumtibus Philippi Wilhelmi Stockii, 1701, 4.

Constat Alph. 6. plag. 5.

JAmdudum quidem hoc argumentum lucubrationibus suis præoccuparunt Novellus, Guazzinus, Bouricius, Oldekopius, Schaeherus, Geislerus, aliique Viri maxime clari; eorum tamen labores vel non adeo nostris legibus temporibusque accommodatos, vel breviores esse, quam ut singulis criminibus sufficerent, multi serio doluerunt. Quapropter non dubitandum, quin Nobilissimus ac Consultissimus libri hujus Autor ingenti beneficio sibi obstrinxerit, qui foro criminali operam navant, & clientum suorum, fortunis, fama & vita periclitantium jura propugnare debent, quandoquidem in illorum gratiam totum hoc, qua patet defensionis negotium, e genuinis legum domesticarum fontibus exantlare, & præstantissimorum tum juris interpretum, tum historicorum testimoniis stabilire, eoque pacto opus cunctis fere lineis absolutum adornare sustinuit. Cum autem reorum defensio argumentis tam naturalibus quam artificialibus promoveri amet, idcirco consideratis tum personis, quæ in judicio criminali occurrunt, tum delictis, quæ inquisitionem, torturam, vel pœnam efflagitant, actibus præparatoriis, videlicet, impetrationi salvi conductus, relaxationi carceris seu arresti, actorum criminalium communicationi, Advocati selectioni, & spatii ad parandam defensionem concessioni, aliquantisper immoratur. Dein operosus est in specialibus exceptionibus, pro avertenda inquisitione ordine proponendis. Pertinent autem illæ vel ad impediendum ejus ingressum, vel ad remorandum ejus progressum. Prioris commatis est incompetentia fori; qua occasione notat, metallarios in Saxonia, tum ratione officii, tum delictorum contra ejus præscriptum admissorum, non alii judicio quam Senatui præfecturæ montanæ, dem Berg-Amte subesse; quemadmodum & ratione loci seu asylorum, qualia adhuc ex singulari privilegio præbent Augustæ Vindelicorum monasterium S. Udalrici, Argentorati aula Fratrum (der Brüderhoff) Norimbergæ domus Equitum Ordinis Teutonici (das Teutsche Hauß) & civitas imperialis Reutlinga, ita ut illuc profugientes, tam quoad corpus, quam bona sua, ubicunque sint

ſint ſita, tutiſſimum inveniant receptaculum, eandem exceptionem cum fructu opponi poſſe ſtatuit. Sequitur exceptio præventionis, & judicii cœpti, ubi quærit: quis Judex in jurisdictione controverſa, & quando cadaver in confinio occiſum adeſt, alterum in exercitio poteſtatis prævenire videatur? & decidit ex ſententia Knichenii de Juribus Superioritatis, quod ille, qui prius cadaver judicialiter tollat, vel particulam de corporis vel veſtis ejus parte ſanguinolenta, quam frаiſch Pfandt vocant, auferat, cauſæ cognitionem ſortiatur. Subjunguntur huic exceptiones ſuſpecti Judicis, fori privilegiati & ſingularis, quibus indiciorum, quæ ſpecialem inquiſitionem ſuadent, eliſiones complures anneдuntur. *Delapſus* inter alia ad crimen Magiæ, graviter increpat Judices, qui ſagarum confeſſiones de hisce vel illis perſonis in monte Bructerorum viſis, in protocollum referri curant, easque præſtigias adeo pro veritate habent, ut innocuos ad inquiſitiones, carceres, aut confrontationes rapere non vereantur. Hinc Facult. Jurid. Francofurtenſem Sacerdoti, cujus nomen ad inculpationem vetulæ cujusdam ſagæ, quæ tamen multa riſu digna protulerat, ad acta & protocollum conſignatum erat, actionem injuriarum contra Judicem competere, reſpondiſſe; edictum quoque Megapolitanum de A. 1683, ſub pœna ſeveriſſima & capitali prohibere, ne impoſterum in examine delinquentium veneficii poſtulatorum a Judice aut Scabinis quæratur: an in monte Bructerorum fuerint, ibique ederint, biberint, ſaltaverint, hasce vel illas perſonas una viderint aut cognoverint? neque etiam, ſi ſponte tale quid fateantur, fides illis adhibeatur, multo minus ad protocollum ſcribatur, quoniam omnes ejusmodi denunciationes e peſſimo fonte fluant, adeoque merito ſint abominandæ. Ad alteram claſſem refert modos tum diluendi indicia communia & veriſimilia, tum refutandi certa & propinqua, tum enervandi illa, quæ torturam injungere ſolent. Porro exceptionem nullitatis proceſſus, inſufficientis probationis, abſentiæ correi, morbi inquiſiti, partus in utero inquiſitæ latentis, revocatæ confeſſionis, exceſſus pœnæ conſuetæ, provocationis ad ſuperiorem Judicem, redditionis rationum, ultimæ voluntatis, ſalutaris ad mortem præparationis, deficientis carnificis, tandemque provocationem ad tribunal Dei fuſe

B 2 expli-

explicat, illarumque latissimum usum ostendit. Defunctus ista opera, non solum generalem defensionis effectum, qui tum in absolutione ab instantia, vel a tota causa vel a causæ parte, tum in actione injuriarum inquisito competente consistit, declarat; verum etiam effectum specialem, imprimis illum, qui ex oppositis exceptionibus deficientis corporis delicti, illegitimæ & calumniosæ denunciationis, & acquisiti salvi conductus, sperandus est, exaggerat. Tandem illarum exceptionum, quæ pœnæ mitigationem aut remissionem exposcunt, quas inter numerat exceptionem infelicitatis fati, innocentiæ & miserationis ætatis, ignorantiæ & deficientis animi delinquendi, justi doloris, amoris, ebrietatis, vis ac metus, necessitatis, inculpatæ tutelæ, salutis publicæ, pœnitentiæ & delicti nondum consummati, rei judicatæ, potiores successus ordine expendit. Ultimo demum loco adjuncta & affinia defensionis, ad quæ præscriptionem atque abolitionem criminum, vel gratiam pœnæ a Principe factam, mortem item inquisiti refert, nec non contraria ejus recenset, ut adeo propositæ methodi legem adimplevisse, atque utilissimam hanc materiam præclare illustrasse dici possit.

JACOBI J. F. F. GRONOVII EXERCITATIONES Academica de Nece Juda τῦ προδότυ & cadaveris ignominia. Accedit legitima & perspicua earum defensio.

Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtmanns, anno 1702, in 4.

Constat alphab. 1, plag. 16.

Diu est, ex quo *Jacobus Gronovius*, Vir celeberrimus, has de nece Judæ τῦ προδότυ & cadaveris ignominia Exercitationes luci publicæ exposuit, in Actis quoque nostris anno 1683, mense Decembri, pag. 513. seq. commemoratas. Dedit ibi id inprimis operam, ut conquisitis hinc inde argumentis, & allatis variorum scriptorum testimoniis probaret, Judam laqueo sibi fregisse gulam, ideoque pro more Judæorum in voraginem id genus cadaveribus destinatam, & eminentibus hinc inde rupibus asperam, dejectum esse. Ap-

Apposite ergo a Luca dici: πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. Prius, quod nempe Judas laqueo finiverit vitam, evincere annititur ex genio ac indole vocis ἀπήγξατο & ἀπαγξάμενος, quam talem esse adfirmat, ut ad unum omnes scriptores Græci de eo usurparint, qui ipse laqueo vim vitæ suæ intulerit. Enimvero cum nonnulli docti viri dictam vocem de alio quocunque mortis genere, vel solo mœrore, uti Pricæanæ opinionis sectatores, accipere mallent, ideoque istas Exercitationes vellicarent, tum æquum judicavit Gronovius, ut sententiam suam denuo vindicandam adserendamque susciperet. Edidit ergo anno superiore denuo Exercitationes istas, ac defensione, uti vocat, legitima & perspicua locupletavit. Cujus proinde præcipua capita, rerumque disceptatarum summas hic attingemus.

Primo loco compellat Reverendum & a nobis quoque aliquoties commendatum Virum, Salomonem van Till, ejusque ingenuitatem hoc nomine prædicat, quod de sententia, quam diversam sectatus aliquando fuerat, & scripto publico anno 1683 exposuerat, discedere, ac ultro tandem confiteri voluerit, sibi labore Gronoviano anno 1687 satisfactum, & omnem dubitationem ereptam esse. Idem de Antonio Bynæo tradit, quem libro anno 1683 publicato eorum, qui de verbi ἀπήγξατο significatione aliter quam Gronovius statuerint, sententias non collegisse solum, sed opere anno 1696 renovato, rationibus a se adductis permotum rejecisse adfirmat. Cæterum risu se non abstinuisse ait, cum anno 1684 e Germania sibi scriptum esset, anonymum hominem Gallum novissime Francofurti libellum edidisse peculiarem de occultis Dei judiciis, in quo p. 90 ἀπάγξασθαι de compressione spiritus intellexerit, eandemque sententiam petitis ex Theocrito, Æschine aliisque exemplis firmarit: cumque rationes ibi allatas, lecto postea libro, aniles & illiterato homini convenientes deprehenderit, tum vel maxime eas hic attingere noluisse. Convertit inde se ad Otiorum Theologicorum auctorem, quem Guil. Saldenum, S. Theol. Doctorem fuisse novimus. Is in præfatione Otiorum obverterat præcipue locum Æliani, ubi de Poliagro dicitur, quod κωμῳδούμενος ἀπήγξατο. Existimaverat autem Saldenus, hunc locum de strangulatione non posse exponi,

p. 4.
p. 19.
p. 5.
p. 15.

imo ab ipso Gronovio asseri, eum aliquantulum nubilum esse, nec perspicue rem demonstrare. Enimvero respondet Gronovius, omnino ἀπήγξατο de strangulatione, quæ fit laqueo, intelligendum esse, neque aliter accepisse Salmasium, Lydium in Sparsione florum, Henricum Mollerum, & alios. Cæterum se non confidenter adeo pronunciasse de loci obscuritate, sed ita censuisse:
p. 18. etsi iste locus aliquantulum nubilus videri possit, tamen alterum Æliani locum id clarissime evincere, atque adeo non fatentis, sed
p. 16. ponentis more se disseruisse. Miratur vero Gronovius, ista Æliani verba, κωμωδȣ́μενος ἀπήγξατο, a Saldeno ita accipi, quasi Poliagrus in comœdia fuerit suffocatus, cum longissime tunc a comœdia forsan abfuerit, & constanti Græcorum sententia is κωμωδȣ́μενος dicatur, qui in comœdia exagitatus & risui expositus fuit; unde apud scriptores occurrat modo διελέγχων καὶ κωμωδῶν, modo ἐπὶ χλευασίᾳ παράγειν ἐπὶ τὴν σκηνὴν καὶ κωμωδεῖν. His
p. 26. sequ. confectis, aspere satis cum Francisco Dermasio, i. e. Joachimo Fellero Poeseos quondam in hac Academia Professore, qui A. 1687 peculiari Epistola Lipsiæ edita sententiam Gronovii oppugnaverat, congreditur, & contra eundem tum verbi ἀπήγξατο significatum vindicare annititur, tum vero etiam, quo sensu ista verba πρηνὴς γενόμενος
p. 62. sequ. ἐλάκησε &c. accipienda sint, disputat. Quæ dum exsequitur, prolixum illorum texit indicem, qui vocem ἀπάγχεσθαι de iis solum adhibuerunt, qui vitam laqueo finiverunt. Duo vero loca cum attulisset Rever. Bern. Homoet, Ecclesiastes Amstelodamensis, ubi idem verbum alia significatione adhibitum videatur, ea quoque hoc loco expendere voluit Gronovius. Primus locus Athe-
p. 69. næi est, & libro XII, p. 549 ita legitur: Καὶ Μελάνθιος δὲ τὸν
p. 71. αὐτȣ̃ τράχηλον κατατείνων ἀπήγχετο ἐκ τῶν ἀπολαύσεων, κνισότερος ὢν τȣ̃ Ὀδυσσέως Μελανθίȣ. Alter est apud Aristotelem in Problem. τμημ. τὸ λ ἐν τῷ, Ὅσα περὶ φρόνησιν καὶ νȣ̃ν καὶ σοφίαν, ac his verbis expressus est: Ὅσοις μὲν ȣ̃ν μαραινομένȣ τȣ̃ θερμȣ̃ αἱ ἀθυμίαι γίνονται, μᾶλλον ἀπάγχονται· διὸ καὶ οἱ νέοι ἢ (καὶ) οἱ πρεσβύται μᾶλλον ἀπάγχονται. Τὸ μὲν γὰρ γῆρας μαραίνει τὸ θερμόν. τῶν δὲ τὸ πάθος φυσικὸν ὄν, καὶ αὐτὸ τὸ
p. 72, 73. μαραινόμενον θερμόν. Ὅσοις δὲ σβεννυμένȣ, ἐξαίφνης οἱ πλεῖστοι διαχρῶνται ἑαυτȣ́ς. Pronunciat de his Gronovius, in utro-

que ἀπάγχεσθαι de strangulatione injecto laqueo facta intelligendum, idque disserendi materiam & scopum evincere; imo quod ad alterum locum attinet, jam ante se Theodorum Gazam τὸ ἀπάγχεσθαι vertisse, *laqueum sibi petere*, *laqueo se interimere.* Cæterum Joachimi Kuhnii, ἀπάγχεσθαι proprie significare *præ dolore mori* negantis, suffragio sententiam suam tuetur, & serio dolet, ejus in Matthæum notas non extare, ubi de eo egerit prolixius. Denique cum celeberrimo Viro, Jacobo Perizonio, suppresso tamen ac dissimulato nomine, decertat. Is enim ad Ælianum contra Salmasium disputans dixerat, se non intercedere, quominus compluribus in locis ἀπάγχεσθαι notet se suspendere, & sæpissime adhibitum fuerit a veteribus ad suspendium proprie denotandum; sed ut id solum notet necessario ubivis, id vero sibi a verisimilitudine abhorrens videri. Respondet ad ista hic Gronovius, & Archilochi apud Aristotelem locum, quo θυμὸς dicitur ἀπάγχεσθαι, & qui inprimis objectus fuerat, ita explicat: θυμὸν quidem non posse ἀπάγχεσθαι, esse tamen in causa, ut homo θυμέμενος se strangulet; hinc ab Archilocho poeticum ὕψος sequente ipsum θυμὸν dici ἀπάγχεσθαι. p. 78. seq.

Atque ita recensione libri hujus more nostro, id est, seposito omni partium studio, defuncti sumus. Nisi forte futuri sunt, qui justam a nobis Apologiam adversus ea, quæ, dum Fellerum refutaret, in nos etiam Actorum horum collectores, imo Academiam Urbemque Lipsiensem universam, Gronovius inique admodum & proterve evomuit, hoc loco expectent. Et Academiæ quidem ac Urbi sunt hac infra iram, quibus Epistolam a Fellero, Poeseos quidem in hac Academia, dum viveret, Professore doctissimo nec incelebri, in hac etiam urbe, sed privato nomine, nec præscio forte quoquam, ante hos quindecim annos editam imputari, æque profecto absurdum & a viro prudenti gravique alienum est, quam si nos calumniarum a Jacobo Gronovio, Lugdunensi in Batavis Professore, in libro Lugduni Batavorum impresso, in nos temere conjectarum Inclytam Academiam Lugdunensem, Urbemque universam ream postulare vellemus. In nos vero tanto atrocior est doctissimi Viri injuria, quod eruditionem ejus (bene vero, quod non & mores) summis data quavis occasione elogiis celebravimus, & ad rem præsentem

quod

quod attinet, Gronovii quidem de Nece Judæ Dissertationes in Actis hisce initio Decembris anno 1683 prolixe satis recensuimus; Epistolæ vero istius Fellerianæ, in quam collectam tanto tempore iram, nunc demum duodecim post obitum ejus annis effudit, nullam plane in iis mentionem vel verbo fecimus: non quod ineptam eam putaremus, qualem nunc Gronovius depingit (de quo Lectorum esto judicium) sed quod in ea acerbius paulo non Gronovium solum, sed & alios in Belgio Criticos tractatos non probaremus, nostraque adeo recensione latius propagari Epistolam nollemus. Qua ergo animi impotentia & nos, & Academiam, & Civitatem Lipsiensem Gronovius insectatur? Sed absit, ut collidi nos patiamur cum Viro, qui jaciendis excipiendisque conviciis ætatem videtur agere; quin potius injuriam omnem condonamus ejusdem ingenio, quod dudum ita publice innotuit, ut multis a Gronovio contemtos lacessitosque fuisse, majori potius existimationi cesserit. Interim licebit, opinamur, pace Viri, ea in Actis his attingere, quæ illi a Clarissimo Perizonio sequenti libello reposita fuere.

JACOBI PERIZONII DISSERTATIO DE MORte Judæ & verbo ἀπάγχεσθαι.

Lugduni in Batavis, apud J. du Vivie & Js. Severinum, Anno 1702, in 8.

Constat plag. 6.

ISto potissimum consilio scripta hæc videtur dissertatio, tum ut loca Matthæi XXVII, 5, & Act. I, 18 concilientur, tum vero etiam, ut vindicentur ea, quæ ad Æliani Var. Hist. V, 8, ab eruditissimo Perizonio notata erant. Postquam itaque capite primo de causa hujus scripti egit, cap. II locum Act. I, 18 expendit, ibique non de Judæ cadavere, sed morte agi pronunciat. Nimirum cum de vivo Juda accipi prorsus debeat, quod fuerit ductor eorum, qui Christum ceperunt, quod numeratus fuerit inter Apostolos, tum vel maxime aptum esse ait & consentaneum, ut reliqua quoque eo modo exponantur, inprimis ideo quod nullus cæteroquin alius habeatur transitus ab ejus vivi rebus ad ea, quæ ipsi acciderint in morte & post mortem. Neque sententiæ suæ obsistere aut adversari, quod

quod mortis genus jam a Matthæo expressum sit; istam quippe consuetudinem sacros scriptores tenere, ut ab aliis dicta denuo repetant, suoque consensu firment. Tum vero & id monet doctissimus Perizonius, eosdem non ordinate omnia & prout gesta sunt persequi, sed unamquamque rem fere prius absolvere, quam ad reliquas progrediantur, atque adeo priori loco referre ea, quæ tamen acciderunt revera demum, postquam jam cœpit res, quæ sequitur. Cujus rei rationes ideo exemplis quibusdam confectas dedit, ut plenius intelligatur, quo fundamento nonnulla Gronovianæ adsertionis momenta nitantur. Ut vero institutum omne quam rectissime expediatur, cap. III de formula πρηνὴς γενόμενος disquirit, quam notare *præcipitatum, & non quidem a se, sed prorsus ab alio*, eundemque significationis modum *simplicem vocem πρηνὴς secum ferre* asseveraverat Gronovius. Existimat contra Perizonius, vocem πρηνὴς simpliciter & ubique *pronum* notare istamque explicationem assensu ac suffragio munire Homerum, Athenæum, Aristotelem atque Eustathium, qui πρηνὴς ab ὕπτιος accurate distinguant. Tum quoque idem sentire Synesium, atque his verbis uti Epist. 57: προσῆλθον θεῷ, καὶ πρηνὴς καὶ γονυπετὴς ἱκέτης γενόμενος, θάνατον ἀνθ' ἱερωσύνης ηὐξάμην. Nec satis. Ipsum quoque Gronovium non constare sibi ait, eo quod in Exercit. cap. XIX ostendat, *posse se contra omnes eruditos commentatores sequi vetustiorem interpretem, & affirmare, voces πρηνὴς γενόμενος recte & doctius, quam censent, ab eo versas esse* suspensus, hac ratione, quia *apud Latinos etiam cadere, ruere, imo præcipitia delabi dicantur ea, quæ dependent aut propendent*. Quod vero firmum magnopere ac stabile judicarat Gronovius, id etiam hic labefactare studet Perizonius, ostenditque, vocabulum γενόμενος non passive semper usurpari apud Lucam, idque tum ex aliis locis, tum inprimis Act. I, 18 elucere, ubi dicatur, περὶ Ἰούδα τοῦ γενομένου ὁδηγοῦ τοῖς συλλαβοῦσι τὸν Ἰησοῦν. Quo ipso id effecisse sibi videtur Perizonius, ut sententia Gronoviana, (qua affirmatur, πρηνὴς γενόμενος notare solum eum, qui ab alio, non a seipso, præcipitatur) sponte corruat, & male proinde se tueatur. Cui accedere ait, Lucam, si passivo sensu adhibuerit ista verba, & de cadavere egerit, debuisse memorare, quo mortis genere perierit, a quibus dejectus fuerit, publice an privatim, qua de causa, & in quem locum. Neque etiam Judam

C ab-

abjiciendum fuiſſe, & relinquendum ſub dio. Non enim damnatorum corpora in vallem quandam ſub dio rejecta fuiſſe, ſed in communia vilium cadaverum ſepulchra condi conſueviſſe. Tradi hoc Jer. XXVI, 23, & apud Maimonidem in tract. Sanhedrin cap. XIV, §. 9, ubi teſtetur Maimonides, duo fuiſſe ſepulchra damnatis, unum in quo lapidati & ambuſti, alterum in quo capite truncati & ſtrangulati conderentur, idque ad ſua tempora deveniſſe per traditionem. Recte proinde huc trahi Joſephi verba Bell. Jud. III, 14, ubi de perpetuo ſui adhuc temporis more loquatur: τὸυς ἀνελόντας ἑαυτὸυς, παρὰ μὲν ἡμῖν, μέχρις ἡλίου δύσεως ἀτάφους, κρύπτειν ἔκρειναν, καί τοι καὶ πολεμίους θάπτειν θεμιτὸν ἡγούμενοι. Exempla ex adverſo a Gronovio allata nihil evincere, cum extraordinaria ſint, & tale quid belli ſolum tumultusque civilis tempore acciderit. Imo ipſum Gronovium male ſibi conſulere, quando Exercit. p. 195 ultro fateatur, *hujusmodi aut vallem aut morem projiciendi cadavera fuiſſe Hieroſolymis, nullum ſcripſiſſe, vel potius non meminiſſe ſe alibi legiſſe*. Cap. IV analogiam vocis ἀπάγχεσθαι exponit, atque uti vocem ἄγχω ab ἄγχι id eſt πλησίον acceſſit, ita & ἄγχω idem notare dicit, quod πλησιάζω, hoc eſt *id, quod ſeparatum eſt, conjungo & conſtringo*. Inde de vocibus cognatis & ab ἄγχω formatis agit, ipſumque ἀπάγχεσθαι nativa ſua ſignificatione latius patere adfirmat, quam ut ſolum modo ſuſpendium notet. Quod ut rite demonſtretur, cap. V de uſu vocis ἀπάγχεσθαι diſſerit. Copioſus autem eſt in exponendo Ariſtotelis loco, ubi animus dicitur ἀπάγχεσθαι, & id maxime contra Gronovium urget, quod animus dicatur ἀπάγχεσθαι παρὰ τῶν φίλων. Cujus rei nullam aliam cauſam fuiſſe ait, quam dolorem ex amicis & eorum facto ortum, neque adeo poſſe dici per poeticum ὕψος: *ira ipſa ſtrangulatur ab aliis*, h. e. adigitur ad id, ut cauſa ſit homini ad ſtrangulandum ſe. Ulterius uſum hujus verbi declarat cap. VI, ubi duo imprimis loca adducit. Alter eſt Ariſtophanis in *Pace* p. 682, qui verbum ἀπάγξαι de muſtela mures (ita enim vocabatur fabula) devorante uſurpavit. Maxime vero Scholiaſtem rem expedire, dum hoc modo interpretetur: ἀντὶ τοῦ, ὑπὸ τῆς γαλῆς τὸ δρᾶμα ἀπαγχθῆναι. Alter eſt Tzetzis ad Lycophronem vers. 61, apud quem Oenone dicatur κατὰ τὸν Δίκτυν βρόχοις (non βρόχαις, ut male nonnullæ editiones exhibeant) ἀπαγχθεῖσα. Exiſti-

ſtimat Perizonius, non addi debuiſſe βρόχοις, ſi vox ἀπάγχεσθαι unice *laqueo ſuffocari* notet, cujus obſervationis in Actis A. 1702 menſe Februario p. 51 meminimus, quando Perizonii de Dictye diſſertationem recenſuimus. Inde cap. VII duo loca a Reverendo Viro Bern. Homoetio adducta, & a Nobis paulo ante commemorata expendit, atque ab exceptionibus Gronovii vindicat, tum vero & cap. VIII de variis locutionibus præcipit, in quibus τὸ ἀπάγχεσθαι rectius aliter, quam per ſuſpendium exponi videatur. Duo inde ſpeciminis loca adferemus, Ariſtophanis in *Nubibus* unum, ubi juſtitia dicitur ἀπάγχεσθαι; alterum Luciani in *Gallo*, ubi ad Gallum Gallinaceum: οὐκ ἀπάγξῃ, ὦ ἀλεκτρυών. Et quamvis non diffiteatur cap. IX Noſter, ſæpiſſime iſtud verbum ſuſpendium ſignificare, non tamen hoc impedire ait, quo minus aliter quoque eo uſi fuerint auctores. Quo ipſo tandem omnem controverſiam ita componit: *niſi obeſſet locus Lucæ, Matthæum in morte Judæ de ſuſpendio exponerem; nunc vero quum Lucas aliud genus mortis Judæ tribuat, idque diſertius & plenius commemoret, prorſus putem, nullam dari commodiorem conciliandi utriusque rationem, quam ut illud* ἀπήγξατο *apud Matthæum de morte voluntaria præcipitii per mœrorem & deſperationem ſumta, dictum accipiamus: niſi quis malit Caſaubonianam conciliandi rationem de laqueo rupto, & ſic in præceps lapſo Judæ ſequi.* Tandem disquirit cap. X de voce γεγωνὸς & aliis nonnullis in Clariſſimo Gronovio notatis, verbi gratia, quod pro *abi & ſuſpende te* dixerit, *abi &* ἀπαγξάτω, ſed quod ſignificet, *abi & ſuſpendat aliquem.*

CONTINUATIO ANALYSEOS QUADRATURARUM Rationalium edi cœpta in his Actis M. Majo 1702, per G. G. L.

Quam nuper edidi Analyſin Summatoriam Rationalium ſive in Numeris ſive in Quadraturis, mirifice intelligentibus placere video. Nam (ut de ſummis Numerorum nunc taceam) Analyſis Tranſcendens Linearum, ubicunque hæc Methodus locum habet, deducitur ad ſuam perfectionem, quia tunc ſemper pro æquationibus differentialibus ſubſtitui poſſunt exponentiales. Sciendum enim, quod dudum notavi, expreſſionem lineæ per Æquationem differentialem hoc habere incommodi, quod non prodeſt pro æquatione locali, neque proprie ad unum punctum refertur. Un-

de fit, ut per eam interſectio curvæ cum alia linea haberi, incognitave tolli non poſſit: atque adeo tunc demum in talibus æquatio differentialis prodeſſe poteſt, cum conſtat duas lineas non tantum occurrere ſibi, ſed & ſe tangere. At æquatio curvæ tranſcendens, exponentialis, omnes perfecte uſus analyticos recipit, ejusque ope non tantum determinari concurſus, ſed & incognitæ tolli poſſunt, ſimulque eadem opera apparet, quodnam problema deprimatur ex tranſcendenti ad commune; quotiens nempe quantitates indeterminatæ exeunt de Exponente, aut plane evaneſcunt. Ex. gr. ſi prodeat $b^{\frac{xx+yy}{\cdot}} = c^{\frac{aa}{\cdot}}$ fiet $xx + yy = aa$ ($log.\ b : log.\ c.$) quæ æquatio eſt ad Circulum; &, ſi Logarithmorum ipſius b, & ipſius c, ratio aliunde data ſit, conſtructus erit circulus communi more; ſin minus, ſaltem obtentum eſt, quod debuit obtineri. Et vero ſciendum eſt, quoties in ſolis conſtantibus hæret difficultas, ut Algebraice exprimi nequeant, tunc non amplius incertum eſſe gradum, neque adeo Problema amplius eſſe tranſcendens. Exempli gratia ſit $\sqrt[e]{2}$ quantitas non ordinaria, veluti ſi e ſit numerus irrationalis, $\sqrt{2}$; tamen nec tranſcendens a me dicetur, ſed interſcendens, nam cadit inter gradus uſitatos.

Sed hæc obiter dicta ſunto, ut præſtantia hujus Analyſeos melius intelligatur. Fractio quæcunque rationalis quoad indefinitam, poteſt facta concipi hujus formæ; poſito t eſſe numerum integrum rationalem

$$\frac{\frac{\alpha}{\pi} + \frac{\beta}{\pi}x + \frac{\gamma}{\pi}xx + \frac{\delta}{\pi}x^3 + \&c.}{x^t + \frac{\xi}{\pi}x^{\frac{t-1}{\cdot}} + \frac{\mu}{\pi}x^{\frac{t-2}{\cdot}} + \frac{\lambda}{\pi}x^{\frac{t-3}{\cdot}} + \&c.}$$

Hinc primum detrahentur integra pura, ut x^0, x^1, x^2, &c. quantum fieri poteſt, quod fit dividendo Numeratorem per Denominatorem, quando nempe hic non eſt altior illo. Quo facto habebitur & quotiens integer, & reſidua fractio, ubi Denominator

eſt

eſt altior Numeratore, quæ jam rurſus tractanda ut mox dicetur. Nunc ſi ponamus Denominatorem eſſe formulam, quæ nullas habeat radices æquales, dico Fractionem quæ ſupereſt divelli poſſe in tot fractiones quot ſunt radices, quarum fractionum quælibet ſit hujus formæ $\frac{A}{X+B}$, ita ut A & B ſint quantitates conſtantes. Atque adeo ſi detur figura, cujus abſciſſa exiſtente X, ordinata ſit æqualis dictæ fractioni; figuræ quadratura habebitur per Logarithmos veros, cum radices denominatoris ſunt reales, vel per accedentes Logarithmos imaginarios, cum quædam radices ſunt imaginariæ. Logarithmi autem veri coincidunt cum quadratura Hyperbolæ, Logarithmi imaginarii primi gradus coincidunt cum quadratura Circuli. Sed quia dantur Logarithmi imaginarii infinitorum graduum altiorum, ut in Schediaſmate Maji ſuperioris ſpecimine dato oſtendimus: hinc etiam totidem dantur Quadraturarum gradus, a quadraturis Circuli & Hyperbolæ independentes, atque ita magna quæſtio deciſa eſt, quæ hactenus in Analyſi Tranſcendente negotium faceſſivit.

Ponamus denominatoris radices eſſe $x+b$, $x+c$, $x+d$, $x+e$, $x+f$, &c. totidem, quot in t ſunt unitates; quas radices per compendium vocabimus l, m, n, p, q. &c. patet

$$\frac{1}{x^{t} + \frac{\xi}{\pi} x^{t-1} + \frac{\mu}{\pi} x^{t-2} + \frac{\lambda}{\pi}\ {}^{t-3} + \text{\&c.}}$$

idem fore quod $\frac{1}{l\,m\,n\,p\,q\,..}$. Reperi autem per Regulam Generalem ſatis pulchre procedentem fore

$$\frac{1}{l\,m\,n\,p}$$

idem quod eſt ſequens ſumma

$$\frac{1}{c-b,\ d-b,\ e-b,\ l} + \frac{1}{b-c,\ d-c,\ e-c,\ m} + \frac{1}{b-d,\ c-d,\ e-d,\ n} + \frac{1}{b-e,\ c-e,\ d-e,\ p}$$

idemque eſt in altioribus, nam lex generalis attendenti patet. Et

 ita

ita generaliter fractio denominatoris compositi divelli potest in fractiones denominatoris simplicis.

Quodsi post divisionem initio factam in Residuæ fractionis numeratore mansisset indefinita ; veluti si Residua foret formula

$$\frac{\theta + \varrho x + \varpi x x + \Phi x^3}{l m n p}$$

divellatur in tot partes, quot sunt membra in numeratore ; quæ erunt

$$\frac{\theta}{l m n p} + \frac{\varrho x}{l m n p} + \frac{\varpi x x}{l m n p} + \frac{\Phi x^3}{l m n p},$$ ubi ut numeratores liberentur ab indefinito ; reperimus (omissis constantibus, ϱ, ϖ, Φ, &c.) fore

$$\frac{x}{l m n p} = \frac{1}{m n p} - \frac{b}{l m n p}$$

$$\frac{x x}{l m n p} = \frac{1}{n p} - \frac{b + c}{m n p} + \frac{b b}{l m n p}$$

$$\frac{x^3}{l m n p} = \frac{1}{p} - \frac{b + c + d}{n p} + \frac{b b + c c + b c}{m n p} - \frac{b^3}{l m n p}$$

His addamus adhuc unum exemplum, ut melius appareat Lex :

$$\frac{x^4}{l m n p q} = \frac{1}{q} - \frac{b + c + d + e}{p q} + \frac{b b + c c + d d + b c + b d + c d}{n b q} - \frac{+ b^3 + c^3 + b b c + b c c}{m n p q} + \frac{l^4}{l m n p q}$$

Equidem diversæ prodire possunt expressiones, prout mutatur ordo literarum, *l*, *m*, *n*, *p*, &c. aut constantium in ipsis quantitatum *b*, *c*, *d*, *e*, &c. Sed si ipsæ jam a numeratoribus indefinitis liberatæ fractiones, ut $\frac{1}{p q}$, $\frac{1}{n p q}$, $\frac{1}{m n p q}$, aliæve hujusmodi rursus resolvantur in fractiones denominatorem habentes simplicem, more jam præscripto ; diversæ illæ viæ tandem desinent in idem ; poteruntque ita adhuc nova theoremata perpulchra condi.

Idem-

Idem aliter sic consequemur: Esto fractio habens potentiam ipsius x in numeratore, & denominatorem compositum, velut $\frac{x^4}{lmnp}$; resolvemus primam Fractionem in fractiones denominatorum simplicium, modo jam præscripto; & ita res hoc loco redit ad quatuor fractiones, quales, $\frac{x^4}{l}$, $\frac{x^4}{m}$, $\frac{x^4}{n}$, $\frac{x^4}{p}$, omissis coefficientibus constantibus. Jam quando in Numeratore est x vel ejus potentia quævis, denominator autem est simplex; potest res reduci ad integros puros, aut fractiones numeratoris constantis simul simplicisque denominatoris, hoc modo:

$$\frac{x}{l} = 1 - \frac{b}{l}$$

$$\frac{xx}{l} = x - b + \frac{bb}{l}$$

$$\frac{x^3}{l} = xx - bx + bb - \frac{b^3}{l}$$

$$\frac{x^4}{l} = x^3 - bxx + bbx - b^3 + \frac{b^4}{l}$$

Nunc supplendi sunt casus, quos in præcedenti schediasmate non attigimus, quando nempe radices æquales cæteris admiscentur; ibi enim regulæ propositæ non quadrant. Neque etiam soli Logarithmi aut quasi-logarithmi occurrunt; sed interveniunt etiam Hyperboloidum quadraturæ, quales sunt, quarum ordinatæ sunt $\frac{1}{xx}$, $\frac{1}{x^3}$, $\frac{1}{x^4}$, &c. Tales autem Hyperboloides omnes Quadraturam ordinariam recipere constat. Sed ut hæ quadraturæ diversi generis ex se invicem evolvantur; ponamus $l =$

$x + a$;

$x + a$; & sit fractio $\frac{1}{b^4 lmnp}$, hæc per regulam præscriptam resolvi potest in totidem tales $\frac{1}{b^4 l}$, $\frac{1}{b^4 m}$, $\frac{1}{b^4 n}$, $\frac{1}{b^4 p}$. Dico quamvis harum rursus resolvi tali modo, ut posito $\omega = l - b$, id est $\omega = b - a$, constante, (quoniam $b = x + a$, & $l = x + b$, unde $l - b = b - a$) fiat

$$\frac{1}{b^4 l} = \frac{1}{\omega b^4} - \frac{1}{\omega\omega b^3} + \frac{1}{\omega^3 bb} - \frac{1}{\omega^4 b} + \frac{1}{\omega^4 l}$$

Eodemque modo habebitur & $\frac{1}{b^4 m}$, tantum pro l ponendo m, & pro $l - b = \omega$ seu $b - a$ constante, ponendo constantem $m - b$ seu $c - a$, idemque est in cæteris.

Quidsi diversæ simul occurrant radices æquales? Veluti si sit fractio $\frac{1}{b^4 l^3 mnp}$, patet eam produci ex his duabus $\frac{1}{b^4 l^3}$ & $\frac{1}{mnp}$. Dico priorem resolvi posse in fractiones constantes ex unius tantum speciei radicibus æqualibus, quæ fractiones si singulæ deinde multiplicentur per $\frac{1}{mnp}$, habebimus totidem novas fractiones similes huic $\frac{1}{b^4 lmnp}$, quas jam resolvere docuimus. Superest ergo, ut resolvamus fractionem qualis $\frac{1}{b^4 l^3}$; dico, posito $b - a = \omega$, & $a - b = \psi$ fore

$$\frac{1}{b^4 l^3}$$

$$\frac{1}{b^4\, l^3} = \begin{cases} \dfrac{1}{\omega^3\, b^4} - \dfrac{3}{\omega^4 b^3} + \dfrac{6}{\omega^5\, bb} - \dfrac{10}{\omega^6 b} \\[2ex] \dfrac{1}{\psi^4 l^3} - \dfrac{4}{\psi^5 ll} + \dfrac{10}{\psi^6 l} \end{cases}$$

Sed operæ pretium est adscribere theorema generale, quia hic Lex non æque facile ac in prioribus, de exemplorum inspectione fabricari potest. Nempe posito t & v esse numeros constantes rationales integros, dico fore:

$$\frac{1}{b^{t:}\, l^{v:}}$$

idem quod duæ summæ sequentes simul

$$\frac{1}{\omega^{v\cdot}\, b^{t\cdot}} - \frac{\frac{v}{1}}{\omega^{\frac{v+1}{\cdot}}\, b^{\frac{t-1}{\cdot}}} + \frac{\frac{v.v+1}{1.2}}{\omega^{\frac{v+2}{\cdot}}\, b^{\frac{t-2}{\cdot}}} - \frac{\frac{v.v+1.v+2}{1.2.3}}{\omega^{\frac{v+3}{\cdot}}\, b^{\frac{t-3}{\cdot}}} + \text{\&c.} \ \frac{\frac{\cdots\cdots}{\cdots\cdots}}{}$$

usque ad ...... b^1

$$\frac{1}{\psi^{t\cdot}\, l^{v\cdot}} - \frac{\frac{t}{1}}{\psi^{\frac{t+1}{\cdot}}\, l^{\frac{v-1}{\cdot}}} + \frac{\frac{t.t+1}{1.2.}}{\psi^{\frac{t+2}{\cdot}}\, l^{\frac{v-2}{\cdot}}} - \frac{\frac{t.t+1.t+2}{1.2.3.}}{\psi^{\frac{t+3}{\cdot}}\, l^{\frac{v-3}{\cdot}}} + \text{\&c.} \ \frac{\frac{\cdots\cdots}{\cdots\cdots}}{}$$

usque ad ...... l^1

Hinc si verbi gratia v esset 1 seu $l^v = l$ retineretur solum terminus $\frac{1}{\psi^{t\cdot}\, l^{v\cdot}}$, sequentibus in quibus l alias occurreret omissis. Quodsi tres vel plures species radicum æqualium concurrerent; nihilominus patet ex præscripta jam Methodo, omnia ad fractiones unius tantum literæ indeterminatæ, quæ hoc loco sunt simplicissimæ, reduci

duci posse. Esto enim $\frac{1}{l^5 t^4 m^3}$ patet produci ex $\frac{1}{l^5 t^4}$ per $\frac{1}{m^3}$ jam $\frac{1}{l^5 t^4}$ resolvatur in fractiones simplices more præscripto. Harum quælibet ducatur $\frac{1}{m^3}$, habebuntur totidem fractiones, quæ non nisi binas habebunt species radicum; has autem posse resolvi in simplices, jam est ostensum. Reducuntur ergo binæ species ad unam, ternæ ad binas, quaternæ ad ternas; & ita porro, quæ hic persequi non est illud necesse. Unde jam cuncta esse in potestate apparet; quanquam ea quoque canonibus seu theorematibus complecti conveniens foret.

Postremo cum Mathematicus ingeniosissimus, si quisquam, Dn. Johannes Bernoullius ostenderit, se quoque jam ab aliquo tempore tali quadam Analysi uti, & ideo problema transmiserit Actis inserendum, verbis sequentibus illud subjicietur. Ubi tamen ab eo dissentire cogor, quod omnia ad quadraturam Circuli & Hyperbolæ (præter ordinarias quadraturas) hic reduci putat: cum in specimine supradicto, Actis Maji inserto, demonstratum a me sit, alias sine fine aliis altiores quadraturarum rationalium transcendentium species ordine dari, a se invicem independentes; Quadraturasque Hyperbolæ & Circuli ex illis omnibus primas & simplicissimas esse.

PROBLEMA EXHIBITUM A JO. BERNOULLO.

Data differentiali quantitate $\frac{p\,dx}{q}$ (ubi per p & q intelliguntur quantitates rationales ex x & constantibus utcunque compositæ) invenire ejus integrale seu summam, vel si nullam habet algebraicam, reducere ad quadraturam circuli aut hyperbolæ; alterutrum enim semper fieri potest. *Sol.*

Dividatur p per q quantum potest, donec maxima dimensio ipsius x in residuo sit minor maxima dimensione ejusdem x in divisore q. Quod si vero maxima dimensio in numeratore p jam sit minor maxima dimensione in denominatore q, tunc nulla divisio-

visione opus est. Deinde ex quotiente sumatur integrale, id quod semper fieri potest, constabit enim quotiens quantitatibus integris & rationalibus: at ex residuo (id quod caput rei est) integrale ita sumitur: Sit r residuum, & ponatur $\frac{r\,dx}{q} = \frac{a\,dx}{x+f} + \frac{b\,dx}{x+g} + \frac{c\,dx}{x+h}$ &c. tot scilicet differentialibus logarithmicis quot sunt unitates in maxima dimensione ipsius x in q, ubi notandum quod a,b,c &c. ut & f,g,h, &c. sint quantitates constantes assumtitiæ, quarum valores ut reperiantur, colligantur $\frac{a\,dx}{x+f} + \frac{b\,dx}{x+g} + \frac{c\,dx}{x+h}$ &c. in unam summam reducendo fractiones ad minimum communem denominatorem, & ita similis erit propositæ $\frac{r\,dx}{q}$; nam utrobique x in denominatore habebit æqualem maximæ dimensionis numerum, si vero maxima in r sit minor quam maxima in altero numeratore, oportet fingere dimensiones æque altas, quæ desunt tanquam affectas o; quo facto instituendæ sunt æquationes inter coefficientes dimensionum æque altarum tam numeratorum quam denominatorum, & sic tot prodibunt æquationes quot sunt assumtæ litteræ constantes incognitæ, quæ per consequens innotescent per coefficientes datas & cognitas, quæ sunt in r & q. Voco autem coefficientem non tantum numerum sed ipsam totam quantitatem constantem, quæ aliquam dimensionem ipsius x afficit.

Aliter.

Ponatur $\frac{r\,dx}{q} = \frac{s\,dx}{t} + \frac{a\,dx}{x+f}$, per t intelligo quantitatem compositam ex dimensionibus ipsius x gradatim descendentibus usquead pure constantem, quarum maxima sit unitate minor quam maxima dimensio in q, reliquæ vero affectæ sint litteris designantibus quantitates constantes: Per s similem talem quantitatem intelligo, compositam nempe ex dimensionibus ipsius x gradatim descendentibus & affectis constantibus, ita tamen ut maxima dimensio in s sit unitate minor quam maxima in t. Hoc enim modo

per

per additionem actualem $\frac{s\,dx}{t} + \frac{a\,dx}{x+f}$ fiet $\frac{sx+at+sf}{tx+tf}\,dx$ $= \frac{r\,dx}{q}$, ubi in utroque denominatore x ad æqualem maximam dimenſionem aſcendit; reliquis igitur obſervatis ut prius, reperietur valor litterarum aſſumtitiarum: atque ſic $\frac{r\,dx}{q}$ erit reſoluta in $\frac{s\,dx}{t} + \frac{a\,dx}{x+f}$, ubi ſcilicet in t jam minores dimenſiones ipſius x ſunt quam in q. Eodem modo $\frac{s\,dx}{t}$ reſolvi poteſt in $\frac{u\,dx}{w} + \frac{b\,dx}{x+g}$, & ita porro, donec tandem ad ſimplices radices perveniatur: quo facto habebitur $\frac{r\,dx}{q}$ reſoluta in has ſimplices $\frac{a\,dx}{x+f} + \frac{b\,dx}{x+g} + \frac{c\,dx}{x+h}$ &c. Reſtat igitur ut oſtendamus, quomodo harum integralia (quæ utique dependent a deſcriptione logarithmicæ vel a quadratura hyperbolæ ſive realis ſive imaginariæ, prout f, g, h, &c. ſunt quantitates ſive reales ſive imaginariæ) poſſint exprimi per quantitatem exponentialem ſeu percurrentem; quod ſic fit: Conſtat quod $\frac{dx}{x+f}$, $\frac{dx}{x+g}$, $\frac{dx}{x+h}$ &c. ſint differentiales logarithmorum ipſorum $x+f$, $x+g$, $x+h$ &c. adeoque $\int\frac{dx}{x+f}$, $\int\frac{dx}{x+g}$, $\int\frac{dx}{x+h}$ &c. erunt logarithmi ipſorum $x+f$, $x+g$, $x+h$ &c. id eſt $\int\frac{dx}{x+f} = \mathrm{l.}\,\overline{x+f}$ & ita porro. Hinc itaque erit $\int\frac{a\,dx}{x+f} + \int\frac{b\,dx}{x+g} + \int\frac{c\,dx}{x+h}$ &c. id eſt $\int\frac{r\,dx}{q} = a\mathrm{l.}\,\overline{x+f} + b\mathrm{l.}\,\overline{x+g} + c\mathrm{l.}\,\overline{x+h}$ &c. $=$ (ut ex natura logarithmorum patet) Log. $\overline{x+f}^{\,a} \cdot \overline{x+g}^{\,b} \cdot \overline{x+h}^{\,c}$ &c. Q. E. F.

Co-

Coroll.

Hinc patet, quomodo ex æquationibus differentialibus rationalibus vel quæ ad rationales reduci poſſunt (per modos Diophanteos vel per alios) in quibus indeterminatæ cum ſuis differentialibus ſint a ſe invicem ſeparatæ, poſſint elici æquationes algebraicæ vel exponentiales; quod quidem in Methodo tangentium inverſa maximum habet uſum. Sumtis pro indeterminatis x & y habeatur hæc æquatio $\frac{s\,dx}{t} = \frac{\sigma\,dy}{\theta}$, (ubi & s & t ſunt quantitates rationales quas ingrediuntur conſtantes & dimenſiones ipſius x utcunque inter ſe compoſitæ; ut & σ & θ ſunt tales ex conſtantibus & dimenſionibus ipſius y compoſitæ) ſintque X & Y, integralia illa, quæ per diviſionem ſupra dictam ipſius s per t, & ipſius σ per θ abſolute ſumi poſſunt, habebitur itaque

$$X \pm \text{Log.}\ \overline{\overline{x \pm f}^{a}.\ \overline{x \pm g}^{b}.\ \overline{x \pm b}^{c}.\ \&c.} = Y \pm \text{Log.}\ \overline{\overline{y \pm \xi}^{\alpha}.\ \overline{y \pm \eta}^{\beta}.\ \overline{y \pm \varkappa}^{\gamma}.\ \&c.}$$

ſi nunc unitas, quæ cum X & Y multiplicata intelligitur, conſideratur ut Logarithmus conſtans, cuius numerus ſit n; proveniet reductis more ſolito Logarithmis ad poteſtates, hæc æquatio exponentialis ſeu percurrens

$$n^{X}.\ \overline{x \pm f}^{a}.\ \overline{x \pm g}^{b}.\ \overline{x \pm b}^{c}.\ \&c. = n^{Y}.\ \overline{y \pm \xi}^{\alpha}.\ \overline{y \pm \eta}^{\beta}.\ \overline{y \pm \varkappa}^{\gamma}.\ \&c.$$

quæ interdum degenerat in pure Algebraicam, id quod fit quando X & Y ſunt nihil, & quando a, b, c, ut & α, β, γ, ſunt inter ſe commenſurabiles.

Sequuntur compendia quædam reductionis differentialium compoſitarum ad ſimplices ſeu Logarithmicas, & viciſſim, ut & ſimplicium imaginariarum ad compoſitas reales ſeu ad extenſionem arcuum Circuli.

Probl. I.

 Trans-

Transformare quantitatem differentialem $\frac{a\,dz}{bb-zz}$ in differentialem Logarithmi $\frac{a\,dt}{2bt}$, & vice versa.

Pone $z = \frac{t-1}{t+1}\,b$, & habebis $\frac{a\,dz}{bb-zz} = \frac{a\,dt}{2bt}$

Et vice versa pone $t = \frac{+z+b}{-z+b}$ & habebis $\frac{a\,dt}{2bt} = \frac{a\,dz}{bb-zz}$

Coroll.

Eodem modo transformatur quantitas differentialis $\frac{a\,dz}{bb+zz}$ in differentialem Logarithmi imaginarii $\frac{-a\,dt}{2bt\sqrt{-1}}$ & vicissim.

Probl. 2.

Transformare quantitatem differentialem $\frac{a\,dz}{bb+zz}$ in differentiale sectoris vel arcus Circularis $\frac{-a\,dt}{2\sqrt{t-bbtt}}$, & vicissim.

Pone $z = \sqrt{\frac{1}{t}-bb}$ & habebis $\frac{a\,dz}{bb+zz} = \frac{-a\,dt}{2\sqrt{t-bbtt}}$.

Et vice versa pone $t = \frac{1}{bb+zz}$, & habebis $\frac{-a\,dt}{2\sqrt{t-bbtt}} = \frac{a\,dz}{bb+zz}$

Probl. 3.

Transformare Quantitatem differentialem $\frac{a\,dz}{bb-zz}$ in differentiale Sectoris hyperbolici $\frac{a\,dt}{2\sqrt{t+bbtt}}$; & vicissim.

Pone $Z = \sqrt{\frac{1}{t}+bb}$, & deinde $t = \frac{1}{bb-zz}$; habebis optatum.

Probl.

Probl. 4.

Transformare quantitatem differentialem logarithmicam $\frac{adt}{2bt}$ in differentiale sectoris hyperbolici $\frac{adr}{2\sqrt{r+bbrr}}$.

Pone $t = \frac{b+\sqrt{\frac{1}{r}+bb}}{b-\sqrt{\frac{1}{r}+bb}}$; habebis quæsitum.

Coroll. 1.

Eodem modo transformatur differentialis logarithmica imaginaria $\frac{adt}{2bt\sqrt{-1}}$ In differentiale sectoris circuli realis. Ponendo enim $t = \frac{b\sqrt{-1}+\sqrt{\frac{1}{r}-bb}}{b\sqrt{-1}-\sqrt{\frac{1}{r}-bb}}$, habebitur $\frac{adr}{2\sqrt{r-bbrr}}$.

Coroll. 2.

Cum ex probl. 2. $\int\frac{adz}{bb+zz}$ dependeat a qradratura circuli; cum vero etiam $\frac{adz}{bb+zz}$ fit $= \frac{\frac{1}{2}adz}{bb+bz\sqrt{-1}} + \frac{\frac{1}{2}adz}{bb-bz\sqrt{-1}}$, quæ duo sunt differentialia logarithmi imaginarii: patet utique logarithmos imaginarios seu Sectores hyperbolicos imaginarios sumi debere pro sectoribus circularibus realibus. Hos enim in unam summam colligendo quantitates imaginariæ per mutuam compensationem se destruunt, ita ut nil nisi reale proveniat.

EDMUNDI DICKINSONI M. D. PHYSICA VETUS ET Vera. Sive Tractatus de Naturali Veritate Hexaemeri Mosaici.

Londini, apud Henr. Ribotteau, 1702, in 4.

Constat 2 Alphab. & 4 figuris æn.

M*Osaicam Creationis Historiam*, dictamine Spiritus Divini manifestatam, continere veras rerum origines, adeoque simul fun-

fundamenta Philosophiæ solidissima, cum diu credidisset pietas fidesque, tandem, post simulatam veritatis inquisitionem, negare & impugnare ausa est ratio humana; eosque fecit progressus, ut inter quosdam Sapientes mundi nihil absurdius & inconcinnius judicetur, quam Systema Cosmicum ex Mosis Genesi ordinatum. Temeritatem hanc repressuri quidam Philosophi, *Cosmopœiam Mosaicam* vindicare conati sunt, sed cum existimarent, hypotheses physicas varie a variis excogitatas comprehendere veram rerum naturam, explicatione sua simplicitati sensus Mosaici eam vim intulerunt, ut fere omnia pro ænigmatibus, parabolis, aut ad captum vulgi dictis, haberentur: Atheistarum autem scrupulositas exinde ansam arriperet, novos suis objectionibus inducendi colores. Utrumque conatum, tam qui effreni licentia negat, quam qui infelicibus armis defendit *veritatem hexaemeri Mosaici*, præsenti opere repellere intendit *Autor*, quem dudum adhuc Juvenem *Delphi Phœnicissantes* orbi erudito reddidere celeberrimum; qualem scopum sibi præfixum fuisse, statim in dedicatione ad Thomam Archiepisc. Cantuar. & capite I, quo Lectori notanda continentur, ipse fatetur autor. *Philosophiam Corpuscularem* ad hoc munus dilucidandæ Philosophiæ Mosaicæ assumit. Hanc Atomicam Philosophiam Cosmogeniæ explicandæ aptissimam esse, contra imputationes, quibus illa Deum, saltem Creatorem negare videtur, demonstrat cap. 2, quippe quæ juxta Philosophos Græcos (præsertim Ionicos, qui Atomici fuerunt,) semper mundum ceu ποίημα Θεȣ̃, *opus Dei*, prædicarit; licet Anaximander Thaletis discipulus, & post illum plures athei existerent, qui, ut omnia cœco eventu, nulla providentia Dei fieri persuaderent, abutebantur atomorum regno; Anaxagoras tamen doctrinam de Corpusculis restituit pristinæ puritati, dum atomis τὸν Νȣ̃ν, mentem, Deum scilicet, adjunxisset, ut posthac nemo (nisi Epicuri de grege porci) mundum casu firmari potuisse, statueret. *Præstantiam* dein Cosmologiæ Mosaicæ cap. 3 ex antiquitate summa, mundo coæva deducit, ab Adami nempe notitia per Methusalechum ad Noam, & hinc per Semum ad Abrahamum, inde per Jacobum ad Israelitas Ægyptiacos transmissa, & non obstante servitutis Ægyptiacæ jugo (quod inprimis Cap. 19 de Israelitis Ægyptiacis, sapientia & artibus

bus præstantissimo populo uberius demonstrat) fideliter retenta, a quibus proin per Mosen scripta *Genesis* & optime intellecta, & ut verissima historia recepta fuerit. *Principia* hujus Cosmologiæ *corpuscularia* fuisse, cap. 4 docet, quorum appellationes varias ex Historia Philosophica eruit; ad materiam enim primam universi, Mosi cœlum & terra, subinde terra, abyssus, aqua dictam, apte designandam Thales *aquæ*, Pherecydes Syrus *terræ*, Pythagoras *monadum*, Anaximander *infiniti*, Aristoteles ὕλης, Empedocles & Democritus *atomorum*, alii *multorum* nomen usurparunt. Ex quo patet, Particularum doctrinam a Noa usque ad Aristotelem claruisse, qui cum vim & significatum antiquissimi, Phœnicibus, Ægyptiis, Syris & Arabibus usitati nominis, (quod Græci in suam linguam sono simili transsumentes ὕλην dixerunt,) ignoraret, talem materiam primus prædicavit, quæ nec quid, nec quale, nec quantum (id est, re vera nihil,) significaret, cum eo nomine nil nisi exilissimarum commotarumque particularum multitudo significaretur: vestigia enim τῆς ὕλης adhuc in Hebræo & Arabico extare putat, dum Hebræum חול arena, & Arabum hiule, sono ipsissimum Græcorum ὕλη exprimant. Nec solum de prima rerum materia falsam notionem, sed & de *amplitudine* creationis Mosaicæ nimis pusillum quid multi concepisse videntur Autori, dum loco universi grumulum hunc, globum nostrum terraqueum (quem prius Cometam confusum fuisse statuunt) solummodo a Deo creatum, & a Mose descriptum putant, quorum sententiam rejicit cap. 5. Hic ad mentem Autoris melius percipiendam, notandum est, Angliam in refutandis Atheis non superfunctorie laborare, quod vel solum illustris Boylii testamentum loquitur. Surrexerunt igitur Viri plures, Wilhelmus Whiston, Richard Bentley, W Nichols &c. qui ex institutione celeberrimi Newtoni, Mathesin Physicamque docti, ab Atheis motas difficultates circa historiam Mosis, hypothesibus mechanismo naturæ harmonicis solvere student. Earum hypothesium summam Vir clarissimus, *Dethlevus Cluverus*, scripto Germanico, cui titulus: *Geologia, seu philosophemata de genesi & structura globi terreni, Hamburgi. A. 1700* complexus est, in quo scripto videas creationem Mosis ad unicum hunc terræ globum coarctari, quem antea confusum Cometæ chaos existentem, Deus sex dierum, qui

tot annis pares ſint, ſpatio creaverit. Hanc opinionem everſurus Autor, prolixe inquirit, quid nomine Chaus (quod cum Bocharto Canaan lib. 2. cap. 2. ex Hebr. כהות tenebræ, deducit,) ab antiquisſimis intellectum ſit. Ubi plurimis teſtimoniis evincit, totius univerſi confuſam materiam per Chaos intellectam fuiſſe, quæ una & confuſa natura totius mundi ſeminium extiterit: quare cum veteres ectypum ſuam figuram ad magnitudinem giganteæ ſtaturæ delineaverint, pygmæi exemplaris illam fuiſſe, non eſſe credendum. Diſtincte jam perluſtrat ipſa ſex dierum opera. En Synopſin. Aſſerit Autor: materiam univerſam a Deo vera creatione productam, & ab ipſo ſolo, duplici quidem motionis genere, *primo Præparationis*, quod eſt transverſus lenisque particularum inter ſe motus, *altero Separationis*, quod eſt circulare, quo tota moles abysſi gyrabatur (Hebræis per גלגל *Galgal* notatum) motam fuiſſe. Per *priorem motum* quatuor Elementa, particulis ſimilibus ad ſimiles, poſt varias obviationes applicatis, eſſe producta; ubi corpuſcula prima, minutisſima, rotunda, *pilulæ* Autori dictæ, *ignem*; ſecunda, rotunda ſed majora & leviora, *globuli*, *aquam*; tertia, longula & ad inſtar *exilium bractearum* formata, *aerem*; ultima, crasſiora & graviora varie figurata, *terram* conſtituerint. Per *alterum* autem *vertiginoſum motum*, ſeparatas eſſe *pilulas* iſtas exilisſimas a reliquis, dum a centro ſui motus ilico receſſerint, & crasſiora corpuſcula ad medium cedere coegerint, quo motu *Opus primi diei*, lux ſeu ignis, ſeu ſphæra quæpiam ignea, cœlum empyræum dicta, antiquisſimis quoque cognita philoſophis, conſtituta fuerit, intermixtis tamen plurimis *globulis* ſimul per gyrum excusſis, qui ad *aquarum ſupracœleſtium* conſtitutionem ſublati ſint. Utrumque hoc aſſertum de exiſtentibus in cœlo empyræo & igne & aqua, prolixius in 15 & 17 Capit. *de aquis Chaoticis*, & de *igne ac lumine primigenio*, explicat & defendit. Eodem gyro univerſi durante, ſeparatas quoque fuiſſe longulas illas *bracteolas*, circa ſua propria centra rotatas, quæ cœlum inferius ſidereum, Expanſum dictum, *Opus ſecundi diei* conficiant, quod a terra (cujus aer non differat a ſidereo, niſi ob admixtos vapores) usque ad cœlum empyræum protendatur, quos duos tantum naturales cœlos agnoverint Hebræi; (tertium autem Pauli, quod Moſes vocat cœlum cœlorum,

rum, mere ſpirituale eſt;) quod Expanſum, ob multa craſſiora corpuſcula adhuc inter bracteolas intermixta, non ſatis tenue, adeoque nec ab empyræo cœlo plenarie illuminatum, Deus noluerit dicere bonum.

Bracteolas tamen illas diſpanſivo ſuo conatu grande illud *Opus tertii diei* obiiſſe, docet Autor, nempe *congregationem aquarum in unum locum, aridæque terræ fundationem.* Ubi ex inæquali preſſionis effectu (cum craſſioribus corpuſculis intermixti eſſent globuli) terræ facies valde inæqualis, hic protuberans, illic plana, alibi cava extiterit, adeoque terræ cavitates, planities atque montes ab initio rerum ortum duxiſſe. Globulos autem illos vel emerſione, vel declivi fluxione coeuntes, *rem iſtam fluidam atque volubilem*, aquam conſtituiſſe, quæ magnas illas, & minores in ſuperficie terræ cavitates complendo, aquarum campos, quos maria dicimus, & lacus, flumina, rivos effecerit, unius quodammodo conflugis & loci, ob communicationem per continuos ductus, ſeu manifeſtos ſeu occultos, quorum ductuum ſubterraneorum maximus, a Polo arctico ad antarcticum tranſiens, per terræ viſcera ramos habeat ſuos, & cœcos & pervios, cœcis interdum congeſto luto repletis, inque terram firmam transmutatis; unde & in profunda terra repertorum, concharum, oſſium, arborum, asſamentorum, navium, inprimis illius integræ navis, quæ A. 1460 ad oppidum Veronæ Helvetiorum in fodina 50 orgyias alta, una cum malis fractis, & anchoris, ac 40 nautarum cadaveribus effoſſa fuit, rationem petendam, nec res illas pro deſuper humatis accipiendas eſſe, monet Autor, imo & figura ænea mentem ſuam dilucide ante oculos ponit. Barathra illa ſubterranea ex terreſtrium corpuſculorum celeriore circumcirca conſtipatione, quam omnes globulos aqueos exprimere poſſent, orta docet, quæ S. S. *abyſſos in theſauris* vocant. Ex ſimili cauſa concretionis *ignem mediterraneum* deducit, qui conſerta craſſarum particularum corona cinctus, contra naturalem ſuum genium atque motum, in illo ſitu Dei nutu detentus eſt, evolaturus alias, niſi eum cito coëuntis concreſcentisque materiæ circulus nexibus ſuis impediiſſet, ne rotatione abysſi a centro ad exteriora projicerentur ejus ſubtilisſimæ partes; (*quæ tamen, cum ſine vertigine gyrationeque totius globi terraquei vix fieri, ſupponique poſſint, an motum telluris diurnum, ſaltem in principio creationis, vel perpetuo*

E 2 *duran-*

durantem admittere velit Autor, hoc opere non manifestavit.) Hujus ignis centralis virtute vapores orti concitatique, germinationi pariter vegetabilium & mineralium productionibus inservierunt, ubi metalla post aliquot annos ex terris debite præparatis effecta, vegetabilia vero cito producta statuit. Semen quidem, quod revera plantæ compendium est, digito Dei primitus concinnatum fuit, plantas vero vapor & virtus terræ germinare fecit unico saltem die. Ne festinata maturitas offendat, adducit Autor & hortulanorum notas artes, fruticationes suas paucis diebus promovendi, & philosophorum *quandam aquam*, insipidam quidem, tantæ tamen efficaciæ, ut mollia vegetabilium, e. g. cochleariæ, nasturtiorum &c. semina in ea macerata, & super asserculum distincte collocata, arenaque ad latitudinem digiti vel minus alta contecta, Solisque calori exposita, extemplo germinent, ac tam celeriter increscant, ut herbæ ipso aspectu crescentes cernantur; ubi simul differentiam inter succum nutritium, qui paucus est, & aquam, ejus succi vehiculum, quæ copiosa requiritur, pluribus demonstrat.

Solem & sidera, *Opus quarti Diei*, Dei solius (idololatriæ præcavendæ) digitis ascribit, qui particulas igneas per Expansum dispersas, & ad sufficientem magnumque calorem excitandum nimis raras, in unum corpus igneum, Solem nempe, collegit, cujus, ob irrequietam materiæ suæ motionem, facies umbris lumineque variegata, montium convalliumque species visui per helioscopia exhibeat. Perditionem semper exæstuantis dissipatique Solaris corporis præveniunt, tum aspirationes siderum, tum circulus crassæ materiæ, par ei, qui ignem terræ centralem cingit, nimium effluxum cohibens; qui licet non impediat penetrationem radiorum Solis, maculis tamen aspersum, imo interdum totaliter pallidum Solem nobis apparere facit. Vires suas ut circumquaque Sol diffunderet, indesinenter per cœlos rotari jussus a Deo videtur Autori, quem circuitum Solis jam *Abrahamus* prædicaverit; eundem placuisse Thaleti atque Pythagoræ: neque *Copernici* obices currui Solis objectos eum sistere. Imo nec alia systemata, quæ Tycho aliique excogitarunt, inter se convenire, sed æqua probabilitate ad phænomena elucidanda applicari. Nec possibile esse, demonstrationes Astronomorum veras reddi, quandoquidem mul-

nullius astri magnitudo, vel distantia certo possit assignari; nec ullus in cœlo tenui ac fluido perpetuus & regularis motus existat, nisi regatur ab omnipotenti manu. Certum itaque esse Astronomum Mosaicum, cœli motus omnes per Deum vel Angelos sapientissime gubernari, adeoque eum nec systemate Copernici, nec Tychonis, nec Ptolemæi orbibus indigere. (*Bona cum venia Autoris liceat hic monere: Concesso interim, motus siderum a Deo Angelisque gubernari, (quamvis in cœlo, quo magis fluidum est, eo minus appareant impedimenta perpetui regularisque motus,) nondum tamen vel circuituum lineas, vel tempora exinde nota esse; aliud enim est causa corpus movens, aliud via per quam corpus movetur. Systemata Cosmica cum duratione temporis, vias lineasque corporum designant, Deum motus autorem non negant, cujus sapientiam itinerum cœlestium quoque delineationes inter se sine confusione, quæ Deum non decere potest, congruentes loquuntur; non enim Astronomo etiam Mosaico sufficit nosse cujus, sed & indagasse oportet, quomodo moveat Solem sideraque manus, quæ nil sine numero, mensura, pondere operatur.*) Ardorem Solis temperatio Lunæ hisce inferioribus blandum facit, cujus aqueam naturam probat manifesta ejus cum omnibus aquis, Oceano præsertim, sympathia. Humiditas tamen illa non simpliciter aquea statuitur, cum aspirationes Lunæ per ea vitra, quæ rite colligunt ejus radios, in liquorem pinguem redigi soleant; sed est *unctuosa humiditas*, quæ Solis effluviis conjuncta, ac velut fœmina conjugata, universalem illum spiritum, Mercurium Physicis dictum, cui pater Sol, Luna mater existit, producit. Huic temperationi conducunt quoque aliarum stellarum constitutiones, de quarum natura non solum per effectus, sed & colorem, æque facile ac de metallis, (quæ sunt terræ sidera) definire licet. Planetæ illi, quamvis corpusculis igneis non sint destituti, non tamen accensis, ut in Sole, sed condensatis, ut in sublunaribus pyropi gemmæque sunt, constant. *Saturno* multum salis atque Mercurii, cum minori portione sulphuris adhibitum; *Jovi* rariorem salem atque Mercurium, modicamque portionem purioris sulphuris. Utriusque Satellites paris naturæ cum suo primario credit, ut absente Saturno vel Jove, similes virtutes in terram mittant (*quamvis hic A-*

ſtronomiæ Syſtematica vix intelligat, quomodo fieri poſſit, ut Satellites abſente ſuo primario terræ ſe præſentes ſiſtere queant, uti nec circelli exigui peripheria ſine ſuo centro præſens eſſe poteſt.) Et ſic de reliquis planetis ſtellisque argumentum ducitur. Ita tandem viribus ſuis ornatum cœlum, & terra ſuis, coëunt ad gignendam iſtam mirabilem naturam, quam Mythici *Pandoram*, Hermetici *Aurum auræ*, *Cœlum terræ*, univerſi *Mercurium*, Phyſici Rerum omnium *Quint-Eſſentiam* vocant.

Ab inſenſibilibus ad animantia, *Opus quinti Diei*, progreditur, quorum ſemina animata cum ſolus creaſſet Deus, ita ipſa bruta terræ aquæque producenda reliquit. Ut enim elementa nullum ſemen animalis generare, ita nec ignis, nec aër ea producere poſſunt; quamvis de ave *Parivogel* ex aëre, & *pyrauſtis* ex igne ortis dentur relationes: imo nec Salamandra in igne vehementi diu durat, ſed frigida ſua viſciditate obtundit ignem; prouti in natura dantur liquores, quibus etiam delicatiores homines liniti, ſtatim vivos carbones illæſi calcare, tractare, mandere atque deglutire poſſunt. Creavit autem Deus brutorum animas ex terra, quas illico ſic induit materia ſeminali, ut referrent *ovorum* ſpeciem. Antiquiſſimæ Sapientiæ hæc eſt opinio. Ægyptii enim ſuum *Cneph* (quem conditorem mundi putabant,) ita finxerunt, ac ſi *Ovum* in ore aperto teneret, quo & Orphei Ὠὸν πρωτόγονον *Ovum primigenium* pertinet. Hæc ova in interraneis ſuis obeundi operis quaſi typum gerunt, poris ſeminalibus ceu inſtrumentis ita diſpoſitis, ut animalia inde, quodlibet ſuæ ſpeciei, ex ſucco nutritio effigientur; quinto quidem die per ſimplex ſemen id factum, quod dein junctis utrisque maris & fœminæ ſeminibus fieri debet. Ratio autem multiplicandæ brutæ ſpeciei per *ſex axiomata* ab Autore explicatur, illuſtraturque duorum ſeminum commixtio experimento, quo ſpiritus fortiſſimus nitri (vel ejus loco vitrioli) atque terebinthi, cum miſcentur, ſtatim flammam emittunt. Sunt itaque brutorum animæ corporeæ quidem & mortales, intelligentis tamen naturæ, ſed immane differentis a ratione hominis. Non enim repugnat, res corporeas per Dei potentiam fieri ſenſitivas, dociles atque intelligentes, ut Dei laudem tam per ſtructuram corporis, quam per vires animæ decantent.

Prin-

Princeps tandem creaturarum omnium, *Homo*, *Opus sexti diei* sequitur, ideo nobilior omnibus, quod & a Deo immediate factus, & similitudinem Creatoris sui gerat. *Corpus* constructum ex terra rubra, non communi, sed de *adamah*, id est, de terra quadam rubra, quæ erat terra selecta, terra pinguis, & per fermentationem facta rutila & corusca, adeoque in quintam quandam essentiam quasi reducta, quod & *Josephus* affirmat: ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυραθείσης, *e terra rubra fermentata*; (hinc *Adam* rubinum quoque notat, Exod. 39,10, & Ezech. 28,13.) quæ venustas corporis peccato periit. *Anima* ab ipso Deo inspirata *spiraculum vitarum* dicitur, quod homo non sola hac caduca vivat, sed & æternæ vitæ capax sit, angelis hoc ipso æqualis. *Multiplicatio* hominum per semina maris fœminæque attribuitur animæ cœlitus ortæ; hæc virtus est, quæ generationem prolis inchoat & perficit, unitumque semen primo movet per calorem suum æthereum, & quidem per tres primos menses alia omnia generationis agi ab anima, sine ulla matris ope, constat ex Embryonis historia Harvæana. *Nidum* autem *Ovorum* quod attinet, quem nonnulli putant se invenisse in mulierum testibus, irrita est opinio, ac plane subventanea, quæ non alia nititur ratione, quam quod earum testes sint glandulosi, & multis vesiculis constent. Hæ vesiculæ deceperunt plurimos, qui illos censebant esse *ova*, & in illis ovis in uterum transmissis homines generari, non secus ac in gallinis, aliisque animalibus fieri solet. Tota porro generationis ratio adeo involuta res est, difficilesque explicatus habet, ut non minus de illa, quam de aliis rebus dubitari possit. Animam infundit Deus, non demum tertio quartove mense, sed statim dum miscentur coeuntium semina, quæ mutuis illico viribus accenduntur, (non absimili modo, quo brutorum semina creduntur accendi,) adeoque ad animam, (cœlestem illam scintillam) recipiendam magis idonea redduntur; nam ut statim ab initio anima, artifex sui corporis, ad opus suum obeundum præsens sit, ordinavit Creator, quæ quidem tum temporis non carnali, sua tamen essentiali viget vita. Hæc anima una est, non tres, cum rationalis & vegetantis & sentientis facultates eminenter in se contineat. Membra corporis Deus ipse & omnia simul delineat, nam anima ideales species, aut typos, aut prima membra delineare non valet; si tamen aliquod membrum ante aliud sit genitum, cor il-

lud

lud eſt, quod primo movet ſanguinem per inſitum cordi fermentum, in quo calor æthereus maxime viget. Hæc quia traductioni animarum, quæ admodum difficilis videtur Autori, adverſa ſunt, veriſimilem eſſe a ſe propoſitam ſpeciei propagandæ rationem, demonſtrare nititur. Præterea homini *naturam ineſſe metallicam* cum cura prædicat, eamque omnibus ſine diſcrimine, maxime tamen robuſtis; diverſa etenim metalla prolici poſſe e viſceribus animalium, ita ut nihil addatur, nec ullæ artes, aut mechanicæ rationes adhibeantur, niſi quæ diſperſam mineram colligant, aut quod dilatatum eſt, in anguſtum cogant, ſic ut in crucibulo fundi posſint. Ex carnibus & excrementis humanis extrahi naturas metallicas ſiccas fixasque; ſic etiam ex humano ſanguine prolici poſſe argentum vivum currens, idem omnino cum vulgari. Et ne quis exiſtimet, hujusmodi metalla vel aliquo forte caſu, aut vitio morbove, corporibus humanis ingeſta fuiſſe, in omnibus, infantibus, pueris, adultis & ſenibus ea inveniuntur, quæ aliquando magis aureæ cupreæve naturæ, frequentisſime tamen ad plumbum vel antimonii regulum asſimilanda videntur. Imo ineſt homini lucida igneaque natura, cui cum Sole cœleſti tanta amicitia intercedit, ut quoties ipſis liber congreſſus fiat, in mutuos amplexus ruant, tanta quaſi libidinis efferveſcentia, ut ambientem prorſus aerem inflamment: id eſt, (ut rem clarius dicit Autor,) per artis operam, atque ſubtilitatem ſophiæ, paratur ex humano corpore miranda Tinctura, ad inſtar Solis fulgida, cujus ſi vitrum chryſtallinum plenum fuerit, ac ita locaretur, ut illud Solis radii, vel trans feneſtram pertingant, extemplo cocunt & commiſcentur utriusque radii, tanto ardore, tamque exaggerata multitudine, (nam natura naturam amat, attrahit, & amplectitur) ut cito flammam concipiant; atque brevi tempore, ni ſeparentur, incendium facient; prout ſuo magno periculo ſe comperiſſe affirmat egregius ille phyſicus *Edvvardus* Generoſus Anglus (in tractatu dicto: *Epitome Theſauri Sanitatis*. *Microcoſmus* igitur eſt vere homo, univerſæ naturæ harmonicus: imo nobilior omnibus corporibus, (ne Sole, Luna, ſtellisve exceptis,) creatura cenſetur Moſi, qui ob dotes mentis originemque longe ſublimius de eo ſentit. Hæc benignisſime contulit Deus, ab homine non ſine grata ſubmiſſaque præfatio-

fatione, dum tanta beneficia recolit, compellandus. Quæ subsequentibus a 12 ad 20 Capit. tractat Autor, sunt uberior tum explicatio, tum confirmatio, tam ex Philologiæ, quam Philosophiæ rationibus, eorum, quæ in prioribus dicta sunt: brevi ergo solum recensione opus habent. Agit Cap. 12 *de Creatione materiæ* vere & proprie tali, contra æternitatem materiæ, quæ occasione enunciati, *nihil unquam de nihilo gigni posse*, quibusdam conficta est, cum antiquissimi Physici id solum de vi naturæ in productionibus suis intellexerint, eoque qualitates atque formas substantiales amovere studuerint. De *rerum principiis* cap. 13 agens, materiam illam, quæ non erat natura continua, sed in infinitas particulas dispertita, principium unum, nomine *Tohu* (id est, *rem confusam & inanem*) alterum *Bohu* (id est, *vacuum*) tanquam *principium sine quo non* statuit. Hoc res fieri sinebat, illud, *Tohu*, factas constituebat. Sic Theodotion ea οὐδὲν, *nihil*, (id est, rem quæ ante motum nihil præ se ferebat) & κενὸν, *vacuum*, nominat. Græci veteres pariter duo rerum principia statuunt, τὸ πλῆρες, *plenum*, quod res est, quæ spatium tenet, & τὸ κενὸν, *vacuum*, in quo res moveri possit. Asclepiades vocat ὄγκους, *moles*, & πόρους, *meatus*. Democritus τὸ κενὸν, *vacuum*, & τοὺς ἀτόμους, *atomos*, qui sunt ipsa materia in partes minutissimas a Creatore divisa. Cap. 14 *de motu materiæ primæ* tractans, prolixus est in explicatione vocis מרחפת *merachephet* Gen. 1. 2. rejicitque affictam voci significationem fotus & incubationis, ut gallinæ solent ovis excludendis insidere, monstratque motitationem particularum a Spiritu Dei factam intelligi, prout & Phœnices primum motorem ventum seu spiritum, κολπίαν (id est קול־פי־יה Col-pi-jah, *vox oris Dei*) nominant. De *igne & lumine primigenio sive de cœlo primo* cap. 15 agens, difficultates removet, quæ & ignem & aquas illius cœli tangunt, monstratque experimento hydrargyri, cujus plurimæ libræ ex ore retortæ horizontis polum respiciente, vi ignis, vaporis ad instar, expellantur, omnes vero particulæ in aere ita sustententur, ut ejus ne hilum quidem recidat (alias in pavimento puro relapsum conspiceretur,) pariter attenuatos globulos aqueos in cœlo primo sustentari posse, ad constituendas aquas supracœlestes. Pari diligentia *de expanso vel de cœlo inferiore*, dein *de a-*

 quis

quis chaoticis & elementaribus, mox *de terra chaotica & elementari* differit Capit. 16.17.18. Et ne quid Mosaica hæc Philosophia detrimenti vel a Discipulis vel Doctore trahat, summa cura *de Israelitis Ægyptiacis* Cap. 19 agit, probrumque, quo gentem hanc, ut *insulsam*, *stupidam*, *omni doctrina*, *sensu atque intelligentia*, *omnique pene humanitate vacuam*, & *tantum non brutam* diffamant nonnulli, removet, atheorumque risum coercet, qui Deum spernunt, quod populum rudem atque stolidum præ cunctis habeat sibi pro *dilecto*, & *tantum non brutum pro peculio*. Per successiones populi sapientiam demonstrat, cui nec ipsa servitus in Æpypto obfuerit. Doctorem ipsum *Mosen* Cap. 20 a summa scientia Chemiæ & Astronomiæ commendat, quod imprimis artificiosissimæ & ex mysteriis sophiæ prodeuntes præparationes loquantur, quando *1. Vitulum aureum* in aqua communi solverit, ita ut potuerit bibi. Hac occasione memorat Autor, aurum absque ulla arte Chymica, solo diuturno attritu in mortario chalybeo, reduci in pulverem, imo in liquorem potabilem; dein, minimo quidem, sed tamen Chemico artificio per tartarum vini Rhenani (nec ullius alterius, quantum ipse sciat,) frangi in ramenta perexilia, adeoque levia, ut eorum multa aliquandiu in superficie aquarum natent, ut bibi possint. 2. *Oleum unctionis* sacræ & *suffitum aromaticum* confecerit: quippe in oleo conficiendo sexaginta duæ libræ pulverum aromaticorum per bicongium olei olivarum reducendæ erant in *oleum fluidum & fragrantissimum*; hoc autem nisi per secretum illud Chemicæ molitionis ἐγχείρημα, per quod Hermetici veras essentias ac arcana sua perficere solent, nullo unquam modo parari potuit. *Aromaticus* autem *suffitus* constabat ex *stacte & onycha*, quæ vehementis est odoris, & castoreum redolet, &c. *thure ac galbano* (quod gummi est gravem atque fœtidum odorem spirans) cunctis parili proportione mixtis. Certe illud odoramentum per vulgarem artem confici neutiquam potuit; qua de re si quis aromatum coctor ullatenus ambigat, eat & periculum faciat, num compositionem, cui dimidia pars est onyx & galbanum, (altera autem sit stacte & thus) jucunde & delectabiliter olentem reddere queat. Nemo nisi qui probe noscit veras essentias ab omnibus suis internis sordibus amovere, ita ut puræ & incorruptibiles fere,

fra-

fragrantesque naturæ fiant, id præſtiterit. Hinc & ſacerdotes Hebræi, abſumto hoc ſacro ſuffitu Moſaico, cum e prædicta materia ſimile thymiama facere non valerent, ad quatuor iſthæc aromata addebant myrrham, caſſiam, ſpicam nardi, crocum, coſtum, cinnamomum & ſuavem corticem, id eſt, caſſiam ligneam, ut ſepeliretur quaſi iſte gravis odor galbani, jucundiusque ſuffimentum fieret. Nec in Moſe ſolum hæc Chemiæ ſcientia floruit, ſed antiquior eſt, & jam Noæ in arcæ fabrica uſitata, quam arcam, ab omni externo aere ſolicite clauſam, efficacia liquoris cujusdam luminoſi, qui & ſimul nutritius fuerit, (prout in appendice monet) a difficultate reſpirandi, fœtore &c. liberavit. Par fuiſſe creditur experimentum Cornelii Drebellii Belgæ, ad Londinum in Thameſi factum, ubi non pauci viri ſub aquis in operta nave diu ſubſiſtebant; & quoties illis reſpiratio difficilior fieri cœperat, mox aperto vitro, & exhalante paulisper eo ſpiritu, redintegrata fuit ſpirandi libertas, æque ac ſi aer recens intraſſet. De quibus aquis proxime acturum eſſe doctiſſimum inque concentratione luminis expertiſſimum *Weidenfeldium* in *ſecundo ſuo libro de Medicamentis*, poſt paucos menſes edendo, nec non in aliis ſuis libris *de Secretis adeptorum* deinceps evulgandis, promittit (librum ejus primum de uſu Spiritus Vini Lulliani 1685 editum, inſertum vide Actis Erud. ejusdem anni, menſ. Febr. pag. 87.) Nihil itaque reſtat, quam ut *Autor Celeberrimus* ea, quibus condire hoc opus voluit, arcana tam de metallis humanis, quam tinctura Soli harmonica, hactenus occultata, paulisper notiora reddat, ſimulque *Weidenfeldium* oret, ut non ſolum *quatuor de ſecretis adeptorum* libros quam proxime luci committere publicæ, ſed & de *quinto* reliquorum clave ſerio cogitare velit; quo fideliſſima utriusque manuductione adjuti probi induſtriique Naturæ ſcrutatores, (ſi non omnino apertam tranſire liceat januam,) ſaltem propiori gradu Hermeticis myſteriis, poſt ſpes tam longas, admoveri queant.

DIONYSII HALICARNASSEI DE STRUCTURA Orationis liber, ex recenſione JACOBI UPTON Etonenſis A. M. cum notis integris FRID. SYLBURGII Veterenſis ſelectisque aliorum, & SIM. BIRCOVII Poloni exemplis Latinis.

 Lon-

Londini, apud S. Smith &c. 1702, in 8.
Constat plag. dimid. 43.

Libellum hoc loco aureolum plane exhibemus, cujus argumentum quidem & autorem doctissimum pridem eruditi norunt, maximique faciunt: sed cujus pretium accurata Clarissimi Editoris opera seculo nostro fere duplicavit. Cum enim ipse Dionysii liber primo inter omnes, quos ad oratorem formandum ille conscripsit, loco habeatur, & solus ex omni Græcorum antiquitate de verborum constructione incolumis nobis restet; illum Clarissimus Uptonius ita hac editione adornavit, ut addi fere nihil a quoquam ipsi posse videatur. Accuratissimam *Frid. Sylburgii* editionem, quæ typis Wechelianis A. 1586 excusa est, summa fide expressit, in multis superavit, castigatioremque & auctiorem nobis exhibuit: versionem hujus libri (qua ille in Sylburgiana plane destituitur) a Sim. Bircovio, Polono, in Academia Samoscensi centum abhinc annis Professore, infelici admodum successu susceptam, ineptam, & ab autoris sensu sæpe alienissimam, plane immutavit novamque reddidit: integras Frid. Sylburgii notas e Victorio, Mureto, Brodæo, Leopardo, Stephano, Cantero, Camerario, Xylandro, Wolfioque excerptas, singulis libri paginis subjecit: ipsumque adeo nonnunquam in his, quod humanum est, errantem emendavit. Ipse denique e suo penu, Casaubono, Vossiis, aliisque doctissimis viris, notulas elegantes addidit. In quibus ipsum interdum Dionysium notat, eumque p. 36. n. 15. in male structæ orationis vitium, quod in Hegesia taxaverat, incidisse; p. 69. n. 7. Herodoto populari suo nonnihil favere; p. 142. n. 19. Demosthenis verba non omnino accurate dimensum esse; ipsumque sibi, Theopompo jam mediocre dicendi genus, jam politum tribuendo, quodammodo contradixisse, p. 202. n. 7. animadvertit. Sylburgium in notis modo præter necessitatem quædam mutari velle, pag. 63. n. 2. p. 91. n. 5. p. 132. n. 1. p. 125. n. 8. p. 231. n. 16: modo sensum rite non explicare, p. 107. n. 6. p. 213. n. 36. &c. observat. Aliorum etiam quorundam, ut Lindenbrogii p. 3. n. 3. G. Vossii p. 9. n. 17. & p. 69. n. 5. H. Stephani p. 254. n. 23. &c. lapsus & errata modeste attingit. Cæterum, quod potissimum ipsi negotium fuit, Autorem jam

jam adductis aliorum, Latinorum inprimis Rhetorum, ut Quintiliani pag. 83. n. 2. Ciceronis, pag. 60. n. 1. p. 106. n. 2. Petronii p. 87. n. 12. Aristotelis p. 110. n. 10. testimoniis firmat: jam allatis pluribus exemplis, ut p. 54. n. 6. p. 226. n. 10. & alibi, illustrat, aliaque notatu digna admiscet: & pagina quidem 2. n. 1. Dionysii Longini judicium Dionysio Halicarnasseo præferendum: p. 68. n. 3. Thucydidi numerose dicendi laudem a Dionysio tributam, Cicerone censente, denegandam: & pag. 102. n. 27. locutionem, qua μία pro πρώτη ponitur, quam Ebræis propriam multi existimant, & Josephus singulari volumine probare voluit, Dionysio etiam usurpatam esse, alia alibi diligenter observat: quod & in rejectis ad calcem libri Indicibus Bircoviique exemplis Latinis, Græcis Dionysii respondentibus, egregie præstat: prorsus ut & reliquos Dion. Halicarnassei tractatus oratorios, versione adhuc ornamentisque suis destitutos, pari modo a Viro docto ornari, sicque rem literariam adjuvari optandum sit.

HISTOIRE DE LA REPUBLIQUE DE VENISE.

i. e.

HISTORIA REIPUBLICÆ VENETÆ, PER BAPTISTAM NANI, Equitem & Procuratorem D. Marci. Pars Secunda. T. I. & II.

Amstelodami, apud Henricum Schelte, 1702, in 12.
Constant Alphab. 2. plag. 1. plurimisque fig. æn.

JAmdudum accuratissimos hosce de rebus Venetorum Commentarios, Italico sermone conscriptos, versare cœpit ætas nostra, ut adeo non sit, cur novitatis gratiam libro conciliare satagamus. Ast cum postrema hæc pars præsenti habitu nunc demum in publicum prodeat, quo Abbas Tallemantius, Academiæ Richelianæ haud ignobile nomen, ante hos XX circiter annos priorem induerat, Historiæ studiosis id indicare, nostri muneris esse duximus. Pluribus enim expeditior esse solet scientia linguæ Gallicæ, quam Hetruscæ, illisque adeo nuncium sit, oportet, longe acceptissimum, versionem tam celebris Historiæ integram tandem prostare. Præ-

terea anonymi noſtri Interpretis, qui ex modeſtia poſt tabulam latere voluit, impenſam operam vel ideo ad palatum fore judicamus, quoniam Autoris ſui mentem fideliter & copioſe non modo exprimere ſtuduit, & ſicubi archetypi verba peregrini idiomatis ornatum haud omni ex parte admiſerunt, in infima pagina vel ad marginem illa collationis inſtituendæ cauſa locavit, verum etiam obſervatiunculas ſubinde adſperſit, quæ Lectoribus penitiorem locorum & dignitatum notitiam recludunt. Ipſius autem Hiſtoriæ filum ab anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo quarto, usque ad annum ſeptuageſimum primum pertendit, diuturni illius belli Cretici, a Venetis magna armorum contentione cum Turcis geſti originem, ſucceſſus atque exitum imprimis complectens, ita tamen, ut, quemadmodum Principum & Rerumpublicarum in Europa commoda ad inſtar ingentis horologii ſe habent, in quo unius rotulæ motu reliquæ fere omnes circumvertuntur, ſic quoque Excellentiſſimus Autor patriæ ſuæ res traditurus, præcipuos totius Europæ eventus compendioſe quidem, ſed tanta cum cura in conſpectum agat, ac ſi teſtis ocularis ubique adſtitiſſet. Quod eo minus mirum videri debet, modo perpendatur, eum ſplendidiſſimas Legationes ad Regem Galliarum, Imperatorem noſtrum & Pontificem Maximum diverſis vicibus obiiſſe, ſummos inſuper in Republica ſua honores ſuſtinuiſſe, denique e plurimis aliis a Senatu unice fuiſſe delectum, ut patrias res conſignaret. Satis enim ſuperque omnia iſta arguunt, illum & voluiſſe & potuiſſe non niſi vera atque exacte comperta memoriæ tradere, ut optandum omnino eſſet, non aliis, quam ſimilis dignationis viris Hiſtoriographi ſpartam demandari.

LIBRI NOVI.

Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Eccleſiaſtiques, par Mr. L. Ellies Du Pin. Tome XIII & XIV. Des Auteurs du XVI Siecle de l'Egliſe. A Paris, chez André Pralard, 1703. 4.

Legum Miſchnicarum Liber, qui inſcribitur Ordo Sacrorum, cum Maimonidis & Bartenoræ Commentariis integris. Latinitate donavit ac Notis illuſtravit Guilielmus Surenhuſius. Pars V. Amſteladami excudunt G. & J. Borſtii, 1702. fol. *Nico-*

Nicolai Gürtleri Systema Theologiæ Propheticæ. Amstelædami apud Borstios, 1702. 4.

Samuelis Pufendorfii Introductio ad Historiam Europaam, Latine reddita a Jo. Frid. Cramero. Editio tertia Compendio Historiæ Sueciæ aucta. Ultrajecti, apud Guil. van de Water, 1703. 8.

Laurentii Begeri de Nummis Cretensium serpentiferis Disquisitio Antiquaria, qua Cretensium ab Asia, Asiaticorumque a Serpentibus credita origo adstruitur. Coloniæ Marchicæ, typis Ulrici Liebperti, 1702. fol.

Colloquii quorundam de tribus primis Thesauri Antiquitatum Græcarum voluminibus ad eorum Authorem Relatio. 1702. fol.

Acta Litteraria ex Manuscriptis eruta atque collecta, cura Burcardi Gotthelffii Struvii. Jenæ, apud E. Cl. Baillar, 1703. 8.

Arcana Bibliothecæ Thomanæ Lipsiensis sacra, retecta a M. Heinr. Pippingio, in Æde Thomana Verbi Divini Ministro. Lipsiæ apud J. L. Gleditschium, 1703. 8.

Antonius Sidobre de Variolis & Morbillis. Accedit Caroli Drelincurtii de eodem argumento Dissertatio. Lugd. Bat. apud Andr. Dyckhuisen, 1702. 8.

Traité des Aliments, par M. Louis Lemery. A Paris, chez J. B. Cusson & P. Witte, 1702. 12.

Recueil des Voyages qui ont servi à l'Etablissement & aux Progres de la Compagnie des Indes Orientales dans les Provinces Unies des Pais-bas. A Amsterdam, chez Estienne Roger, 1702. 12.

Memoires du Comte de Vordac, General des Armées de l' Empereur. Sur la copie imprimée à Paris, chez Gu. Cavalier, 1703. 12.

L' Ecole du Monde, par Mr. Le Noble. Nouvelle edition. Suivant la copie à Paris, chez Martin Jouvenel, 1702. 12.

Histoire Abregée d' Espagne. Traduit de l' Anglois. A Utrecht, chez Guilaume Poolsum, 1703. 12.

Les Metamorphoses d' Ovide, avec des nouvelles Explications Historiques, Morales & Politiques sur toutes les Fables. Edition nouvelle, enrichie de tres-belles Figures. A Amsterdam, chez P. & J. Blaeu, Janssons à Waesberge, Boom & Goethals, 1702. fol.

Dictionaire Royal, François & Anglois. Par Mr. Boyer. A La Haye, chez Adrian Moetjens, 1702. 4.

De Tribus Judæorum Sectis opuscula Nic. Serarii, Joh. Drusii, Jos. Scaligeri. Jacobus Triglandus Diatriben de Secta Karæorum adjecit. Delphis, apud Adr. Beman, 1703. 4.

Christoph. Helvici Elenchi Judaici, Antonii Probi Oratio de Monarchia regni Israëlis, Raph. Eglini Captivitatis Babylonicæ Historia. Cum Thomæ Crenii præfatione, notis & indice. Lugd. Bat. apud Abr. de Swart, 1702. 4

The History of the Apostles Creed, with Critical Observations on its several Articles. Londini, apud Jonathan Robinson, 1702. 8.

Apologie de la Mission de S. Maur Apôtre des Benedictins en France, par Dom Thierry Ruinard. A Paris, chez Pierre de Bast, 1702. 8.

Histoire de l' Academie des Sciences. Année 1699. Avec les Memoires de Mathematique & de Physique pour la même année. Tirez des Registres de cette Academie. A Paris, chez J. Boudot, 1702. 4.

Les Origines de la Ville de Caën & des Lieux Circonvoisins. A Roüen, chez Maury, 1702.

Constitutiones de Primitivis R. Mosis F. Maimonis, collatis quibusdam editionibus cum versione Latina & notis philologicis exhibitæ a Johanne Rodolpho Cramero, Tigurino. Lugd. Bat. apud Henr. Teering, 1702. 4.

Momentum Controversiæ de Morte Corporali, ponderatum & explicatum a Jac. Rhenferd, ad tollendas suspiciones & minuendas lites. Franequeræ, apud Franc. Halmam, 1702. 4.

Christiani Schlegelii de Nummis antiquis Isenacensibus, Mulhusinis, Northusinis & Weissenseensibus Exercitatio Historica. Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1703. 4.

Sanctorii Sanctorii de Statica Medicina Aphorismorum Sectiones septem: cum commentario Martini Lister. Editio nova. Lugd. Batavorum, apud Corn. Boutestein, 1703. 12.

*** *** ***

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Februarii, *Anno* M DCCIII.

THEATRUM PRUDENTIÆ ELEGANTIORIS, EX Justi Lipsii Libris Politicorum erectum a JO. FRIDERICO REINHARDO, Regio atque Electorali Consiliario Saxonico. Cum præfatione CONR. SAM. SCHURZFLEISCHII.

Vitembergæ apud J. G. Meyerum & G. Zimmermannum, 1702, 4.

Constat 10 Alph. 20 plag.

CUm permagna sit prudentiæ civilis utilitas, præsertim ejus, quæ elegantiam habet adjunctam, fieri aliter non potest, quin idoneæ rationes & præcepta ab arte, exempla autem & adjumenta agendi ab historia & rerum usu petantur. Quod institutum laudis plenum cum pari dexteritate suscepit inclyti nominis Vir, *Joannes Fridericus Reinhardus*, Regius & Electoralis Consiliarius Saxonicus, qui cum in maximis patriæ negotiis summa cum dignitate versatur, tum a se non alienum duxit, rationem inire, quemadmodum civili doctrinæ novum decus ornamentumque afferret. Quo in opere non tantum has partes agit, quæ ad interiorem disciplinæ civilis cognitionem spectant, sed etiam in tractandi munere aptissimum, & J. Lipsio simillimum ordinem servat, multis vero & prope infinitis accessionibus res ab eo traditas adauget. Prius vero, quam in hanc viam ingressus est, luculenti, quod emisit, operis dedicationem Potentissimo, & primo Christiani nominis in Prussia Brandenburgiea Regi, FRIDERICO, sacram esse voluit, cui non minus religionem

originarii civis, quam gratulationem devoti clientis, publice testatam fecit, adeo ut magnitudini regiæ scribendi facultate responderet pariter, atque in epistola orationis panegyricæ dignitatem comprobaret. Tanta enim gravitate scripsit, ut omnium seculorum ætas jure aspiciat, votaque nuncupata libenter legat, & posteritas exemplum pietatis imitetur. In opere, cui titulum scite prorsus & apposite fecit, perpetuus continuatusque commentarius inest, in quo perpulchræ animadversiones, quæ historiæ & prudentiæ civilis intersunt, tanquam gemmæ, claris nativæ bonitatis signis passim lucent, & suo quæque loco nitorem servant. Ceterum fundamento imperiorum religione & justitia præstructo, quædam Lipsii consectaria, quæ nonnihil ab utraque reflectunt interdum, caute legenda, & scopulorum instar vitanda admonet ac tempestive docet. Simul idoneos veræ & elegantis prudentiæ fontes aperit, & modo exemplis instruit, modo rationibus confirmat, memorabiles ubique sententias, ex veteri & nova, inprimisque ad hodiernas res utili historia subjungens. Ut adeo hic in togæ bellique negotiis sive adjumenta, sive ornamenta, quibus theatrum elegantioris prudentiæ tanquam ex columnis, quæ sex Politicorum Lipsii libris respondent, constitutum est, omnino reperiamus. Casus etiam, eventorumque capita, ad regulas doctrinæ civilis exigit, & pulchre expendit, atque elegantiam cum utilitate conjungit. Digressiones quoque instituit, quæ concinnitatem operis augent, & prudentiæ condimenta sunt, & eo majorem elegantiam conciliant, quoniam non modo ad facta, eorumque causas, sed etiam ad elogia, & variam multiplicemque notitiam omnis generis scriptorum referuntur. Quibus rebus illustris Auctor ad verum decus omnia subsidia comparavit, ut non tantum ad elegantiorem prudentiam, sed etiam ad elegantiores quasque doctrinas, & ipsa adeo humanitatis studia, viam commonstret. Plura deinceps ab illustris Viri locupletissimo penore, quæ ad res Germanicas seposita reconditaque habet, expectamus.

A SHORT VIEW OF THE CHRONOLOGY of the Old Testament &c.

h. e.

BRE-

BREVIS CONSPECTUS CHRONOLOGIÆ VETERIS Testamenti & Harmonia quatuor Evangelistarum. Auctore GUILIELMO WHISTONO, M. A. & Mathematum in Academia Cantabrigiensi Professore.

Cantabrigiæ ex typographia Academica. Prostat Londini apud B. Tooke, 1702, 4.

Constat 3. Alph. 2. pl.

Cum sacra Chronologia plurimis adhuc defectibus scatere visa fuerit Clarissimo Auctori, ille eandem ut magis expoliret pleniusque excoleret, præsentem librum luci publicæ exposuit. Dum vero eum recensere aggredimur, nemo a nobis expectet, ut singula, quæ erudite insperguntur, attingamus, aut, quomodo difficultates Chronologicæ hinc inde occurrentes evolvantur, prolixe exponamus: potius partes nostras implevisse videbimur, si hypotheses, quibus omnis computandi ratio superstruitur, ea qua fieri potest brevitate enarremus, Lectoremque adeo de Auctoris sententia certiorem quodammodo reddere studeamus. Quemadmodum ergo Whistonus in hocce libro mathematico scribendi genere usus est, ita primum V. T. Chronologiam expositurus, sex postulata, quæ vocant, seu axiomata in medium producit, in quorum primo, obvium sive litteralem Scripturæ sensum, nisi ratio quædam evidens obstet, verum realemque esse adserit. Axiom. I.
In secundo, e duobus aut pluribus cujusdam loci sensibus, cum authentico textu æque conspirantibus, illum semper præferendum esse docet, qui cum reliquis Scripturæ dictis, & veterum auctorum testimonio magis convenit. II.
In tertio, statuendum esse scribit, quemvis scriptorem communi stylo, anno & computatione ævi sui suæque gentis usum fuisse, nisi aliæ rationes contrarium suadeant. III.
In quarto, sperandum esse ait; fore, ut difficultates in sacris litteris adhuc reliquæ, si nempe diligenter examinentur, eadem ratione evolvantur, qua hactenus plurimæ ejusmodi difficultatum, licet primum insuperabiles visæ sint, fuerunt resolutæ. IV.
In quinto, antiquissima mundi ætate, cum longævitas hominum eos magis validos, sanos atque vegetos, quam hodie, argueret, tempus V.

sobolis procreationi aptum, ex proportionis norma æque definiendum esse dicit, ac nostro seculo, quo vitæ mortalium brevitas majorem corporis debilitatem atque infirmitatem indicat. Ita si ab anno 14 usque ad 60 homines procreationi idonei credantur nostris temporibus, quibus ultra octogesimum ætatis annum paucissimi procedunt; tempus generationis ab eodem anno 14 usque ad sexcentesimum tum durasse dicendum esse, cum homines octin-
VI. gentesimum ætatis annum attingerent. In sexto adfirmat, quod, si Græcus N. T. textus, utpote authenticus, in Harmonia quatuor Evangelistarum, omnium confessione observandus sit, textus Hebraicus V. T. in Chronologia V. T. itidem tanquam dux respici debeat. Neque magis æquum esse, septuaginta-viralem versionem Veteris T. Ebræo, quam vulgatam Latinam Novi Testamenti Græco textui præferre.

Hisce sex axiomatibus, absque ulla ulteriori deductione propositis, octo hypotheses sive observationes subjungit Auctor, quo-
Hypothes. I. rum summa huc redit: Providentiam divinam in variis revelandi methodis, quibus ipsa usa sit, duplicem eumque admodum discrepantem scopum habere, nimirum tum malorum cespitationem atque lapsum, tum bonorum incrementum ac ædificationem: hos, utpote mansuetos, dociles, diligentes ac virtuti deditos instruendo; illos vero, tanquam superbos, obduratos, ignavos atque
II. profanos, de iis, quibus instrui possent, celando. Propterea non mirum esse, quod iste liber, qui voluntatem Dei revelatam continet, ita sit conscriptus, ut ad pios exercendos, impios vero magis occæcandos, contradictiones varias, quamvis non reales, sed adparentes solum, comprehendat. Cum vero ipse Auctor hanc sententiam paradoxam videri moneat, eam non modo Scripturæ sacræ dictis, e. g. ex Jes. VI, 9. 10. Dan. XII, 10. Matth. XI, 25. 26. XIII, 10. 15. Luc. XII, 21. VIII, 10. Marc. IV, 10. 11. 12. Jo. VII, 17. IX, 39. XII, 37-40. aliisque locis confirmare nititur, sed etiam cum justitia atque bonitate Dei maxime convenire existimat, quod & hominum quorundam malitia hanc vindictam divinam mereatur, & Deus constantem nec ulla ratione corrigendam eorum impietatem prævideat, & increduli hac ratione magis excusabiles red-
III. dantur, mitioribus ideo pœnis adfligendi. Porro Whistonus statuit,

tuit, Historicos sacros cujusque Regis imperium ab illo tempore computare, quo primum suprema potestate potiti fuerint, quamvis eam vivis adhuc antecessoribus suis exercuerint, qua quidem in re a profanorum Auctorum consuetudine recedant. Eosdem sa- IV.
cros Historicos exacte inter regnum *imperfectum* atque *completum* distinguere; quorum illud tempus respiciat, antequam Reges regiam civitatem obtinerent, & ejusmodi phrasibus exprimatur, *Hic regnavit in Israel, aut Juda*; hoc vero tum intelligatur, cum urbem regiam Reges habitarent, & ita innuatur: *Hic regnavit Hierosolymis, Tirzæ, aut Samariæ*, sive: *Hic regnavit per omnem Israel, aut per omnem Judam*. Interregna, qualia in reliquarum V.
gentium annalibus consignata leguntur, aliquando etiam in Regum Israeliticorum atque Judaicorum historia præsumenda esse. An- VI.
nos in Chronologia sacra accuratissime computari, nec annum notatum pluribus quam sex mensibus a se ipso vel prorsum vel retrorsum discedere. Neque tamen hanc exactam annorum computationem VII.
impedire, quo minus sacris scriptoribus, perinde uti aliis quibusvis, liberum fuerit, aliquando in enarrandis levioris momenti factis, rotundo quodam numero pro magis certo uti. Ita Genes. XV, 13. numerum 400 annorum inveniri, cum tamen ex Chronologia aliis in locis accuratius tradita, annos 405 numerandos esse pateat. Vi- VIII.
tam denique hominum non prius usque ad 70 aut 80 annos decrevisse, quam temporibus Regis Davidis; id quod exemplorum inductione Auctor probat.

Octo hypotheses seu observationes, quas jam enumeravimus, sequuntur XVII Propositiones, quas ita, uti Whistonus eas exhibuit, in medium proferre liceat. I. Optimus ac utilissimus Propos.
in Chronologia sacra, ubi sacri scriptores silent, daduchus est I.
Ptolomæi Mathematicus Canon. II. Ille annus Judaicus, secun- II.
dum quem divini auctores, post diluvium, aut saltem post exitum Ægyptiacum, varia intervalla computant, erat aut vere Solaris, aut Lunaris idoneis intercalationibus Solari ita adaptatus, ut quodammodo comparari cum hoc potuerit. III. Annus, quem Jeroboamus in- III.
stituit, cum decem tribus ad idololatriam perduceret, atque adeo annalibus regni Israelitici partim uteretur, undecim saltem mensibus constitit, & ad revolutionem usque, quæ Jehu tempori-

IV. bus evenit, duravit. IV. Contradictiones istæ adparentes, quæ
in libris historicis post captivitatem Babylonicam scriptis, nempe
in Chronicis, nec non Ezræ ac Nehemiæ monumentis, occurrunt,
non pro veris difficultatibus, quæ ex ipsa V. T. Chronologia or-
tum trahant, sed potius pro exemplarium nostrorum sphalmatis re-
V. putandæ sunt. V. Annorum series a creatione usque ad æram
Christianam conjunctim considerata, in numerum maximarum diffi-
cultatum, quas Chronologia V. T. habet, referenda haud est. VI.
VI. Abrahamus natus fuit, cum pater ipsius Terah centum & triginta
VII. annos implesset. VII. Periodus 430 annorum, quibus Israelitarum
peregrinatio duravit, non ad illud tempus, quo in Ægypto substi-
terunt, restringenda est, sed potius omne præteritum spatium in-
cludit, ex quo Abrahamus Cananæam terram ingressus est. VIII.
VIII. Iidem 430 anni ab eo tempore initium capiunt, quo Abrahamus
IX. 75 annos natus erat, & de Haran egrediebatur. IX. Spatium quod
inter egressum Ægyptiacum & templi Salomonæi fundationem in-
X. tercedit, 480 annos complectitur. X. Inter initia regni Reho-
boami, Regis Judæ, & cædem Ahaziæ, Regis Judæ, nec non Jeho-
rami, Regis Israel, a Jehu peractam, anni novem & sex circiter
XI. menses interpositi fuerunt. XI. Spatium interregni Jehu, Re-
gis Israel, & Athaliæ, Reginæ Judæ, primordia, & inter captivi-
tatem decem tribuum sub Shalmanesaris imperio, annos 163 &
XII. menses duos comprehendit. Inter captivitatem decem tribuum, &
XIII. conflagrationem templi, intervallum 134 annorum & duo-
rum mensium circiter interjacet. XIII. Celebris illa Judæorum
captivitas, quæ ad septuaginta annos duravit, a primordiis regni
Nebuchadnezzaris, Babyloniæ Regis, & anno imperii quarto Je-
XIV. hojakimi, Regis Judæ, initium cepit. XIV. Chronologiam regno-
rum Israel & Juda, celebre Ezechielis vaticinium, quod capite IV, v.
XV. 5. 6. extat, maxime stabilivit. XV. Spatium, quod conflagratio-
nem templi & initium æræ Christianæ intercedit, 587 annos &
XVI. quatuor circiter menses efficit. XVI. Chronologia Sinensium, si
recte intelligatur, accurate convenit cum ea, quam V. T. textus
XVII. exhibet. XVII. Computatio numeri hominum jam jam in orbe vi-
ventium, & spatii, quod juxta proportionem multiplicationis &
incrementi eorum, ad complendum istum numerum requiritur, iti-
dem

dem eam V. T. Chronologiam confirmat, quam Hebræus codex nobis suppeditat.

His omnibus itaque fundamenti loco præmissis, ipsum canonem Chronologicum, ab orbe condito usque ad æræ Christianæ initium, sequentem in modum exhibet: Ab autumnali æquinoctio, creationi primi hominis proximo, ad illud, quod in finem diluvii incidit, annos 1656; hinc usque ad Abrahami de Haran egressum, annos 426 & menses sex; hinc usque ad exitum Ægyptiacum, annos 430; hinc ad ædificationem templi Salomonis, annos 479 & mensem unum; hinc ad hujus conflagrationem, annos 424 & tres menses; hinc ad initium æræ Christianæ 587 & menses quatuor computat, quæ periodi si conjunctim sumantur, annos 4003 duosque menses efficiunt.

Et hæc quidem, subjunctis ad calcem tabulis Chronologicis Regum Israeliticorum ac Judaicorum, circa V. T. Chronologiam Whistonus monet. Jam ad quatuor Evangelistarum Harmoniam gressum promovet, illiusque brevem conspectum exhibiturus, sequentes propositiones lectoribus ob oculos ponit. I Quatuor Evangelia nequaquam narrationes confusæ sunt, sed potius actorum Christi annales ita conscripti, ut in illis methodus ac temporis ordo omnino observetur. II. Prior Evangelii Matthæi pars in nostris codicibus perperam collocata conspicitur, dum methodo ac temporis ordini, quem tamen maxime Evangelista intendit, adversatur. III. Singuli Evangelistæ in omni historia, quam enarrant, temporis ordinem studiose observant. IV. Matthæus, Marcus & Lucas, qui juxta antiquorum pariter ac recentiorum interpretum sententiam, stante adhuc Judaica republica Evangelia sua conscripserunt, Judaica computandi ratione utuntur, adeoque ab ortu Solis diem, ab illius vero occasu noctem ordiuntur. V. Joannes, qui, uti omnes interpretes consentiunt, longo intervallo post Hierosolymæ devastationem & reipublicæ Judaicæ interitum Evangelium suum composuit, Ephesi, in urbe a Judæa longe dissita & sub Romana ditione sita degens, Romana aut Juliana numerandi ratione utitur, horasque perinde ac nos hodie, a noctis ac diei medio computat. VI. Similitudo, quam quædam conciones atque miracula Servatoris nostri, in diversis Evangeliis memorata, inter se habere

bere videntur, non ſatis probat, illa eſſe eadem, ſi ordo hiſtoriæ diverſis ea temporibus adſcribenda eſſe doceat. VII. Prior Evangelii Joannis pars, usque ad ſextum caput, primordia miniſterii Servatoris enarrat, quod ante cœptam publicam evangelii prædicationem in Galilæa privatim exercuit. VIII. Miniſterium Chriſti, tum quoad prædicationem, tum quoad baptizationem, tum quoad miracula, mox poſt Joannis Baptiſtæ miniſterium, prope initium anni decimi quinti Tiberii Cæſaris, adeoque diu ante baptiſmum ipſius cœptum eſt. IX. Paſchata, durante Chriſti miniſterio, quinque numero inciderunt. X. Primum eorum A. D. 29 fuit celebratum. XI. Conſcriptio Judæorum mox ante Chriſti nativitatem inſtituta fuit, ipſum vero tributum non prius, quam Archelao in exilium miſſo, ac Cyrenio Syriæ gubernaculis admoto, fuit exactum. XII. Herodes Judæorum Rex ſeptimo die menſis Casleu ſive 25 Novembris A. P. J. 4710, adeoque tribus annis & ſupra menſem ante æram Chriſtianam, diem ſupremum obiit. XIII. Joannes Baptiſta initio Septembris A. P. J. 4709 conceptus fuit. XIV. Servator noſter ante Herodis mortem menſe circiter natus eſt. XV. Genealogia, quam Matthæus conſignavit, Joſephi, Mariæ conjugis, familiam reſpicit. XVI. Genealogia, quam Lucas conſcripſit, eſt ipſius Servatoris e Maria nati. XVII. Genealogia, quam Lucas a Maria deduxit, ab ea Joſephi, quam Matthæus exhibet inde a Davidis temporibus, plane diverſa eſt. XVIII. Servator noſter per integrum duorum annorum & ſex menſium ſpatium, nempe a ſecundo Paſchate usque ad tabernaculorum feſtum mortem ejus antecedens, ab Hieroſolymis abfuit. XIX. Quamvis Servator & reliqui Judæi omnes paſcha uſitato tempore, nempe veſpertino, poſt decimum quartum diem menſis Niſan manducaverint; Synedrium tamen Judaicum, aut ſaltem maxima illius pars, illud demum proximo mane inter ſecundam & quartam horam celebrarunt. XX. Chriſtus 3 Aprilis A. P. J. 4746, qui eſt A. D. 33, cruci adfixus fuit.

His ergo propoſitionibus adductis, ipſam Evangeliſtarum harmoniam Auctor exhibet, & fixis a Joannis conceptione, usque ad Chriſti in cœlum adſcenſionem, certis periodis, quatuor Evangeliſtarum hiſtoriam ita imprimi curavit, ut ea, quæ conjungenda ſunt, ſibi

sibi invicem accurate respondeant. Quo vero illa, quæ prolixius dicta fuerunt, lectores in compendio legere queant, istam quatuor Evangelistarum harmoniam, quæ maximam libri partem efficit, in fine ejus in epitomen redegit, atque præterea Canonem Ptolomæi Astronomicum subjecit, utpote quem Noster summa auctoritate pollere arbitratur.

THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONUM PHIlologicarum & Historicarum Pars XI.

Lugduni Batavorum, apud Abrah. vander Myn, 1702, 8. plag. 18.

ANimadversionum Doctissimi Crenii pars undecima, Henrico Eschero, amplæ spei Juveni, Henrici, Consulis hodie Tigurini, nepoti inscripta tantum abest, ut a partium antecedentium Decade, si eruditionem spectes, recedat, ut novæ potius decadis, quam cum litterato orbe imposterum communicatum iri speramus, dignissimum auspicium nuncupari mereatur.

Et pro recepta quidem consuetudine, a variis Autorum quorundam celebrium editionibus initium fit, locusque primus hac vice assignatur Appulejo, (ita enim, non Apulejus, scribendum esse nomen hoc statuitur,) quem mox Historiæ Augustæ scriptores minores excipiunt, & his postremo Statius Poeta comes additur. Sed major est illorum scriptorum numerus, quorum libros in repetitis editionibus non raro castratos esse a Pontificiis, Autor observat, ex qua classe Emanuelem Sa, Didacum Stellam, Alphonsum a Castro, Theodorum Bezam, Jo. Cantacuzenum & Georgium Phranzam nominare placet. Non in omnibus Bibliorum interlinearium Benedicti Ariæ Montani, Antverpiæ A. 1584 editorum, atque a Theologis Lovaniensibus approbatorum, exemplaribus verba hæc: *accesserunt & huic editioni libri Græce scripti, quos Ecclesia orthodoxa Hebræorum Canonem secuta inter Apocryphos recenset, cum interlineari interpretatione Latina ex Bibliis Complutensibus petita*, reperiri p. 96 innuit, istaque occasione & de Bibliis polyglottis, ejusdem Ariæ Montani studio atque opera, Philippi vero II, Regis Hispaniæ, jussu atque liberalitate, A. 1572 ex officina

H Chri-

Christoph. Plantini, Antverpiani typographi, editis prolixe disserit.

Multum juvant & delectant judicia non minus ac litterariæ narrationes aliæ, quæ de Petro & Andrea Colviis p. 16. & 35. de Caspare Gevartio p. 70. s. Emerico Cruceo p. eadem, Sibrando Luberto, p. 120. Sam. Maresio, p. 124. Draudio, p. 193. Bellarmino p. 199, Hermanno Buschio p. 265 aliisque suppeditantur. Ex his notatu imprimis dignum est singulare fatum Colvii, qui post multos labores in Asinum Appulejanum impensos, calce mulæ ictus periisse p. 17. memoratur. Quorundam scripta in locis præcipuis examinavit Autor, & Nicetæ præ reliquis Choniatæ Thesaurum orthodoxæ fidei, p. 233. s. Aliorum errores reteguntur, utpote Levini Torrentii, p. 236. s. ut plures ne attingamus. De Aristotele, an Judæus a Clearcho Peripatetico dicatur? p. 107. & an illius fœtus genuinus sit liber de mundo? p. 111 disquiritur.

Neque tamen circa solos Autores occupatur Noster, sed erudita quoque passim interspergit alia, velut ubi de symbolis Virorum Clarissimorum, p. 128. sqq. de corvis sitibundis, p. 168. de prima horologiorum inventione, p. 169. de difficultate versionem per omnia elegantem atque accuratam adornandi, p. 203. s. de polygamia apud nationes plurimas olim recepta, p. 230. agit. Philologica sunt, quando, quid annonæ vox in singulari & plurali notet? p. 171. quæ sit Hispaniæ etymologia? p. 197. num juventa, juvenilitas & juventus recte dicantur, & quæ sit vocabulorum horum differentia? p. 263 disputat.

Loca Scripturæ Neh. II, 8. p. 157. Dan. VII, 24. p. 159. Job. XXXIII, 29. p. 160. 2. Cor. XII, 8. p 162. Jes. XXXIV, 14. p. 166. 2. Reg. XX. 11. p. 170. illustrat.

E manuscripto quodam Morhofii de historia litteraria & locis communibus, exemplum producit p. 76. s. excerptorum criticorum & exegeticorum e Statio. Ex epistolis vero nunc primum publicatis, ob elegantem, quam præ se ferunt, eruditionem, præ cæteris duæ illæ commendari merentur, quas ad Autorem scripsit Wunstorfiensis Præsul, D. Polycarpus Lyserus, quæque p. 186. s. comparent.

ACTA

ACTA LITTERARIA EX MANUSCRIPTIS ERUTA, atque collecta, cura BURCARDI GOTTHELFFII STRUVII.

Jenæ, apud Erneſtum Claudium Baillar, 1703, 8. pl. 14.

CUm in multis Germaniæ Academiis mos invaluerit, ut variæ vel obſervationes, vel acta & recenſiones ad rem litterariam ſpectantes edantur, non a munere ſuo alienum putavit Auctor Clariſſimus, quin in Salana Academia idem primus tentaret, diverſo tamen ab aliis inſtituto. Cum enim alii in libris editis recenſendis occuparentur, (quod ipſum quoque ſingulis hebdomadibus, in converſationibus litterariis ab eodem inſtitutis, ibidem agitur) ipſe de manuſcriptis agere conſtituit: ita ut quæ ex bibliothecis nanciſci poterit ἀνέκδοτα, vel inſerat integra, ſi non adeo magnæ molis, vel eorundem ſaltim recenſionem ſuſcipiat, eadem ſecundum auctorem, ætatem, ornatum, contenta vel criteria alia examinando: ſæpe, ſi impreſſa, jam cum editis conferendo. Præmittit huic parti, quam primam eſſe voluit, de criteriis manuſcriptorum elaborationem propriam, ubi primo de auctoribus agit, qui ad hæc cognoſcenda inſervire poſſint, in quibus commendat præ cæteris Mabillonium. Deinde pergit ad ſcribendi modum, quem varium fuiſſe dicit, velut in arborum foliis, corticibus, ſaxis, cera, linteo, plumbo, ligno, ebore; ſuæ autem tantum conſiderationis facit chartam atque membranam, & quidem hujus uſum antiquisſimum eſſe dicit. Hæc excipit forma codicum, quæ frequentior in modum libri: hanc ſcriptura, quæ fiebat vel atramento, vel minio, quo ultimo etiam rubricas diſtinguebant. Pretioſioris autem commatis codices facit, qui in membranis purpureis auro argentoque deſcripti, vel auro & variegatis coloribus fuere diſtincti, qui dicuntur codices aurei vel argentei. Circa picturas vero codicum adnotat, ſimpliciorem circa figurarum proportionem & colorum mixtionem fuiſſe priſcam ætatem; in puris coloribus accuratiorem. Progreditur ad varia ſcripturarum genera, ubi primo de litteris Latinis agit, e quibus quadratas fuiſſe antiquiſſimas probat, ita tamen, ut in familiari ſcribendi conſuetudine rotundis uterentur, quæ ob celeriorem ſcriptionem quaſi in globulos cur-

varentur. Ab his tamen & majuſculis diſtinguit adhuc unciales, quæ uncia, ſeu pedis duodecima parte conſtabant: ſcripturam tamen minutam, uti quidam velint, apud Romanos in uſu fuiſſe, plane non concedit. Hanc ſcripturam quadratam & majusculam manſiſſe dicit usque ad ſeculum V, ita ut nulla alia fuerit in uſu. Ab hac ſcriptura antiquiſſima progreditur ad interpungendi modos, & quidem ubi nullæ nec vocum nec periodorum extent diſtinctiones, ſummam notam eſſe dicit antiquitatis: poſtea voces, hinc ſententias tantum abſolutas punctis cœpiſſe interdiſtingui, litteris tamen inter ſe connexis. Seculo demum quinto diſtinctiones, prout hodienum uſitatæ, cœperunt, ſed cum privati adhuc uſus eſſent, Carolus M. demum diſtinctiones reſtituit. Tertiam antiquitatis notam ponit in orthographia, cum loco diphthongi poneretur *e* ſimplex; littera *i* in codicibus antiquiſſimis nullo puncto præfixo adpareat, nullæ vel rariores abbreviaturæ. Tandem antiquiſſimos codices ab uno tantum membranæ latere ſcriptos ait. Progreditur ad ſcripturarum varietatem, prout per ſecula invaluerit. A ſeculo V quidem invaluiſſe dicit litteras Gothicas ſive Toletanas, ab Ulphila inventas, quæ perperam cum Runicis confundantur. Illarum autem alphabetum adducit, atque per hos characteres Romanas etiam litteras fuiſſe depravatas, ex ſcriptura Pandectarum Florentinarum probat. Poſt medium ſeculi ſexti invaluiſſe dicit ſcripturam Langobardicam, quæ communis uſus fuerit facta, quæ vel majuſcula erat, vel minor. Potiores litteræ cum noſtris, quibus adhuc utimur, conveniunt, niſi quod calamo craſſiore fuerint exaratæ, poſt ſenſim factæ nitidiores. Maxime vero nitor litterarum ſeculo nono & decimo cœpit, ita ut calligraphia pro nota antiquitatis ſit habenda, ſi modo litteræ ſint obtuſæ, characteres detriti, majores quæ ab initio poſitæ, Langobardicæ. Seculi XI ſcripturam cum priori fere convenire ait, niſi quod litteræ parum ſint craſſiores atque abbreviatæ. Codices autem ſeculi XII facilius cognoſci ex *ſ* finali & accentu in *i*: Seculi XIII ex creſcentibus abbreviaturis: Seculi XIV ex ſcriptura nimis obtuſa, craſſiuſcula, litteris preſſis, manu tremula, calamo rudi, diphthongis: Seculi XV ex punctis in ï, in cujus medio elegantia litterarum cœperit. Agit porro de codicibus Græcis, qui etiam olim litteris quadratis fuerunt ſcri-

ſcripti, vocibus uno & perpetuo ductu ſine ullo interſtitio exaratis, ſine accentibus. Hi enim muſicorum primum erant, poſtea etiam ad lectionem a grammaticis in codicibus adnotati. A ſeculo octavo invaluerunt litteræ barbaræ accentuatæ, quæ noſtris Græcis admodum conveniunt, niſi quod ſint longiores, accentus etiam aliter poſiti. Atque illud pro certo habet, quo frequentiores adpareant abbreviaturæ, eo codicem eſſe antiquiorem. Francicæ litteræ difficillimæ erant, quæ ad tempora Caroli Calvi a quibusdam fuerunt ſervatæ. Alia vero erat diplomatica, cujus uſus in monumentis publicis. Ultima eſt, quam adducit, ſcriptura Germanica, quam antiquisſimis temporibus cum Græca convenire dicit. Ab hac tamen diverſam fuiſſe Saxonicam, cujus characteres addit, eamque usque ad Normannorum in Anglia dynaſtiam permanſiſſe. Lingua vero Theotiſca primum ſub Carolo M. litteris Latinis ſcribi cœpit, ita ut in eadem ſimilia fere criteria obveniant, ac in codicibus Latinis. Tandem etiam ex codicum compactura de eorundem ætate judicari poſſe auctor eſt: cum videantur antiquiſſimi codices ſolis filis colligati, rarius certa ligatura compacti. Seculo XIII ligneæ tabulæ cœperunt membranis obduci, cum bullis ex orichalco, idque usque ad ſeculum XIV, quo tabulæ ligneæ corio fuſco videantur obductæ. In æſtimatione vero codicum, certum quid definire non audet, niſi quod codices ἀνεκδότες, membranaceos, antiquiores, aureos vel argenteos eleganter ſcriptos & bene conſervatos, reliquis præferri dicat. Hisce præmiſſis, Geſta Dagoberti Francorum Regis per monachum S. Dionyſii conſcripta, ex codice bibliothecæ Jenenſis exhibet, quem ætatem ſeculi XII ſapere, ex criteriis judicat. Primum quidem hoc ſcriptum ex latebris produxiſſe ait Andream Cheſnæum, ſed cum hujus Scriptores Hiſtoriæ Francicæ ſint rariores, idem hic, poſtquam de auctore prius diſſeruiſſet, quem Dagoberto longe inferiorem facit, integrum inſeruit. Addidit quoque obſervationes ſuas ad textum directas, in quibus varia illuſtrantur, quæ tum ad hiſtoriam vel geographiam, tum ad antiquitates Francicas ſpectant, cum vix quidpiam, quod ſingulare ſit, vel ad vitam Dagoberti, vel ad mores Francorum faciens, fuerit relictum. Alterum, cujus recenſionem ſuſcepit, manuſcriptum eſt Nicolai Schmidii, alias dicti Cüntzels von Rodenacker, MStum

varia alphabetha continens, qui cum rusticus fuerit, prius de rusticis quidem vel opificibus doctis edisserit, in quorum numero Joannem Dominicum Perum, Simonem Atheniensem, Benedictum Balduinum, sutorem olim, Jacobum Böhmium, Joannem Baptistam Gellum, Wolfgangum Musculum, Martinum Chemnitium, Dn. le Fevre, & Nicolaum Borbonium, ex opificibus factos eruditos numerat. Sic etiam exemplum rustici, qui in sepulcro Francisci Petrarchæ sepeliri voluit, adducit. Pergit ad vitam Schmidii, ex vico Rodenacker, territorii Comitum Ruthenorum. Progreditur ad ipsum manuscriptum, quod adhuc in templo Gerano adservatur, ejusque dedicationem Comitibus Ruthenis factam, integram inserit. In ipso manuscripto contineri dicit alphabetha centum triginta & ultra, linguarum tum Orientalium tum Occidentalium, atque orationem Dominicam in linguis 51 præcipuis scriptam, ita ut res in rustico admiratione sit digna. Tertium manuscriptum est Thomæ Müntzeri, cum ad librum visionum Hildegardis, qui æque in bibliotheca templi Gerani adservatur, multa adnotaverit de prophetiis. Ultimo loco vitam Vicelini, Præpositi in Neumünster Holsatiæ, adducit ex MSto, & cum hoc partem primam concludit. Cum autem plura ἀνέκδοτα, maxime eruditorum virorum epistolas, se servare profiteatur, quolibet semestri tempore continuaturum se hunc laborem pollicetur. Omnes autem eruditos rogat, ut, si habeant, quæ inseri velint de manuscriptis, eadem cum ipso communicent, atque hoc institutum promoveant, se honorem illis debitum in ipso scripto, aliaque officia præstiturum promittens.

TRIUM SCRIPTORUM ILLUSTRIUM DE TRIbus Judæorum Sectis Syntagma. JACOBUS TRIGLANDIUS, J. F. J. N. Diatriben de Secta Karæorum adjecit.

Delphis, apud Adrianum Beman, 1703, in 4.
Alphab. 6. plag. 12.

NOvantiquum haud immerito appellaveris volumen hoc, quod scripta aliquot, dudum edita & manibus Eruditorum trita

ta complectitur, sed una tamen tractatum plane novum Viri Doctissimi suppeditat.

Ad istam classem referri cupiunt trium Autorum maxime illustrium, *Nicolai Serarii*, *Joh. Drusii* & *Josephi Scaligeri de tribus Judaeorum Sectis* opuscula, quae isto ordine disposita comparent, ut primum locum occupet *Drusii de Hasidaeis* libellus, quem excipit *Serarii Trihaeresium*, mox *Scaligeri Elenchus Trihaeresii* insequitur, hinc *Serarii Minerval* & *Drusii ad hoc responsio* exhibetur, tandemque *Serarii Rabbini & Herodes*, seu de tota Rabbinorum gente, partitione, creatione, autoritate, & de Herodis Tyranni natalibus, Judaismo, uxoribus, liberis & regno, libri tres subjiciuntur.

Singula haec antiqua sunt. Novum vero opus est, quod medium inter Scaligeri Elenchum & Serarii Minerval ponitur, quodque *Jacobus Triglandius*, Patris & Avi τῶν ὁμωνύμων haeres, si praecellentem spectare eruditionem velis, ex asse composuit, dum ad typographi rogatum, suam *de Secta Karaeorum*, quam Scaliger & Drusius (quod illorum aetate parum innotuerat,) digito solum attigerunt, diatriben addidit, in qua εὐστοχίαν vindicat Scaligeri, qui Karaeis antiquitatem excidio Reipublicae & ipso Christi adventu priorem asseruit.

Equidem Sectae hujus historiam admodum incertam esse, Noster queritur, idque non alia de causa factum esse conjicit, quam quod cuncti hactenus experti fuerint librorum ab ipsis conscriptorum inopiam, ob quam praecipua, si non omnis, de eorundem institutis & dogmatibus notitia, ex Rabbinorum relatione, hoc est, juratissimorum hostium testimoniis, repetenda venerit. Pleniorem itaque narrationem exhibiturus, a nominibus exordium capit, quibus Sectae hujus asseclae ab antiquis, & maximam partem Rabbanitis, insigniantur, dum nimirum Hierosolymitani, Excommunicati, Sadducaei, Baithozaei, Haeretici, Epicuraei, Samaritani audiant. Omnium vero vulgatissimum esse nomen קראים, seu Karaeorum, observat, ideo excogitatum, quod τῷ קרא, textui, qui legitur, solique adeo legi scriptae, rejectis traditionibus πατροπαραδότοις, tenaciter adhaeserint. Quod quidem nomen per convitium quasi ipsis inditum fuisse affirmat, quanquam in illa

re

re haud peccarint, multoque minus Julii Bartoloccii cenſuram mereantur, qui omnes codices ſacros, præter Pentateuchum, ab ipſis rejectos fuiſſe aſſeruerit. Hinc ad indagandam Karæorum pergit originem, & Scaligeri ſententiam, priores eos Sadducæis facientem, longius anteponit opinioni Joh. Morini, qui ad octavi fere ſeculi finem, & infra Talmudis obſignationem, Karæorum natales deprimat. Noſter autem contra, ipſos multo antiquiores ſtatuens, mentem ſuam probat inter alia ex hoc, quod non pauca habeantur doctrinæ & rituum capita, de quibus Karæi cum Rabbanitis contenderint jam olim, longe ante obſignatum Talmud, imo ante Reipublicæ excidium; quorſum refert diverſitatem in tempore neomeniæ, mactandi agni paſchalis & comburendarum reliquiarum, in feſto pentecoſtes, expiationis, tabernaculorum, atque aliis. Quinimo & vulgo Judæorum (utut eum Chriſtianorum quoque doctisſimi ſequantur,) contradicit, qui Karæos utique veros Saducæos fuiſſe ſibi perſuadeat, & ideo, quando jam admota hiſtoriæ luce, ſcriptisque eorum conſultis, ſatis conſtet, Karæos immortalitatem animarum & mortuorum credere reſurrectionem, (id quod vehementer a Sadducæorum profana hæreſi abhorreat,) ſibi imaginetur, recentiores Karæos, impiæ iſti ſententiæ repudium mittentes, tandem pudore quaſi vel neceſſitate adactos in ea conſenſiſſe dogmata, quæ ſe negare amplius non poſſe, absque ſumma invidia & communi religionum odio, experti fuerint. Sententiæ enim huic non ſcripta ſolum Karæorum, ſed doctiorum quoque Rabbinorum conſenſum, & diſſimilitudinem multorum dogmatum, variasque rationes alias, multum repugnare innuit. Veſtigia inſuper Karæorum in Novi Teſtamenti libris quærit, eaque ſe inveniſſe exiſtimat imprimis Luc. XI, 45. ubi Νομικὸς, de injuria ſibi ſuoque ordini a Chriſto illata conqueſtus, ad ſectam Karæorum referendus videatur. His deductis cauſam indicat, cur Karæi a reliquis Doctoribus Judaicis receſſerint? horum puta ἐθελοθρησκείαν, quæ Jo. Hyrcano præter rem convitium fecerit, (quod latius enarrat,) animumque ejus ab ipſis alienatum in Karæos converterit. Ananem illum, qui ab aliquibus novæ Karæorum Sectæ autor ſtatuatur, non primitus inſtituiſſe illam, ſed reſtituiſſe, magisque firmaſſe collapſam aſſerit, deque ejus ætate, vi-

ta,

ta, instituto plura commentatur. Caput eorum in dogmaticis primarium hoc facit, quod rejecerint omnes traditiones ἀγράφυς, cumque istud palam repugnarit Pharisæis, & Karæi insuper ab his in ritualibus passim recesserint, evidens esse ait fundamentum exortæ inter hos & illos dissensionis, quam Karæorum mores ab agendi ratione istis familiari prorsus abeuntes non parum certe adauxerint, istudque odium pepererint, quod velut internecinum prolixius describit. Inde fidei, quam amplexi Karæi fuerint, articulos recenset, & aliqua eorum instituta practica commemorat. Denique de insignibus illorum Doctoribus & libris pauca disserit.

ARS MEMORIÆ VINDICATA, AUCTORE D. JOANNE BRANCACCIO JCto Panormitano. Accessit Artificium Poeticum ad Scripturas Divinas in promptu habendas, memoriterque ediscendas accommodatum.

Panormi, typis Joseph Gramignani, 1702, in 12.
Constat plag. 16.

POstquam memoriæ augendæ artem, ductu libelli a Lamberto Schenckelio olim hanc in rem vulgati, Consultissimus Autor feliciter sibi comparasset, variaque ejus prodigio simillima specimina edere cœpisset, multos invenit industriæ suæ collocatæ obtrectatores, qui vel non artificiosæ sed naturali memoriæ, vel anacardinæ confectionis usui, vel cacodæmonum ministerio, omnia ista tribuenda esse, impudentissimo ore criminarentur. Ut itaque artem tantum non conclamatam & seipsum simul a lividulorum convitiis liberaret, illius vindicias scripsit, hortatuque amicorum publicæ luci exposuit, Illustris Magliabechii studio ad nos nuper delatas. Quinque autem capitibus eædem comprehenduntur, in quorum primo veram dari excolendæ memoriæ disciplinam demonstraturus, ultro concessum iri existimat, naturam humanam ab arte pluribus modis perfici posse, quippe cujus ope Demosthenes balbutiem linguæ correxisset, Helmontius duodeviginti ab utero mutis & surdis loquelam restituisset, Raymundus Lullius intellectum idiotarum & puerorum decennium exiguo tempore omnigeno scientiarum apparatu locupletasset, adeoque ne scrupuli subesse quicquam, quin ejus auxilio & memoria ad stupendum per-

 fe-

fectionis gradum provehi queat. Sane si autoritatibus res conficienda foret, satis superque de ejus veritate constitisse ait Platoni, Aristoteli, Ciceroni, Quintiliano, Senecæ, Plotino, Alberto Magno & Thomæ Aquinati, qui tam egregiam artem pluribus commendarint elogiis, difficulter alias hederam illi appensuri, nisi ejus utilitatem luce meridiana clariorem experti fuissent. Provocat obiter ad exempla Portii Latronis, Petri Ravennatis, Matthæi Riccii aliorumque, atque objectionibus Zoilorum, qui maleficam atque mentis destructivam, impossibilem, necromanticam, onerosam potius quam compendiariam, ac denique cum Bacone & Boccalino circulatoribus propriam clamitant, brevissimis respondet. Cap. II præstantissimæ artis inventorem Simonidem Chium Poëtam Lyricum, & excultores Metrodorum Scepsium & Carneadem, nominaque Autorum porro qui justis libris illam complexi esse noscuntur, prolixa serie indicat, atque una methodum scripta eorum obscura detegendi, siquidem non adeo obvium artificium, ne forte vilesceret, Sibyllinis operire verbis, & tenebras tenebris superinducere valde amaverint. Quatuor autem esse docet, quæ illorum lectionem perplexam reddant. (1) Vocabula transpositione & additione literarum occultata, quæ nihil significantia reputantur, e. g. B OITIS OTEPERA, quæ dant *Repetitio*, JAMOG, *Imago*. (2) Dictiones, quæ longe diversam a naturali significationem obtineant, quoties e. g. ad denotandum numerum senarium stella, ad octonarium calix pingitur, ad centenarium exprimendum Christophorus scribitur. (3) Abbreviationes minus usu receptas, v. gr. Pr. pro Prosodia, Ct. pro Citatio, Au. pro Auctoritas. (4) Litteras solutas tam Græcas quam Latinas, quæ pro integris dictionibus ponuntur, e. g. K. pro Connexum, F. pro Fenestra, ξ pro Domus. In Capite III illustres viros, qui tenacissima floruerunt memoria, recensere aggreditur, quorum maximam partem hujus artis duntaxat compendio ad immortalem famam pervenisse sentit, paucis in ambiguo remanentibus, utrum naturæ solius beneficio istud existimationis impetraverint. Collocat vero eosdem juxta ordinem temporum, in quibus claruerunt, nullo discrimine gentis aut religionis habito, Troës Rutulive fuerint. E tam immenso, qui hic prostat numero, aliqua tan-

tantum noſtro ævo viciniora delibabimus exempla. Notatu autem maxime dignum eſt, quod de Corſico juvene e Mureti Variis Lectionibus lib. III c. 1 adducit, qui ingentem ſeriem vocabulorum Latinorum, Græcorum, barbarorum, ſignificantium & nihil ſignificantium, ſine hæſitatione aut errore, ordine quo prælecta fuerant, recitavit, deinde ab ultimo incipiens retrorſum omnia eodem modo retulit, quin & triginta ſex millia vocum ſic memoriter ſe reddere poſſe, Mureto audacter affirmavit. Nec minus mirum, quod Joſephus Juſtus Scaliger, hac arte adjutus, cuncta Homeri opera vigeſimo & altero die, atque intra quatuor menſes omnes Poetas Græcos memoriæ tradidit. Stuporem quoque excitavit Michael Mauritius Stavangrius, qui decem linguarum non modo callentiſſimus fuit, ut in his natus potius, quam edoctus videretur, ſed etiam quinque ſcribis eodem tempore memoriter dictare potuit. Mittimus Joann. Bateum Equitem Hibernicum, Virginium Cæſarinum Patricium Romanum, Joannem Seldenum, David Blondellum, aliosque, qui ſuperiore ſeculo memoriæ facultate eminuerunt. Recentius ſpecimen exhibuit ante hos 36 annos Venetiis P. Franciſcus Macedus, natione Luſitanus, Ordinis Minorum de Obſervantia S. Franciſci, qui levamine artificioſæ memoriæ fretus, quosvis, ut de quacunque materia, tam e Theologicis, quam e Philoſophicis, Patribus item Gr. & Lat. Jure Canonico ac Civili, nec non Hiſtoria Eccleſiaſtica & Profana petita, ſecum diſputarent, publico programmate affixo, cui titulus: *Leonis S. Marci Rugitus literarii per dies octo continuos ore P. Macedi Obſervantis Minoritæ prolati*, provocare auſus, & ſimul de quolibet themate oblato ex tempore vel verba facere, vel verſus pangere pollicitus fuit. Vivit etiamnum celeberrimæ famæ atque edecumatæ eruditionis Vir Antonius Magliabecchius, Magno Duci Hetruriæ a Bibliotheca, qui interrogatus de aliquo autore, quem locum & numerum in refertiſſima ſupellectile libraria is obtineat, non modo ſtatim docere, ſed etiam cujusque argumenti ſcriptores, in quo libro & capite de illo differant, promte non minus quam accurate aſtantes certiorare valet. Capite IV includit paradoxa illa & immenſa commoda, quæ ex hac arte promanant, quæque ad omnes facultates & diſciplinas ſeſe extendunt. Tandem in Cap. V brevem totius Artis ideam ſuppeditat, illamque

in suas species distinguit, Grammaticam nimirum seu literalem, Syllabicam, Poëticam, & Topicam, cujus Simonides Chius inventor celebratur. Hanc quatuor adminiculis, Locis puta, Imaginibus, Ordine, ac Locorum & Imaginum Praxi constare notat, & mediante illa tot tantaque a viris summis præstita fuisse miracula. Ipsemet quidem Autor Præ-Nobilissimus Artem tam divinam latius hic non persequitur: quia vero eam nemini invidere cupit, idcirco præ manibus jam habet uberrimum tractatum, in quo omnia, quæ ab aliis obscuritatem affectantibus hausit, methodo expedita atque ad singulorum captum accommodata proponet, multa utilissima ac jucundissima, de quibus majores ne cogitaverant, adjiciet, ut ita longissimam illi vitam apprecari debeamus, quo libro hoc proficuo literatam Rempublicam beare queat.

GLORIOSUS S. ROMEDIUS, NEC NON GLORIOSA DOMUS COMITUM DE THUN, calamo panegyrico exornata a R. P. AMANDO FRIEDENFELS.

Vetero-Pragæ in Collegio S. Norberti, per G. S. Beringerum, 1699. in fol.

Constat 4. Alph. 8. plag. cum multis figuris æneis.

Illustris hodie inter Bohemiæ Proceres genere & meritis est *Comitum de Thun* Domus, nec minus inter Sanctos Ecclesiæ Pontificiæ illustris est *S. Romedius*, Comes de Thaur, Patronus Domus Thunianæ, vitæ sanctitate & miraculorum gloria celebratissimus. Utriusque gloriam præsenti hoc magnifico atque Patrum sententiis abunde repleto Panegyrico, opere ob insertas etiam hinc inde icones æneas elegantissimas sumtuoso, alternatim celebravit Clarissimus inter Patres Bohemos Orator, idemque S. Ordinis Præmonstratensis Regiæ Ecclesiæ Strahoviensis Canonicus, Philosophiæ ac SS. Theologiæ Professor, nec non Collegii S. Norberti Vice-Rector, *Amandus Friedenfels*. Laudes *S. Romedii*, in quas primo semper loco excurrit, eo redeunt. Fuisse S. Romedium Virum Nobilem, ex illustrissima & antiquissima Comitum de Thaur familia oriundum, qui per Agilulphum, cui

cui Theodolinda Longobardorum Regina nupserat, sceptro Longobardico potiti fuerint, idque ultra annorum centuriam tenuerint. Fuisse eundem militem Christi fortissimum, quod victis & elusis mali Genii fraudibus, quibus eum, inter carnis suæ illecebras, ad lascivarum quarundam mulierum complexum aliquando pellicere ausus fuerat, in speluncam sub arce sua Thaur, inter Oenipontem & Halam Suevorum, oppidum sale fœcundum, sita hiantem aufugerit, atque cæso ibi flagello acri corpore suo tenerrimo, jam in juventute sua ex hostibus spiritualibus optimum triumphum egerit. Fuisse eum patrem pauperum, & peregrinum cum Domino, quod facultatibus suis uberrime ubique pauperibus distributis, una cum Davide & Abrahamo, probatæ pietatis & nobilitatis adolescentibus, Romam abierit, atque salutato Tridenti S. Vigilio, Episcopo, Romæ Apostolorum limina & Martyrum sepulcra, inter orationum & jejuniorum exercitia frequentissima, nec non inter uberrimas eleemosynarum largitiones, pie visitaverit. Fuisse eum Prædicatorem & Apostolum felicissimum, quod accepta Romæ Pontificis summi benedictione, Tridentum ad S. Vigilium reversurus, plus quam mille gentilium animas, suavissimis suis concionibus, hinc inde divertens ad Christum converterit, atque ideo neo-conversorum suorum multitudine stipatus, Tridenti ab Episcopo Vigilio, inter festivos totius urbis ad tam pium spectaculum confluentis plausus, expansis brachiis amplexatus atque honorifice exceptus fuerit. Fuisse eum inimicum mundi & amicum Dei, eremitam beatissimum & architectum sapientissimum, quod visitato prius adhuc devote loco, ubi Martyres Cappadoces olim sibi familiares martyrii coronam reportaverant, toti mundo valedicturus, a Divo Vigilio in horridam Vallis Ananiæ, in Tyrolensi districtu sitæ, solitudinem cum duobus sociis suis secesserit, atque in edita quadam ibi rupe, miraculoso quarundam volucrium, aut cœlestium potius, juxta traditiones antiquas, Geniorum auxilio capellam erexerit, ibique sede fixa die noctuque Deo omnium factorum suorum gloriam litaverit. Fuisse illum demum Thaumaturgum magnum, & Virum Dei sanctissimum, quod multorum miraculorum gloria illustris, ad beatas sedes emigraverit. Sunt inter ea, quod famosis traditionibus crudelissimo urso, qui asinum sui antea vectorem in pratis, ubi victum

quærebat & paſcua, feroci morſu obtruncaverat & devoraverat, per Davidem, ſocium ſuum, domato equi inſtar poſtea ob ſenium ubique uſus fuerit: quod ex obſeſſa adoleſcentula peſſima oratione & jejunio expulerit Dæmonia, & febres graviſſimosque morbos multoties curaverit: quod limpidiſſimum fontem ex petra, ubi Oratorium ſuum erexerat, precibus ſuis elicuerit: & quod ex vaticinio ejus S. Vigilio antea dato, Tridenti campanarum ter ſponte ſonantium tinnitus mortis S. Romedii horam, quâ circa A. C. 400 in eremo ſua e vivis migraverat, ad totius urbis miraculum & ſtuporem nunciaverint. His aliisque laudum S. Romedii præconiis, indivulſo ubique nexu, panegyrica ſua Friedenfelſius oratione alternatim jungit *Illuſtriſſimorum Comitum de Thun* gloriam, ex quibus Romedius Conſtantinus, S. Rom. Imp. Comes de Thun & S. Cæſareæ Majeſtatis in regno Bohemiæ Regius hodie Locumtenens, in arce ſua Choltitzenſi ſumptuoſiſſimam paucis abhinc annis S. Romedio capellam extruxit. Plus quam tredecim effluxerunt ſecula, quod illuſtriſſima Thuniadum familia in confinibus Tyrolis innotuit, ibidemque S. Vigilii ex Romana urbe ſocia & comes, A. C. 383 ſedem fixit, poſtquam Romæ inter Patricios longa annorum ſerie floruerat. Dedit hæc a primo ortu ſuo ad noſtra usque tempora, ut cum Panegyriſta noſtro loquamur, Eccleſiæ Catholicæ Atlantes, Imperiis columnas, Regionibus fulcra, Cæſaribus & Regibus Conſiliarios, urbibus ac provinciis Gubernatores; atque idcirco illuſtrisſimam & antiquisſimam & Comitum de Thun, & qui iis connubiali vinculo juncti ſunt, Comitum de Salm familiam longa panegyri Friedenfelſius dilaudat, quod inter Imperatores coronata, inter Heroes armata, inter Conſiliarios togata, inter Epiſcopos infulata, & inter Cardinales purpurata eſſe deprehendatur. Id unicum hoc loco ex ampliſſima illa panegyri commemorare ſufficiat, quod Illuſtriſſima Conjux Munificentiſſimi capellæ S. Romedii Fundatoris, Barbara Franciſca, Comitiſſa de Salm, eo genere nobiliſſimo ſata ſit atque prognata, e quo primus Portugalliæ Rex eſt oriundus. Nam ex Henrico, Comite de Salm, atque Thereſia, Alphonſi VI Caſtellæ Regis filia, progenitus eſt Alphonſus I Rex Portugalliæ, qui poſt devictos uno prælio quinque Maurorum Reges, ab exercitu ſuo Rex ſalutabatur, cum antea Portugallia Comitatus

tus tantum omnium ore dicta fuerat. Ab hoc Rege, qui quinque Christi vulnera, tanquam victoriæ suæ tesseram, posteris suis pro gentilitio insigni reliquit, illustrissimus sanguis Comitum de Salm, & cum iis Comitum de Thun, in Reges Portugalliæ, Hispaniæ, Galliæ & Serenissimam Domum Austriacam est deductus. Ut vero & aliorum, qui neque Illustrissimam Comitum de Thun familiam satis habent cognitam, neque sola panegyrica stemmatum illustrium enarratione delectantur, desideriis & votis satisfaceret Orator noster clarissimus; non contemnendo consilio *digressiones quasdam morales* haud inelegantes, & oratoribus sacris apprime utiles, hinc inde immiscuit. Lemmata digressionum harum hæc sunt: *Quid sit Nobilitas sine virtute? Quæ sit maxima victoria? Quid sit dives avarus? Quid sit osculum? Quid sit sapientia hujus mundi? Quid sit mundus? Quæ sit crux maxima & minima? An homo solitarius semper sit solus? Quid sit templum Dei? Et an recte scribi possit ad mortuos?* Tandem *ectypon* in varias icones divisum subjungit *sumptuosæ ac magnificæ capellæ S. Romedii*, quam antea laudatus Illustrissimus & Excellentissimus Dominus, *Romedius Constantinus*, S. Rom. Imp. Comes de Thun &c. in arce sua Choltitzensi extruxit; ut & arborem consanguinitatis familiæ Comitum de Thun illustrissimæ. Cæterum Evangelicæ & Reformatæ Ecclesiæ addicti lectores, non poterunt non indignantius ferre, ubi Lutherum & Calvinum, cum Husso & Hieronymo Pragensi, famosissimis Hæresiarchis adscriptos, & *Lutherum* quidem sub corvi atri perquam & temulenti in rapido gurgite submersi, *Calvinum* autem sub spurcissimi porci a pediculis devorati symbolis, in satyrica quadam capellæ S. Romedii imagine depictum offenderint.

BARTHOLOMÆI LEONHARDI SUENDENDOERFERI, Antecessoris Lipsiensis, Tractatio Theoretico-Practica de Actionibus Successoriis Feudalibus.

Lipsiæ sumtibus Johannis Christophori Tarnovii, 1703, in 4.
Constat 1. alph. 15. plag.

Venerandum Academiæ nostræ Seniorem in iis, quæ exquisita doctrina longaque exercitatione percallet, præsenti & vena-

venturæ Ætati tradendis, nondum esse defatigatum, sed promissa olim facta, superatis, quæ intercurrerant, impedimentis, solerter exsolvere, nova hæc, de Actionibus Successoriis Feudalibus, tractatio ostendit, in cujus præfatione insimul edocemur, Virum summum *Exceptiones Successorias* quoque moliri, laboremque jam inchoatum, propediem, nisi quid humanitus contingat (quod malum ab Academia nostra diutissime Deus avertat!) in publicum conspectum esse proditurum. Præsens Tractatio, actiones feudales successorias & generaliter, & specialiter exponit. Prior expositio, adducta tum nominis, tum rei definitione, varietatem actionis successoriæ feudalis, juxta diversos respectus, percenset. Est scilicet illa a *causa efficiente remota*, scripta vel consuetudinaria, utraque vel communis vel singularis. Porro a *causa proxima*, realis vel personalis, exclusa actione præjudiciali & mixta; has enim Noster haut agnoscit. Ulterius, si *subjectum* spectes, actio successoria feudalis vel domino vel vasallo competit: ab *objecto*, est simplex aut mixta, universalis vel singularis, possessoria vel petitoria, & utraque realis aut personalis: ratione *formæ*, est ordinaria vel summaria: ratione *finis*, principalis vel præparatoria: ratione *adjuncti*, transmissibilis vel non-transmissibilis, perpetua vel temporalis; quibus omnibus accedit divisio impropria, qua in veram & apparentem discernitur. His expeditis, ad causas descendit expositio generalis. *Causam* nempe *efficientem remotam* actionis successoriæ feudalis, laudat juris, tam scripti quam non scripti, dispositionem; *proxima* vero, ex ejus doctrina, est vel *generalis*, nempe jus ad feudum & debitum feudale consequendum competens, vel *specialis*, scilicet jus ex successione quæsitum, quod iterum reale aut personale est; illud vel regulare, nempe dominium, vel irregulare, jus scilicet hæreditarium & pignus feudale, amplius esse deprehenditur: casus vero successibilis, seu ad successionem feudalem habilis, debitique feudalis præstandi recusatio, pro *causa sine qua non* actionis feudalis successoriæ, haberi debent. Causam efficientem excipit *subjecti* consideratio, quod inhæsionis & receptionis, ac utrumque generale & speciale esse perhibetur; in qua disquisitione, inter alia Magnificus Autor nonne-

neminis singularem quidem ac novam, sed illegalem ac plane vanam opinionem, qua filium exheredatum, ad exsolutionem debitorum paternorum hæreditariorum, ex fructibus feudi faciendam teneri, existimatum fuit, explodit. *Objectum* actionis successoriæ feudalis in genere est id, de quo inter actorem & reum controvertitur: illud vero esse materiale & formale, ac prius vel principale vel accessorium, posterius vero vel commune vel proprium, hocque vel reale vel personale, specialius suo ordine ostenditur. Inde ad *formam* transitur, quæ in naturalem & artificialem summatim dispescitur: sed prior varias formas iterum assumit; est enim essentialis vel accidentalis, illaque rursus generica aut specifica. *Finis* actionis successoriæ feudalis est vel finis cui, vel cujus, qui iterum vel principalis & remotus, vel minus principalis & proximus esse dicitur. Eodem docendi genere *effectus* quoque expenditur, dum in internum & externum, qui vel actorem, vel reum, vel judicem respiciat, separatur. *Qualitates* actionis successoriæ feudalis sunt vel propriæ vel communes, & hæ iterum vel universales vel particulares, affirmativæ vel negativæ: specialius hoc nomine necessitas, remissibilitas, transmissibilitas, transmutabilitás, præscriptibilitas & concurribilitas laudantur. His expeditis, Excellentissimus Autor *Judicem* actionis successoriæ feudalis sistit, ejusque jurisdictionem, fere juxta nomothesiam juris Longobardici, declarat, cumque in specie nonnemo de jurisdictionis illius, ad præsentem statum Germanicum accommodabilitate, quam vocat, dubium moverit, illud non dubiosum, sed ita, ut in continenti tolli queat, comparatum esse censet. Tandem in expositione generali, *contraria* etiam actionis successoriæ feudalis sequuntur. Sunt autem illa vel impeditiva, vel exclusiva; hæc vel absoluta vel respectiva, quæ vel ex conditione rei feudalis, vel qualitate personarum, successoris, rei aut judicis, accidunt. Expositio specialis duabus partibus, diversa iterum membra, sectiones, titulos, articulos & capita comprehendentibus, absolvitur. Primo Illustris Autor *actionem successoriam feudalem realem* in genere exhibet, inde *realem possessoriam*, generaliter explicatam, cum speciebus ejus, puta immissoria ex *l. fin. C. de Edict. D. Hadrian. toll.* ventris nomine Carboniana, in feudum absentis, quorum

K bo-

bonorum, quod legatorum, & Salviana, ſubjicit. Tum ſequitur *actio realis petitoria ſpecialis*, ſub qua rei vindicatio, eaque directa, utilis, revocatoria, vindicatio Falcidiæ, Trebellianicæ, legati, expectantiæ feudalis, porro Publiciana & reſciſſoria feudalis, denique vindicatio feudi abſenti delati, ut & abſentis reverſi, continetur, negata actione Pauliana ſucceſſoria feudali. His ad finem deductis, actio ſucceſſoria feudalis hypothecaria ſubit, cumque actionibus ſucceſſoriis feudalibus realibus nonnunquam accedere ſoleat nominatio, litis denunciatio & interventio, ideo hæ quoque a ſolertiſſimo rerum harum Indagatore noſtro ſpectandæ exhibentur. Hæc excipit *actio ſucceſſoria feudalis realis petitoria* generaliter explicata, quæ in univerſalem & ſingularem, ſub qua realis in ſpecie & hypothecaria, non etiam confeſſoria, continetur. Huic tractationi *actio ſucceſſoria petitoria realis univerſalis*, nempe hereditatis petitio cum ſuis ſpeciebus, hereditatis petitione teſtamentaria feudali directa, fidecommiſſaria, legitima, inofficioſi querela feudali, querela nullitatis teſtamentariæ, falſi teſtamenti, hereditatis petitione feudali illuſtrium, militari, conjugali, ex unione prolium, hereditatis emtæ & venditæ, adjungitur. Hoc ordine tractatio de *actionale reali petitoria* impreſſa cernitur, ſed operas typothetarum aberraſſe, ac disquiſitionem de *actione ſucceſſoria feudali reali petitoria in genere*, primo loco ponendam eſſe, deinde *ſucceſſoriam univerſalem*, ac poſtea *ſingularem* ſeu *ſpecialem*, cum actionum illarum *acceſſoriis*, nominatione, litis denunciatione ac interventione, ſequi debere, conſueta Magnifici Autoris accuratio, & index univerſalis, operi præmiſſus, nec non numerus, membris & ſectionibus præfixus, aliaque indicia ſatis oſtendunt. Hæc de actione reali. Altera expoſitionis ſpecialis pars, ſiſtit *actionem ſucceſſoriam feudalem perſonalem*. Poſt ejus expoſitionem generalem, *perſonalis poſſeſſoria* repræſentatur, in quem cenſum actio de tabulis feudalibus exhibendis, poſtulatio miſſionis in poſſeſſionem feudi, legatorum feudalium ſervandorum cauſa, condictio poſſeſſionis feudalis indebitæ, ut &, ob cauſam ceſſantem, traditæ, referuntur. Hoc labore defunctus Conſultiſſimus Autor, *actionem perſonalem petitoriam* aggreditur, eique generaliter explicatæ, ſpecies, nempe perſona-

ſonalem *præparatoriam*, ſub qua actio ſucceſſoria diffamatoria, ex L ſi contendat, exhibitoria, prohibitoria feudalis, nec non petitio curatelæ feudalis abſentis comprehenditur, ac *principalem*, eamque vel *nominatam*, nempe actionem familiæ erciſcundæ, communi dividundo feudalem, actionem legati, & fideicommiſſi feudalis, petitionem renovationis inveſtituræ feudalis conſequendæ, liberæ faciendæ, ut & renovationis inveſtituræ capiendæ, denique laudemii feudalis ac fidelitatis vaſallitica jurandæ petitionem; vel *innominatam*, quo nomine *condictio ex lege*, querelam diviſionis, donationis, dotis, donationis propter nuptias, dotalitii, majoratus & primogenituræ feudalis inofficioſæ, ut & actionem expletoriam feudalem complectens, ac *condictio ex moribus*, actionem feudalem redemtoriam, nec non actionem expectantiæ feudalis in ſe continens, intelligitur, ſubjicit. De cætero omnia exercitatiſſimus Autor theoretice, per cauſas, & practice, inſperſis, quoad ſpecies actionum, petendi & pronunciandi formulis, pertractat, quod generaliter admonuiſſe ſatis erit: nam per ſingula ire, ac nervoſe conciſeque dicta, in compendium iterum redigere, vix licet; in præcedentium tamen illuſtrationem, unum atque alterum exemplum ſubjiciemus. *Actio ſucceſſoria feudalis realis poſſeſſoria immiſſoria Carboniana*, ex doctrina Noſtri, eſt, quæ de immiſſione in rem feudalem ſucceſſoriam conſequenda, ſucceſſori feudali impuberi, cui de ſtatu & ſucceſſione feudi quæſtio movetur, competit. Eſt vel ſimplex vel mixta: illa ad ſola feudalia, hæc feudalia & allodialia bona conjunctim pertinet. Cauſa efficiens remota eſt Edicti Carboniani ad feudum extenſio; propinqua, præſumtum jus ſuccedendi; cauſa minus principalis eſt orta controverſia, adverſariique detentio, & admiſſionis recuſatio. Subjectum inhæſionis eſt ſucceſſor feudalis impubes; receptionis, poſſeſſor feudi quæſtionem ſtatus movens. Objectum materiale ſunt poſſeſſio & intereſſe; formale, poſſeſſio impuberi, ſtatus quæſtionem patienti, adjudicanda. Forma naturalis eſſentialis eſt facultas perſequendi poſſeſſionem; artificialis conſiſtit in apta immiſſionis petitione per formulam Germanicam a Noſtro declarata. Finis eſt immiſſionis adeptio. Effectus reſpectu judicis, eſt immiſſionis addictio, convenienti formula decernenda; ſucceſſoris,

possessionis consecutio; possessoris & adversarii, feudi detenti traditio. Judex competens sunt Dominus feudi & Pares Curiæ, aliquando etiam Judex domicilii & rei sitæ, ut & delegatus & compromissarius. Contrarium a parte successoris, est cautionis omissio & pubertas; possessoris, præscriptio annalis & manifesta illegitimæ nativitatis probatio; Judicis, petitæ immissionis rejectio, per sententiam congruam facienda. *Interventio feudalis* est interventio, quæ fit in judicio feudali, inter alios, de feudo successorio, instituto, ob interesse feudale conservandum. Est vel principalis, vel accessoria, non autem necessaria & voluntaria, prout illa cum cæteris capitibus, adamata methodo causali, pluribus deducit Magnificus Autor, inter alia asserens, litigantes, apud quos intervenitur, minus accurate dici Interventos; hunc enim terminum, nec grammaticum, nec juridicum, sed plane supervacaneum, adeoque reprobandum esse. *Actio exhibitoria feudalis*, est actio successoria personalis præparatoria, de feudi successorii exhibitione: *prohibitoria*, est actio successoria feudalis personalis prohibitoria, ad alienationem feudi successibilis, redimibilis competens, quæ juxta causas deinceps amplius explicantur.

FRANCISCI BAYLE CONVENATIS BONONIENSIS, Doctoris Medici, in Universitate Studiorum Tolosana Liberalium Artium Professoris Regii, & in Academia Ludorum Floralium Socii Opuscula.

Tolosæ apud Guilielmum Robert, Liberalium Artium Magistrum & Typographum, 1701, in 4.

Constat 3. Alphab.

CUjus Institutiones Physicas, ad usum scholarum accommodatas, superiori anno recensuimus, Clarissimi Bayle, Scientiæ Physicæ pariter atque Arti Medicæ promovendæ intenti, opuscula reliqua in unum volumen congesta nunc exhibemus. Sub triplici autem ista consideranda veniunt differentia. Quædam enim Latino idiomate ab Authore quondam in publicum fuerunt emissa, ut I. *Dissertationes Medicæ tres de Causis Fluxus Menstrui mulierum, de Sympathia variarum corporis partium cum utero, de*

de Usu lactis ad tabidos reficiendos, & de immediato corporis Alimento tractantes. II. *Dissertationes Physicæ sex.* III. *Problemata Physica & Medica.* IV. *Tractatus de Apoplexia.* Quædam Gallice scripta, ab aliis Latinitate donata sunt, ut V. *Dissertatio de necessitate conjungendi experientiam cum ratione.* VI. *Historia Anatomica Graviditatis 25 annorum.* VII. *Informatio circa Mulieres quasdam, quæ a Dæmone possessæ credebantur.* VIII. *Dissertatio de Causa suspensionis Vaporum in aere.* Quædam nunc demum luci publicæ exposita sunt, ut IX. *Dissertationes Physico-Morales quinque.* Mittimus nunc priora quinque opuscula, quæ omnium jam teruntur manibus, de reliquis pauca dicturi.

In *Historia Anatomica graviditatis 25 annorum,* recenset Noster, pannorum tonsoris uxorem gravidam, etiamsi post nonum gestationis mensem, partus doloribus fuerit correpta, fœtum tamen eniti neutiquam potuisse, sed per dictum temporis spatium in alvo retinuisse, & ex febre continua tandem anno 1678, duos & sexaginta annos natam, obiisse: aperto cadavere fœtum, materia quadam callosa, in quam amnium & chorion degeneraverant, obvolutum, extra uterum, in fundo ulcere fœdum, epiploo scirrhoso duosque transversos digitos crasso adnatum, justaque magnitudine & debita partium mollitie præditum, fuisse repertum. In quorum phænomenorum ætiologiam sedulo inquirit, & postquam causas partus naturalis exposuerat, placentamque uterinam ab utero, propter absumtum humorem, utrumque conglutinantem, ad instar pomi ab arbore, decedere, fœtumque non respirationis, sed alimenti defectu in lucem prodire, disseruerat; quomodo hic infans uteri, in quo conceptus omnino fuerat, fundum perforaverit, inquisiturus supponit, pavorem ob pestem in urbe tum grassantem excitasse in matris sanguine exagitationes p. n. alimento fœtus labem affricantes: hinc & uterum & embryonem molestis irritationibus fuisse concussum, sed irritis, propter spirituum determinationem, ad uteri ostium relaxandum dilatandasque vias necessariam, deficientem; his tamen conatibus perseverantibus, fœtum per uteri (gestationis tempore singulari mollitie alias donati) fundum disruptum versus pectus retrocessisse. Quod autem extra uterum vivere potuerit, causam rejicit partim in placen-

tam uterinam, quæ ex parte utero forsan adhuc affixa, alimentum fœtui suppeditaverit, partim in connexionem chorii lacerati cum epiploo, siquidem per hanc sanguis & succus nutritius ex hujus vasis depluens fœtui facile communicari potuerit. Quod vero nullam putredinem conceperit, vel tetrum odorem spiraverit fœtus, acidum p. n. in causa fuisse credit; quod quemadmodum in epiploo scirrhum & excessivam crassitiem produxerat, ita infanti vel cum sanguine, vel vaporetenus communicatum, sal volatile, putredinis autorem inhibuerit, fixerit, & totius corporis soliditatem conservaverit.

Informationi circa quasdam mulieres, quæ a Dæmone obsessæ credebantur, occasionem dederant symptomata quædam, (ut subitus in terram lapsus, singultus, volutatio corporis in latera, & alii motus convulsivi, pulsus parvus & frequens, inepti sermones, acicularum, funiculorum & vittarum per os rejectiones, eorum, quæ in paroxysmo acciderant, obliviones, febris &c.) quæ plures ejusdem loci incolas, & in templo magis quam alibi corripiebant, & ad corporis usque maciem vexabant. Hinc requisitus a Magistratu Cl. Bayle, ut cum alio sibi adjuncto Medico ægros inviseret & examinaret, re explorata pronunciat, probatque, neutiquam a fascino, vel Diaboli obsessione, dicta symptomata suborta, sed a dispositione hypochondriaco-epileptica fuisse concitata. Quod vero plures loci angustioris incolæ eodem malo laborarint, imaginationi adscribit: cum enim undique concurrerint homines, gesticulationes &c. mulieris, quæ prima illis obruebatur symptomatis, curioso oculo observaturi, morbumque pro dæmoniaco habitum cogitationibus continuis fuissent prosecuti, factum esse dicit, ut quæ delicatam mollemque cerebri temperiem, & ad hos affectus fovendos dispositionem nactæ fuerant mulieres, iisdem exponerentur symptomatibus. Cur in templo potissimum paroxysmus has invaserit miseras, dum explicat, in imaginationem læsam id merito posse referri existimat, cujus tota vis reviviscit & intenditur in certis casibus, qui objecta revocant, a quibus primæ & notabiliores impressiones sunt profectæ. Quibus accedit, quod earum animos ea penitus occupaverit opinio, se fascino ligatas a Dæmone possideri; cum autem audiverint quondam, illos, qui a Cacodæmone possidentur, in

in templis vehementius exagitari, mirum non esse dicit, si vi harum impressionum simile quid efficiant; ad quam pariter causam absonam loquendi rationem refert. Res a quibusdam vomitu rejectas, antea deglutitas fuisse, firmissime sibi persuasum habet, imprimis cum, qui melancholia vexantur, vel inscii, quidquid manu tenent, in os ingerant, & non advertentes deglutiant.

In Tractatu IIX. *de suspensione vaporum in Aere* loquitur Noster, & cum materiæ æthereæ motus vehementissimus sit, ipsique aquam inter & aerem semper aditus pateat, aquæ guttas tanquam tenuissima materiæ ipsius crustula circumfusas, guttarumque illarum crustas in singulis non impares crassitudine supponit, hincque sequi dicit, globulum ex materia illa ætherea simul & ex aqua compositum minus ponderosum esse, quam globum pure aqueum, qui ejusdem sit magnitudinis; rationemque hujus esse addit, quia nihil gravitatis habet materia ætherea, fit autem æqualis globorum illorum gravitas, si ex hoc tantum aquæ detraxeris, quantum habent illæ materiæ ætheræ; quam si detraxeris, duplici illa detractione globi aquei fiunt æquales & mole & gravitate; globum itaque ultimum eo gravitate magis quo & quantitate aquæ reliquum superare manifestum est. Hinc obiter de corporum gravium in liquidis levioribus suspensione agit, eamque provenire putat, 1) si eadem subsit causa, quæ hactenus de vaporibus est allegata; 2) si poros liquidi partibus impervios, solaque materia ætherea impletos habeant corpuscula; 3) si corpusculorum gravium quodlibet, ob peculiarem cum liquidi partibus convenientiam, iis ita adjungatur, ut non possit facile dividi.

Tandem, quod *Dissertationes Physico-Morales* attinet, harum I & II de *Consuetudine* agit. Quoniam enim juxta Aristotelem *tanquam natura consuetudo est*, imo *quantam hæc habeat vim, leges manifestum faciunt*, in eo occupatur Vir Clarissimus, ut primum consuetudinem omnem malam temporis diuturnitate naturam penitus evertere demonstret. A posteriori autem hoc tabaci per fistulam hausti & in nares immissi exemplo declarat; a priori vero eam reddit rationem, quod, si frequenti alicujus objecti actione cerebrum pulsetur, similique spirituum actione repetita crebrius concutiatur, & frequenter iterata aut continua cogitatio-

ratione de eadem re eadem ſpirituum motio foveatur, aut renovetur, neceſſe ſit, ſpirituum vias dilatari, atterique, & facili lapſu vehementiores eſſe eorum motus, mentem magis incitari, & attendere rebus, clarioremque & majorem earum ideam formare; cum autem id in prima infantia propter cerebri teneritudinem citius contingere obſervemus, maximam admovendam eſſe diligentiam monet, ut a teneris homines ab omni prava conſuetudine ſint immunes. Quoniam autem ad ſcelera magis proni ſunt homines, legum neceſſitatem injungit Noſter, ut ſcilicet audientes, quid faciendum, quidve omittendum, virtutibus vel inſcii adſueſcant. In Diſſertatione III & IV circa *generationem hominis* verſatur Author Clariſſimus, in quibus, refutatis Medicorum, qui modo cor, modo oſſa, modo ſanguinem, pro parte in prima animalium generatione primigenia agnoſcunt, ſententiis, omnes corporis partes, propter mutuam earum in agendo dependentiam, ſimul formari probat; ex quo, ut & quod omne animal originem ſuam ducat ab ovo, omnes partes corporis viventis continente, porro deducit, animalium fœtus breviſſimo tempore poſt conceptionem ſuæ ſpeciei formam recipere, humanum humanam, leoninum leoninam. In Diſſertatione ultima *Voluptatem & Dolorem* examinat. Poſtquam enim Philoſophorum errorem, ſummum bonum in voluptatibus, vel in voluptatum & dolorum abſentia, vel in ſola doloris carentia conſtituentium notaverat, beatitudinem, quæ in hac vita contingere poteſt, in morum ſanctitate quærit, a qua ſcilicet ſola oriatur ſumma illa mentis tranquillitas. Doloris vero natura in quo conſiſtat, cum Phyſicis diſputat, negatque illum eſſe ſolutionem continui factam, quia hæc ſententia fini triſtis ſenſationis, (qui eſt, ut mens periculi imminentis commonefacta, ad illud propulſandum ſtimulo quaſi incitetur,) & experientiæ ipſi contraria eſt; exinde enim ſequeretur, quod parte ſenſibili quacunque diviſa doleremus, cum tamen nervorum ac tendinum diſciſſio, acerbiſſimi doloris, ab eorum punctura concitati, præſentiſſima evadat medela. Nec tamen ſolutionem fientem pro cauſa agnoſcit; hoc enim itidem putat fini doloris adverſari, & ſequi, quo plures ſimul partes ſecarentur, eo cruciatus fore majores, cum tamen diſciſſio nervorum, & celeris membrorum amputatio, non bre-

breviorem modo, sed etiam minorem dolorem inferat, nec in inflammatione diutius durante tam longa continua solutio concipi queat. Multo minus illorum subscribit opinioni, qui continentem causam doloris motum vel impetum esse crediderunt, sed eum procreari existimat, a partium sensu præditarum tensione adeo valida, ut in proximo solutionis periculo versentur.

De cætero monendus est L. B. illas quæstiones, quæ in Dissertatione peculiari anno 1688 ab Autore nostro enodatæ, & Actorum nostrorum Supplemento I pag. 585 recensitæ fuerunt, singulas debito suo loco in Institutionibus Physicis & hisce Opusculis fuisse insertas.

ANTONII VAN DALE DISSERTATIONES IX, Antiquitatibus, quin & Marmoribus cum Romanis, tum potissimum Græcis illustrandis inservientes.

Amstelodami apud Henricum & Viduam Theodori Boom, 1702, 4.

Constant Alph. 4. pl. 16, & fig. æn. pl. 2.

OCcasionem sibi Dissertationes has componendi Clarissimus Auctor ortam dicit ex eo, quod quæ Perillustris Spanhemius in egregio suo de usu & præstantia numismatum opere in re nummaria præstitit, salivam sibi movissent, ut idem tentaret circa inscriptiones & marmora, cum ex iisdem non minus, quam ex numis, multa, alias sane incognita, possint erui. Divisit autem celeberrimus Auctor opus suum in novem Dissertationes, quarum *prima* agit de origine ac ritibus sacri *Taurobolii.* Dixerat quidem Auctor de hisce sacris jam in suo de Oraculis Ethnicorum tractatu, eadem tamen nunc curatius examinat, maxime cum Salmasius, Seldenus & Sponius hanc materiam tantum obiter tractassent. Præmittit primum, qua ratione Christiani non solum, quamvis non semper optimo cum successu, multa ex Ethnicismo in Christianismum transtulerint, sed etiam quod vice versa, Gentiles in ceremonias suas haud pauca ex Christianismo receperint. Inter hæc refert sacra Taurobolia, quibus æmulabantur Gentiles veram per Christi sanguinem expiationem. Originem horum sacro-

crorum ducit a temporibus M. Antonini, & quidem antiquissimum Taurobolium esse judicat, cum Reinesio *Synt. Inscr. Cl. I. n. 40. p. 76*, quod Marco Imperatore, Pollione II & Apro II. Coss. A. U. 928, Christi vero 175 fecit Aufustia prima, apud Lactoratenses. Durasse vero hæc sacra usque ad Honorii, Arcadii ac Theodosii Junioris imperium, cum ultimum fuerit, quod Valentiniano Aug. IV & Neoterio Coss. consecratum. Addit autem, nullum ex primis Christianismi scriptoribus horum sacrorum ullam mentionem fecisse, ante Firmicum Maternum. Adduxerat quidem in suam sententiam Tertullianum Reinesius, quasi is *de Præscript. Hæret. c. XL.* ad sacra Taurobolii respexerit. Sed Noster probat, cum de solis Mithriacis esse intelligendum. Uti etiam Tertulliani locum de Baptismo cap. V de sacris Mithriacis loqui ait, & Meursium notat, qui Leontica inter festa Græcorum refert, incertum cui Deo, cum tamen Mithræ sacra fuernit initiatio. Cum autem hæc Mithræ sacra cum Tauroboliis aliqua ex parte conveniant, de iisdem quædam addit, horum initiationem & locum, spelæum dictum describit, & quidem illud templum subterraneum, ubi Mithræ simulacrum perelegans Romæ visitur, explicat, atque figuras eo spectantes exhibet. Horum sacrorum convenientiam ex tauro, qui etiam in sacris Mithræ mactabatur, docet, atque ex Sacerdotibus, qui utrobique & viri & fœminæ fuerunt. Porro Taurobolium dicatum esse dicit soli Deorum Matri, vel huic & Attidi, ejus amasio. Et licet quidem ex sequenti inscriptione

I. O. M
VERINVS. SEVERINVS
ALBVCIVS
CRIOBOLIVM
RESTITVIT

sequi videatur, etiam Jovi Criobolium sacrum fuisse, hanc tamen inscriptionem emendare conatur, pro I. O. M ponendo I. D. M. i. e. *Idææ Deorum Matri.* Eos vero refutat, qui etiam Dianæ atque Minervæ Taurobolium sacrum fuisse scribunt. Progreditur inde ad ritus, quibus hoc sacrum factum, quos ex Prudentii versibus in Martyre Romano palam facit, quos tamen a Baronio, Bulengero, Æmilio Porto, aliisque de consecratione Pontificis Maximi ma-

male intelligi innuit. Fuiſſe autem ſacra hæc vel Taurobolia ſola, vel Criobolia ſola, vel Taurobolia ac Criobolia ſimul, vel Criobolia atque Ægobolia, ex inſcriptionibus probat. Cum vero in inſcriptionibus ſæpius *vires tauri* occurrant, quid per has intelligatur, explicat, & vires quidem *exceptas* nihil aliud, quam ſanguinem tauri, ab initiandis ore cæteriſque corporis partibus, ut & in veſtibus exceptum, innuere notat; vires vero tauri *conſecratas*, de tauri cornibus explicat, quæ aris aut templorum parietibus adfigebantur; per vires denique *conditas*, cum Sponio intelligit teſticulos, qui ad imitationem Sacerdotum Cybeles, immo etiam Attidis, tauro abſcindebantur. Pergit ad formulam, *Taurobolium accepit*, vel *fecit*. Et quidem Taurobolium feciſſe illi dicebantur, qui hoc ſacrificium inſtituebant, publicis ut plurimum ſumtibus, pro ſalute reipublicæ: accepiſſe vero, qui eodem Magnæ Deorum Matri initiabantur ſeu conſecrabantur. Dum vero ex variis inſcriptionibus commonſtrat, & publica auctoritate ac impenſa, & a privatis etiam pro ſemet ipſis aut pro aliis hæc Taurobolia fuiſſe facta, ſingularia ſunt, quæ circa inſcriptionem ſequentem obſervat:

CRIOBOLIVM. ET
AEMOBOLIVM. MONVIT
DE SVO. PETRONIVS. MAR
CELLVS. SACERD. VI. VIRAL
DEC. IIII PRIMO. ET. IVSTO

Ubi primo cum Reineſio pro *Aemobolium*, legit *Aegobolium*, quod non ſolis bobus, ſed & arietibus & capris hoc ſacrum perageretur. Pro *monuit* autem, legit *movit*, i. e. fecit. Hoc ſacrum autem ſuſcipiebant unus vel plures, mares & fœminæ, homines privati & ſummis honoribus perfuncti in republica. Inter fœminas præcipuam adducit Auctor Fabiam Aconiam Paulinam, quæ non ſolum his Tauroboliatis, ſed etiam aliis ſacris fuit initiata. Quo ipſo occaſionem adripit de ſacratis apud Eleuſinam & Lernam Baccho, Cereri & Coræ aliqua dicendi. Ubi vero in inſcriptione Fabia Aconia Paulina dicitur *Taurobolita*, errorem notat Joſephi Scaligeri, qui in indice ad Gruterum, Taurobolitam pro Dea venditaverit, cum nonniſi eam ſignificet, quæ ſacro Taurobolio accepto Matri Deum ſacrata eſt. Pergit ad Sacerdotes, qui ſacris præfue-

L 2 runt,

runt, & Matrem Idæam quoque Sacerdotem maximam habuisse probat, atque illud locum obtinuisse etiam in sacris aliis dicit, ut primi Sacerdotes maximi dicerentur. Liberum autem fuisse illis, qui sacra hæc Taurobolii susciperent, Sacerdotem aliquem eligere quem vellent, credit. Uno vero tantum vel etiam duobus & pluribus Sacerdotibus fuisse usos, his scilicet immolantibus, aliis verba præeuntibus, aliis denique adstantibus: licet & sæpe, ubi plures initiati, per singulos Sacerdotes hoc factum. De tempore cum agit Auctor, per plures dies Taurobolium celebratum probat ex his inscriptionis verbis, INCHOATVM. XII. KAL. MAI. CONSVMMATVM. VIII. KAL. MAI. Moris autem fuisse, ut Tauroboliatus aram poneret, & quidem *se vivo*, ut in inscriptionibus sæpius. Qualem aram, in qua Taurobolium fiebat, dictam docet petram taurobolatam, ex Reinesii *cl. I. n.42.* Illud etiam addit, in una eademque ara sive marmore, quandoque comparere non solum plures consecrationes simul, verum etiam, quæ diversos non tantum per Sacerdotes, sed etiam diversis temporibus factæ. Immo aras post primam dedicationem sæpius restitutas: quin & ipsa sacra, cum in viginti tantum annos durarent, his elapsis fuisse iterata, idque si pro se illa susciperent; si vero pro aliis, nulla certa interstitia observata fuisse. Porro quoque ait, splendidis promissis illa mysteria inniti, quæ potissimum in eo consistebant, ut non solum lenius cum ipsis post mortem ageretur, sed & προεδρία in campis Elysiis initiati uterentur, cum aliorum animæ post mortem in tenebris seu caligine jacerent. Alias quoque notas fuisse regenerationes dicit. Propius vero ad Taurobolia pro aliis suscepta accedere baptismum pro mortuis, qui inter nonnullos hæreticos locum obtinuit, de quo Chrysostomus *in cap. XV. v. 29 Epistolæ ad Romanos.* Addit adhuc aliqua de Sacerdotibus hæc sacra administrantibus, & quidem hos in marmoribus simpliciter Sacerdotes adpellatos, & tam virilis sexus fuisse, quam fœminas, probat. Inter has etiam Sacerdotes maximas fuisse, quæ de pectore pendentes habuerint imagines; quod ex Dionysii Halicarnassensis libro II confirmat. Dum vero Sacerdotes mares uxoratos, fœminas maritatas fuisse docet, ex eo colligit, Gallos magnæ Deorum Matris, ut vocabantur, quia exsecti fuerint, non fuisse Sacerdotes Matris

tris Deum, sed circumforaneos quosdam & scurras, qui homines deciperent, & stipem emendicarent. Et licet quidem Plinius *l. XXXV*, *cap. II* eos Sacerdotes vocet, nulla tamen auctoritate publica fuisse nixos, licet in sacris subinde servierint. Hos nempe Gallos cum Apulejo de triviali popularium fæce homines vocat, atque multum discrepasse dicit ab iis, qui illorum Antistites & Archigalli fuerint. Habuisse etiam certa sacra apud Græcos suos Parasitos, quod de Herculis atque Apollinis Parasitis ex Athenæo probat, hosque nullos alios, nisi qui Epulones apud Romanos, fuisse judicat.

Dissertatio *secunda* agit de Pontifice Maximo, Vicario Pontificis, Rege Sacrorum, Archontibus. Et quidem primum probat, summum Sacerdotem non semper notare Pontificem Maximum, sed præcipuum inter Sacerdotes cujuslibet collegii. Immo etiam Christianos Episcopos summi Sacerdotis nomine fuisse honoratos, ex Tertulliano *de Baptismo cap. XVII* probat. Inde inquirit in sententiam Baronii, qui Julianum per Taurobolium factum fuisse Pontificem Maximum dicit, cum tamen ne Tauroboliatus quidem fuerit, neque vestimenta, quæ Tauroboliati tamdiu gestare debuerint, quousque vetustate obtrita essent, purpuræ Imperatoriæ convenerint. Pergit deinde ad stolam Pontificalem, quam ex Zosimi libro V a Gratiano Imp. rejectam dicit, non ipsum Pontificis Maximi titulum, quo ipsum usum fuisse, ex inscriptionibus probat, & quidem ut hoc titulo denotaret summum in Christianorum ecclesias regimen atque imperium: quemadmodum & postea latius confirmat, Pontificatum Maximum Christianorum ejusdem naturæ ac potestatis fuisse circa Christianismum, ac Pontificatum Cæsarum Gentilium circa Gentilismum: post divisionem vero Imperii in Orientale atque Occidentale, Episcopos Romanos titulum & munia, Pontificis Maximi sibi adrogasse. Probat inde, duos quandoque fuisse Pontifices Maximos in Gentilismo uno tempore, quod de Maximo & Balbino, & duobus Philippis probat, quia scilicet una cum dignitate, Imperatoria conjunctus fuerit Pontificatus, licet nullibi legatur illos fuisse consecratos. Quemadmodum & id, Imperatores æque eos, qui Romæ ut plurimum degebant, atque alios, qui extra Urbem agebant, solennia, quæ ad Pontificem Ma-

ximum ſpectabant, per Vicarios adminiſtraſſe, idque quia in Marco Antonino tanquam ſingulare quid narret Capitolinus: *nec ullum ſacrificium per vicarium fecit, niſi cum æger fuit.* Habuiſſe enim in variis rebus Imperatores ſuos vicarios, qui *vice ſacra*, quod ſæpius occurrit in inſcriptionibus, munia Imperatorum geſſerint. Immo etiam Pontifices majores minoresve, in provincias miſſos, ſacra ſæpe per vicarios adminiſtraſſe. Porro de Rege ſacrorum ſive Sacrificulo primo dicit, eum Pontificis Maximi fuiſſe vicarium, & uxorem ejus Reginam ſacrorum dictam. Hunc Regibus exactis a populo creatum, ex Livio atque Halicarnaſſenſi probat; deſiiſſe vero nomen Regis ſacrorum ſub Auguſto, pro quo Vicarii Pontificis nomen ortum. Ipſum Regis ſacrorum munus apud Romanos a Græcis, & quidem Athenienſibus originem traxiſſe, ex Demoſthene addit, apud quos ſacrificiis ſacrorumque judiciis Rex ſacrorum præfuerit. Ad Archontes progreſſus, præmittit, antiquis temporibus ſumma ſacerdotia ſummis connexa fuiſſe imperiis, ita ut ipſi Reges ſimul eſſent Præſides ſacrorum. In Athenienſi republica poſt abrogatos Reges, ſummi ſacerdotii adminiſtrationem pro parte quoque Archontibus, inprimis τῷ Ἐπωνύμῳ, id eſt, illi qui inter novem annuos Archontes primus erat, & Dionyſia ſive Bacchica ſacra, uti & Thargelia curabat, competiiſſe docet. Alterum fuiſſe Regem ſacrorum; tertium inter Archontes Polemarchum, qui ſacrificarit Dianæ & Marti.

Diſſertatione *tertia*, de Pontificibus ſive Ἀρχιερεῦσι Græcorum, Aſiarchis, aliisque agitur. Ἀρχιερέας docet Auctor vel ſingulis urbibus, vel provinciis integris præfuiſſe, & horum quidem exemplo, in Eccleſia Chriſtiana poſtea ortos Epiſcopos Metropolitanos. Obſervat vero, primitus ſolum illas urbes dictas metropoles, unde aliæ originem ſuam traxerant, ut Athenas, Romam, Byzantium, ſuarum coloniarum: poſt vero primarias regionum urbes ita fuiſſe adpellatas, quarum in una provincia quandoque plures ſimul fuerint, inter quas præcipua dicta πρώτη; id quod etiam obtinuerit in Metropolitanis Chriſtianorum, quos inter Primates eminuerint. A Græcorum Pontificibus ad Romanorum Pontifices Flaminesque progreſſus, plures ſæpe in una provincia fuiſſe docet, qui ſub uno præſide ſeu primo Pontifice collegium conſtitue-

ſtituerint: Pontificem vero Maximum nonniſi Romæ fuiſſe, falſique Gutherium & alios, qui inter Sabinos quoque Pontificem Maximum ſtatuant. In Inſcriptione vero

CASPONIA. P. F.
MAXIMA
SACERDOS CERERIS &c.

Caſponiam Maximam dici, non Sacerdotem, ſed inter ſorores, i. e. primigeniam, variiſque exemplis firmat, ſorores ſecundum ordinem fuiſſe dictas, maximam, ſecundam, tertiam: quæ autem inter mulieres Sacerdotes primum locum obtinebant, dictas *primas* fuiſſe. Inter Pontifices vero primos, alios temporarios, qui primum, ſecundum, tertium facti ſint Pontifices, alios perpetuos fuiſſe, per inſcriptiones ex Sponii Miſcellaneis aliaque argumenta probat. Inde de Aſiarchis agit, qui præſides cæterorum Aſiæ Sacerdotum fuerint, atque ludis certaminibusque publicis, quatenus illa ſacra eſſent, Diiſque aut Imperatoribus dicata, præfuerint. An autem plures ſimul fuerint Aſiarchæ, disquirit, cum Act. XIX v. 31 mentio fiat Ἀσιάρχων; quod tamen ita factum ſcribit, quod illo tempore adeſſent, qui olim Aſiarchatus munus geſſerant. Ex Ariſtide tamen probat, plures, ac quidem diverſis ex urbibus fuiſſe Aſiarchas, unumque ex his primum, cæteros adſeſſores aut ſocios. In nummis etiam conſpici ſæpe plures ac diverſos diverſarum civitatum Aſiarchas, Smyrnæorum, Pergamenorum, Sardianorum &c. Iſtos Aſiarchas ex Ἀρχιερεῦσι promotos, & τὸ Κοινὸν ſive Commune tredecim urbium, ſuum habuiſſe Aſiarcham; qua occaſione de hac, aliisque Græcorum Communitatibus, notatu digna adfert Auctor, ſed nobis, brevitatis ſtudio, ſilentio prætermittenda.

Diſſertatio *quarta* de Neocoris Sacerdotibus & urbibus agit. Neocorus, ſecundum Suidam, erat ὁ τὸν νεὼν κοσμῶν καὶ ἐυτρεπίζων· ἀλλ' ἐχ' ὁ σαρῶν, *is, qui templum ornat ac diſponit, non vero qui verrit, aut purgat:* uti cultores & ornatores templorum Latinis dicti Æditui. Ex eo autem, quod quis dicatur κράτιςος νεωκόρος, colligit Auctor, certum fuiſſe collegium Neocororum, aut ſaltem unum præ reliquis eminuiſſe, & hunc Κράτιςον forte eundem fuiſſe, qui tum Ἀσιάρχης, tum & Ἀρχιερεὺς XIII urbium Aſiæ Propriæ dictus ſit. Ζάκοροι autem illi, quorum mentio apud Plutar-

tarchum & Athenæum, iidem cum νεωκόροις Auctori fuisse videntur. Fuisse autem Æedituas quoque fœminas monet, quæ certam sacrorum curam habuerint. Inde de origine urbium Neocorarum agit, quam deberi Dianæ, ejusque apud Ephesios cultui ait, cujus Neocoram seu cultricem urbs Ephesiorum se tulerit. Ephesios autem Magnetes ad Meandrum, qui suam Dianam nominarint Αρτέμιδα λευκοφρύνην, æmulatos fuisse. Pergæos quoque Dianæ Pergææ templum habuisse, quod æque ac Dianæ Ephesiæ, jure asyli gavisum sit, ut & ipsi ea ratione fuerint Neocori. Ab his Pergamenis initium habuisse putat Cæsarum atque Augustorum ab urbibus Asiæ impetratas Νεωκορίας; nisi quod Ilienses ipsis priores fuisse videantur, qui Cæsaris & Æneæ Dardanii facti sint Neocori. Sic etiam aliis urbibus Græcis atque Asiaticis concessum monet, ut essent Neocoriæ Augustorum, probatque variis in urbibus, Romæ, Cæsari & Augusto aliisque templa fuisse consecrata, arasque positas: etsi de urbibus Galliæ & Hispaniæ, ipsiusque Italiæ monet, licet & templis, & ludis sacris ac solennibus in honorem Cæsarum gauderent, non tamen Neocoras dictas, aut eum titulum ambiisse. Has autem urbes Neocoras non solum præ aliis prærogativam jactasse, sed etiam ipsas inter se de Πρωτεία seu Primatu contendisse; Ephesios præsertim, Smyrnæos, ac Pergamenos; adeo ut horum singuli in nummis se dixerint Νεωκόρες πρώτες Ασίας, immo Ephesii μόνες πρώτες Ασίας. Rationem inde integro capite examinat, unde civitates bis, ter, quaterve factæ fuerint Neocoræ? quæ disquisitio cum difficultatis plurimum habeat, compendio recenseri a nobis non potest, ex libro ipso a cupido harum rerum lectore haurienda.

Dissertatione *quinta* pergit ad Stephanephoros, Prytanes, Strategos & Scribas Græcorum. Et quidem de Stephanephoris non quibuscunque (omnes enim Sacerdotes coronatos sacrificasse) sed de istis, qui peculiare Sacerdotum, quin & Magistratuum genus constituerint, acturum se profitetur. Non alios vero fuisse putat, quam Pontifices Maximos, & vel Herculis, vel alius Dei, Deæve, quin & Augustorum Augustarumque Sacerdotes. Reinesium *cl. I. n. 72.* illos ad Magistratum politicum referre, & cum Harmostis Lacedæmoniorum, i. e. rectoribus urbium devictarum com-

comparare. Præfuisse autem eos quoque ludis ac certaminibus, fere ut Sacerdotes Neocoros. Annuos fuisse, hincque secundum vel tertium Stephanephoros in inscriptionibus esse obvios. De Prytanibus Græcorum docet, eos & summos magistratus, & sacrorum præsides, etsi non peculiares certi alicujus Dei aut Deæ Sacerdotes fuisse. Hos autem Prytanes vel annuos fuisse, vel ad vitam, seu tota post electionem perdurante vita, vel denique ex successione seu jure hæreditario. Plures vero quandoque in una civitate (præterquam Athenis) fuisse Prytanes, ita tamen, ut qui ἐπώνυμος inter ipsos esset, πρῶτος Πρύτανις diceretur. Fuisse quoque Prytanes fœminas, quæ tamen in regimine politico locum non habuerint. Strategorum etiam illustre fuit inter Magistratus apud Græcos nomen, adeo ut suo adhuc tempore Constantinus Magnus, jam Augustus, Στρατηγὸς Atheniensium appellari voluerit, idque sibi gloriæ duxerit: quod munus tamen non idem in omnibus civitatibus, nec idem semper in eadem fuisse, Auctor observat. Non tam bellicum, posterioribus saltem temporibus, quam civile seu politicum fuisse, pro veteri vocis στρατῦ usu de populi cœtu seu urbana multitudine, Illustrissimo Spanhemio assentitur, & ad id annonæ curam inter alia spectasse observat. Plures autem simul una eademque in civitate Strategos quoque fuisse monet, quorum unus tamen ἐπίτροπος, πρῶτος, ἐπώνυμος fuerit. Habuisse etiam Judæos suos Strategos, ex Lucæ XXII v. 4. 52 probat, qui erant præfecti custodiæ templi: unde qui versu 4 simpliciter στρατηγοὶ dicuntur, v. 52 appellentur στρατηγοὶ τῦ ἱερῦ. Denique inter ἐπωνύμυς magistratus etiam Γραμματεῖς numerat, qui in pluribus Asiæ urbibus obtinuerint, diversis muneribus functi, imprimis vero legibus actisque in tabulas referendis custodiendisque occupati. Magnæ autem eos auctoritatis fuisse, tum ex Act. XIX v. 35, ubi ὁ γραμματεὺς non solum ad populum tumultuantem locutus, sed & concionem dimisisse dicitur, tum ex nummis, in quibus cum Ἀρχιερεῦσι conjunguntur, demonstrat.

Dissertatione *sexta* agit de concilio Amphictyonum, & hujus primæva origine, quam alii Amphictyoni, alii Acrisio adscribant. Primo illud fuisse XII urbium, quæ singulæ ad Pylæam, Thermopylis primum institutam, unicum miserint Pylagoram; tempore ve-

vero procedente, non ſolum plures civitates, ſed etiam tandem integras regiones ad hoc Κοινὸν ſeu communitatem acceſſiſſe, atque hinc quoque factum, ut plures numero Pylagoræ ſimul a civitate ſeu regione mitterentur, quamvis iſti plures unicum ſolum ferrent ſuffragium, donec & hæc temporis tractu mutarentur. Denique ex Pauſaniæ verbis concludit, nunc hos populos vel civitates inde fuiſſe excluſos, nunc alios adlectos, uti Macedonum probat exemplo, qui extruſis Phocenſibus locum inter Amphictyones fuerint adepti. Bis autem per annum conventum celebraſſe Amphictyones, Auctor porro docet, initio quidem veris in urbe Delphica, initio vero autumni ad Cereris templum in Thermopylis, unde concilium illud πυλαία fuerit adpellatum. Conſultatum etiam de rebus quibusvis in utroque conventu, contra Jo. Marshamum, qui res ſacras tractatas fuiſſe Delphis ait, profanas Thermopylis, Auctor evincit. Membra hujus concilii fuiſſe tum Hieromnemones, tum Pylagoras, quorum illi ſuper hos eminuerint. A majoribus civitatibus plures quandoque miſſos Pylagoras, unum vero Hieromnemonem. Occaſione Amphictyonum agit & de Theoris, i. e. qui ad conſulenda Deorum oracula, aut ad peragenda ſacrificia, ad donaria offerenda, ad ludos ſolennes celebrandos, ſimiliave mittebantur, quos inter Architheorus eminebat: nec non ſpeciatim de Hierophantis Athenienſium, qui myſteriis præcipue Eleuſiniis præerant & myſtas initiabant, circa hæc ſacra ordine ac dignitate omnium, excepto Rege, primi, cæterorumque ſacerdotum ſeu miniſtrorum, quales erant Daduchi, qui faces præferebant, Ceryces aliique, præſides.

Diſſertatio *ſeptima* agit de Agonothetis, Hellanodicis, Alytarchis, Panegyriarchis. Plurimos in Græcia uſitatos fuiſſe agones, ſeu ſacra certamina ac ludos, eosque tractu temporis magis adauctos conſtat, inprimis poſtquam etiam in honorem Imperatorum fuere inſtituti. Ad hos igitur agones pertinebant Agonothetæ illisque moderabantur, athletasque admittebant, excludebant, caſtigabant, remunerabantur & coronabant. Nec Ἑλλανοδικῶν alia functio fuit, quos antiquioribus temporibus Æſymnetas quoque appellatos, Auctor monet. Diverſos autem ab iis Alytarchos fuiſſe, contra Fabrum & Humfredum Prideaux Auctor probat, et-

ſi

ſi non diffiteatur, in hac illave Hellanodicarum muneris parte vicariam aliquando operam Alytarchos præſtitiſſe. Fuiſſe autem Alytarchos proprie præfectos Maſtigophororum, ſive Maſtigonomorum, i. e. eorum miniſtrorum, qui athletis ſortientibus adſtabant, ac ſegnes excitabant, turbam etiam ſpectatorum, ſi neceſſe foret, in ordinem redigebant: hos enim ab Eleis Alytas vocatos, in Etymologico Magno diſerte affirmari. Panegyriarchas vero, qui & Agoniſtarchæ dicti, ludis itidem ac certaminibus moderatos tradit, ſed velut ſummos præſides, ut eorum adeo auctoritas major ampliorque, quam Agonothetarum eſſet. Sed his immorari nobis non licet; unde nec Agonothetidas, quæ virginum ac fœminarum certaminibus præerant, aliaque, de quibus fuſe Auctor, hic attingimus.

Diſſertatione *octava* agitur de Gymnaſiarchis & gymnaſiorum miniſtris. Fuiſſe vero Gymnaſiarchas exercitationum ac certaminum Gymnaſticorum ſummos moderatores ac præfectos, neminem latet. Munus ipſum ut plurimum annuum fuiſſe, ex inſcriptionibus Auctor docet; nec diſſimulat tamen, Athenis quandoque Gymnaſiarchas ſingulos ſingulis menſibus præpoſitos fuiſſe: qua occaſione de menſibus Atticis agit, horumque ordinem, & qua ratione cum menſibus Romanis conveniant, docet. Cum autem electio Gymnaſiarcharum ad, vel poſt magna Eleuſiniorum myſteria facta fuerit, firmari hinc putat eorum opinionem, qui illa myſteria non quinquennalia, ſed annua fuiſſe cenſent. Sed & Gymnaſiarchas fœminas æque ac Agonothetidas, ſaltem apud Parios, fuiſſe, ex antiqua inſcriptione apud Sponium in Miſcellaneis probat. Inde porro de Xyſtarchis Latinorum agit, de quibus cum Mercurialis & Faber diverſa ſenſerint, eosque Falconerius fruſtra conciliare, judice Auctore noſtro, fuerit anniſus, ejus quidem ſententia eo redire videtur, ut Gymnaſiarchis Græcorum pares fere Xyſtarchas Latinorum faciat, cum utrorumque idem fuerit munus, illorum nempe in Gymnaſio, horum in Xyſto, athletas exercere, & utrosque a Panegyriarchis aut Agonothetis cæterisque certaminum publicorum moderatoribus diſtinguat, cum Gymnaſiarchæ æque ac Xyſtarchæ athletas non niſi per præludia, ad vera certamina in agonibus publicis præſtanda præpararint ac inſtruxerint. Tacemus,

mus, quæ de Cosmetis, Gymnastis, Pædotribis, Aliptis, aliisque Gymnasiorum ministris prolixe edisserit.

Dissertatione *nona* eaque ultima de Fratriis, Thiasitis, Orgeonibus, similibusque quamplurima adfert notatu dignissima, sed quæ & ipsa, prolixitatis evitandæ studio, silentio prætermittimus. Cæterum in tota tractatione inscriptiones explicat atque emendat innumeras, alias supplet atque restituit; quod primarium etiam doctissimi Auctoris institutum fuisse, sub initium statim monuimus. Dolendum tamen, quod hinc inde aliqua irrepserint errata typographica, quod cum ipse in præfatione sua agnoverit Auctor, eorundem emendationem in iterata editione promittit.

ARCANA BIBLIOTHECÆ THOMANÆ LIPSIENsis Sacra retecta, a M. Heinrico Pippingio, in æde Thomana Verbi Divini Ministro.

Lipsiæ, apud J. L. Gleditschium, 1703, in 8.
Plag. 10.

HAbent interdum Bibliothecæ publicæ etiam exiguæ sua, quæ minime contemni merentur, cimelia. Quod probe perpendens opusculi præsentis Plurimum Reverendus Clarissimusque Autor, idemque in colligendis Eruditorum Actis a pluribus annis accuratissimus diligentissimusque Collega noster, supellectilem librariam, quæ in templo Thomano Lipsiensi a piis majoribus colligi cœpta est, & hodieque pro facultatibus huic instituto consecratis augetur, paulo diligentius excussit, ex quo ante annos aliquot, ad sacrum in isto templo Ministerium divina providentia vocatus fuit. Et ejus sane apparatum iis monumentis haud destitui observavit, de quibus peculiari in scripto nonnulla dici possent. Enumeravit itaque in hoc tractatu quædam e præcipuis, ubi ante omnia brevem Bibliothecæ istius historiam texuit, in qua originem illius ad B. Nicolaum Selneccerum, Theologum celeberrimum, & templi olim Thomani Pastorem diœceseosque Lipsiensis Superintendentem retulit, ac liberalitatem Theologi non minus laudatissimi D. Henrici Höpfneri, qui suam Bibliothecam integram eidem legare dignatus est, curamque Pastorum Thomanorum & aliquot in æde

ista

ista sacra Ministrorum, quam in eam ornandam exaugendamque impenderunt, ex merito commendavit. Arcana vero sacra dum ad Theophili Spizelii exemplum in titulo proposuit, isto nomine MSta aliqua subinnuit, quæ ibi delitescunt. Et ea partim quidem minutiora sunt; indicavit tamen insuper & alia, quæ magis in oculos incurrunt. Ex ista classe observationes non unas allegavit, quas Selneccerus maxime libris ibi repositis passim allevit, velut ubi de Bibliis polyglottis Antverpiensibus, auspiciis Philippi II Hispaniarum Regis editis, judicium & censuram sat prolixam tomo eorum primo adscripsit, & operibus Philippi Melanchthonis quædam, quæ in iis obelo notari mereantur, anteposuit, & librum de Veritate Catholicæ Fidei, tanquam omnium fere, quos Thomas Aquinas *scripsit*, præcipuum & optimum laudavit, ut plura taceamus. De operibus Thomæ a Kempis mentem aperit Michaelis Stifelii, multa in iisdem Papistica & a doctrina pietatis aliena occurrere, manu sua in editionis A. 1520 curatæ frontispicio testantis. His aliisque in medium allatis, reperiri in eadem Bibliotheca Noster refert istud Confessionis Ecclesiarum Saxonicarum exemplar manuscriptum, quod in Concilio Tridentino exhiberi debuerat, nisi postea secus visum Electori Saxoniæ fuisset. Cujus quidem rei historiam simul enarrat, &, utut ista Confessio Lipsiæ A. 1553 impressa, inque operibus Phil. Melanchthonis repetita fuerit, nihilo tamen *secius aliquo loco* censendum esse hoc exemplar innuit, vel ideo, quod non Melanchthon modo, quem autorem habuit, multa in eo addidit & emendavit, sed nomina quoque Theologorum Virorumque alias celeberrimorum, qui Lipsiam idcirco evocati fuerunt, manu cujusque subscripta conspiciuntur. Præ reliquis tamen prolixus est in commemorando aliquo Commentario hactenus inedito, quem Germanica lingua, circa seculi decimi sexti medium, composuit Michael *Stifelius*. Hunc Autor accurate discernit a fanatico illo notissimo, Jesaia Stifelio, & post suppeditata quædam lemmata, quæ istius vitæ historiam respiciunt, speciminis in vicem loca Apocalypseos illustriora, a Stifelio in hoc Commentario exposita, verbis Autoris consulto retentis, exhibet. Appendicem denique subnexuit, quæ Superintendentium, Pastorum & *Diaconorum*, quotquot in Thomano templo inde a facto Re-

formationis Lipsiensis initio sacrum docendi munus obierunt, nomenclaturam tradit, ad eum fere modum, quo, dum patriæ historiæ illustrandæ lubentissime operam impendit Auctor, ante hoc biennium Rectores Academiæ Lipsiensis, qui seculo proxime elapso sibi invicem successerunt, in Epistola Gratulatoria ad Dn. D. Gottlob Fridericum Seligmannum, Theologum nostratem in utraque cathedra insignem celeberrimumque, Socerum suum, cum Rectorales ille fasces A. 1701 deponeret, perscripta & luci itidem publicæ exposita, recensuit.

D. JO. BENEDICTI CARPZOVII FIL. COLLEGIum Rabbinico-Biblicum in Libellum Ruth.

Lipsiæ apud hæredes Lanckisianos, 1703, in 4.

Alph. 3. plag. 4.

IStud sibi cum Professione Hebræarum litterarum, cui in Academia nostra per annos aliquot summa cum laude præfuit, negotii datum esse existimavit B. Carpzovius, ut non fundamenta tantum doceret tyrones, sed & provectiores ad accuratiorem textus Biblici tractationem, & cognitionem idiotismorum linguæ sanctæ a genio cæterarum remotissimorum, atque emphaseon in phrasibus & vocibus latentium enucleationem, denique & lectionem Rabbinorum literalium, ac versionum variarum collationem, laudabili antecessorum suorum, & magni imprimis Geieri, exemplo manuduceret. Istud ergo cum diligenter persequeretur, e re & commodo studiosorum juvenum fore putavit, si & ipsi ingenii sui vires periclitarentur, atque ea, quæ in lectionibus ipsius didicissent, institutis hebdomatim exercitiis repeterent, autorque adeo ipsis fuit, ut, quem in tyronum gratiam, tum ob facilitatem styli historici, tum brevitatem omnibus gratam, pro lectione quasi exoterice enarrandum susceperat, libellum Ruthæ paulo limatius & veluti acroamatice considerandum, materiam ipso fideliter præeunte, reassumerent, & commentationes, quæ sic enatæ essent, publicæ exponerent ventilationi, explicandas ulterius & ad usum transferendas. Et methodum quidem in singulis exercitiis servandam sumsit hanc. Ea primum textus authentici pericopa, quæ exponenda venit, cum versione e notis ei subjectis composita præmittitur.
Hanc

Hanc excipit deinde paraphrasis Chaldaica cum versione, quæ verbum verbo reddit. Postea, quid Masora parva æque ac magna annotarit, verbis cum Hebraicis tum Latio donatis sequitur. Inde Peruschim seu commentaria trium Rabbinorum, R. Salomonis Jarchi, R. Aben-Esræ, & R. Salomonis Aben-Melech, &, si quid in spicilegio suo ad hunc contulit R. Jacobus Abendana, accedunt fideliter transferenda, ac denique Autoris comparent annotationes, quæ textum Hebræum solide tractare docent, ubi phraseologia Spiritus Sancti quoad vocum & idiotismorum emphasin evoluta, adductis abunde locis parallelis, collatisque quæ merebantur, versionibus, rituum quoque & ceremoniarum veterum Hebræorum, quæ occurrunt, ratio habetur. Istis autem omnibus in præliminari Dissertatione strictim præmisit, quæ de libelli hujus autore, titulo, contentis, lingua originali, sede & ordine, quo collocatur in sacris Bibliis, scitu non indigna visa sunt. Initium cepit istud collegium anno superioris seculi sexagesimo nono, & continuatum fuit ad annum usque septuagesimum tertium, quo decimo Decembris die ultima Disputatio, eaque duodecima in capitis secundi versu decimo desinens, exhibita fuit. Ad majora enim in Ecclesia pariter & Academia vocatus Vir Celeberrimus, laborem istum abrumpere & imperfectum relinquere necessum habuit. Ne tamen interiret penitus, visum est illius æstimatoribus, *ut ex pulvere*, in quo hactenus latuerat, *educeretur*, *atque luci publicæ sisteretur*, isto quidem modo, ut, quæ a capitis secundi versu decimo ad finem usque libelli deessent edito Collegio, ex aliis B. Autoris alio tempore in eundem libellum prælectionibus continuarentur, & ad finem perducerentur. Nempe jam olim libellum Ruthæ intra privatos parietes totum tradiderat, usus *isto* docendi genere, quo præmisit libelli textus, juxta Grammatica Schikardi præcepta, resolutionem, deinde Rabbinos, Jarchium & Aben-Esram, una cum versionibus dictitavit calamo excipiendos, postmodum annotationes ad textum Hebraicum subjunxit, & imitationes tandem ad illum proposuit. Qui labor etiam post mortem Autoris tantum meruit applausum, ut in supplementum prioris illius postulatus, ejusque cura Filio Autoris majori, vestigiis Parentis in Hebraica litteratura excolenda strenue

nue

nue insistenti, demandata fuerit. Facilis ille annuit, &, omissis tamen Grammaticis resolutionibus atque imitationibus, omnia, quemadmodum in autographo Patris invenerat, communicavit. Cumque deesse intelligeret nonnulla, quæ in posteriori labore accesserunt, versionem videlicet & ipsius originalis textus, & Targumi, & utriusque Masoræ, cum R. Aben-Melecho & ad hunc R. Abendanæ spicilegio, omnes illos, ubi desierat B. Autor, ipse ad finem usque libelli in linguam Latinam transtulit. In eo tamen a Disputationum methodo secessum fecit, ut, cum ibidem certæ pericopæ aliquot versibus constantes junctim tractarentur, heic omnia, quæ ad unum versum pertinent, singulis subjiceret. Et ne forte aliquid, quod in manuscripto exemplari invenerat, omitteretur, totius libelli Logicam, quam in priori collegio Autor tradidit, resolutionem, una cum additis quibusdam, quæ in suo exemplari impressis ille Dissertationibus passim tanquam inserenda adjecit, suppeditare placuit.

SAMUELIS PUFENDORFII INTRODUCTIO AD Historiam Europæam, Latine reddita a JOAN. FREDER. CRAMERO.

Ultrajecti, apud Guil. Vande Water, 1703, 8. Alph. 2.

INter tot Historiæ compendia, quæ in lucem publicam prodierunt, nullum fortasse tantum omnium applausum meruit, quam hæc Samuelis Pufendorfii in Historiam Europæam Introductio. Anni vix viginti lapsi sunt, ex quo patrio eam, i. e. Germanico sermone primum Illustris Auctor edidit, ceu in Actis Eruditorum A. 1682, mense Novembri, p. 336 indicavimus. Tam avide vero exceptus liber fuit, ut jam A. 1699 quartum typis fuerit exscribendus, & ejus etiam editionis exempla pauca admodum supersint. Cumque postea in gratiam illorum, qui Germanicæ linguæ periti non sunt, Latinitate eum Vir celeberrimus Jo. Fred. Cramerus donasset, ea quoque versio, accedente insuper styli nitore ac elegantia, tot emptores invenit, ut copia illius haberi amplius non posset, & obstrictum adeo se, ut tertium eam typis committeret, Typographus senserit. Atque hæc nova est versionis Latinæ editio, duabus prioribus non eo tantum nomine præferenda, quod quam emendatissima, ut in præfatione Typographus obtestatur, prodeat, sed quod Historia etiam Sueciæ, quæ in illis non comparuit, accesserit, ex majori & peculiari opere, quo complexus eam Pufendorfius Germanico idiomate fuerat, in compendium redacta.

* * * * * * * * * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii, *Anno* M DCCIII.

NICOLAI GURTLERI, IN SCHOLA ACADEMICA *Daventrienſi SS. Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, Syſtema Theologiæ Propheticæ.*

Amſtelædami, apud Gerardum & Jacobum Borſtios, 1702, 4. Conſtat Alph. 4. plag. 7.

NOn ſolum Prophetarum mentio fit apud Ægyptios Græculos, ſed & Hypophetarum, quorum illi oracula ac ſacra dogmata proponebant, hi in ordinem collecta, elegantiusque coagmentata poſteris tradebant. Nos, ſed honeſtiori elogio, Hypophetæ titulum impræſens merito adſcribimus eruditiſſimo Viro, *Nic. Gurtlero*, ex edita Hiſtoria Templariorum & Syſtemate Theologico dudum celebrato. Hic ſaluberrimo inſtituto, nec hactenus ab ullo ad colophonem perducto (etſi Auctor *Prodromi Corporis Theologiæ*, a nobis anno primo Actorum p. 312. commemoratus, conſilium parum a præſenti diſtans habuerit) quicquid Propheticorum oraculorum in ſacro codice continetur, collegit, in ordinem nec invenuſtum, nec inconcinnum redegit, ac ita illuſtravit, ut gratias ipſi Orbis Eruditus omnino debeat. Has ipſi non ominatus ſolum eſt, ſed & pulcerrimis primitiis obtulit Naſo Batavus, celeberrimus Francius, pereleganti prolixoque de variis revelationis Divinæ generibus carmine præfixo, quod compendium operis Gurtleriani dici meretur.

Noſter, ut ab ovo rem ordiamur, omnem Prophetiæ penum excuſſurus, initium capit a dono futura prædicendi, cujus originem ut a Deo, ſuorum operum optime conſcio, atque ad revelandam hominibus gloriam ſuam propenſo derivat, ita cumpri-

mis Spinosam, vaticinia quævis a vivida imaginationis virtute de-
cap. II. rivantem, cepisse refellit. Hinc de diversis futura revelandi
p. 27. 28. modis a Deo adhibitis agit, eorumque (cum pauciores hactenus plerique numeraverint) mystico, sed quod ipse præmonet, non sollicite a se quæsito numero, septem recenset, videlicet visionem emblematum, somnia, visionem & auditionem ipsius Dei in corporea forma apparentis, ænigmata, missionem Angeli, inspirationem Spiritus S. & vocem e cœlo editam. Qua data occasione, conciliationem dictorum Act. XXII, 9. & IX, 7. tentat, quorum priori dicitur, Pauli comites vocem non audivisse, posteriori vero,
p. 5. auscultasse eos vocem, sed neminem vidisse, commemoratur. Nam audivisse eos Pauli Christo respondentis sermonem pronunciat, neminem vero vidisse, quocum loqueretur. Filium vero Dei non solum super Propitiatorio habitasse ac responsa edidisse, sed & ple-
p. 24. 54. rasque V. Testamenti apparitiones Divinas per illum factas, passim pronunciat, notasque, quibus a veris falsi vates discriminari pos-
cap. III. sint, numero sex, videlicet commendationem Dei falsi, eventum prædictioni non respondentem, defectum charitatis erga proximum, propositionem falsæ doctrinæ, pravam conversationem, & gloriæ Jesu Christi imminutionem, magno studio exponit.

cap. IV. His explicatis, aggreditur doctissimus Vir Systema ipsum, & postquam observasset, Ecclesiæ fata in vaticiniis Biblicis constanti methodo per tres ætates disponi, ac singulis ætatibus septem articulos attribui, hanc sibi cynosuram cursus sui constituendam existimat, tresque adeo Ecclesiæ ætates, unam a condito mundo ad Mosen usque, alteram a Mose ad Christi mortem, tertiam ab eadem usque ad mundi interitum collocat, ac *primæ* ætati septem periodos adscribit: primam ab Adamo ad Enosi nativitatem, annorum 235; ab Enoso nato ad raptum Henochi secundam, annorum 752; tertiam ad diluvium usque, annorum 670; quartam a diluvio ad dispersionem posterorum Chami ad turrem Babylonicam, annorum 101; quintam ab ista dispersione ad Abrahami exitum ex Charris, annorum 325; sextam ab exitu illo ad ingressum Jacobi & liberorum ejus in Ægyptum, annorum 215; septimam denique ad egressum Israëlis ex Ægypto, annorum totidem. Ex his primam Ecclesiæ ætatem, quæ annis 2513 absolvitur, componit, deque veris, qui

qui in eadem extiterint, Prophetis sigillatim agit, falsos quoque, quos ex κακοζηλίᾳ verorum exortos ostendit, commemorat, simulque Ammiani Marcellini & Plutarchi de vi fatidica opiniones refutat, quorum ille Solem, mundi mentem, elementis præsentiendi facultatem imprimere, ac animas humanas, quæ ejus scintillæ sint, inflammando futurorum conscias reddere docuit; hic homini facultatem vaticinandi natura inesse, ac terram præterea halitus ad divinandum aptos eructare existimavit. Noster his relictis, fata primæ ætatis, quæ prædicta divinis auspiciis erant, singula percenset, eventumque illis quam optime respondisse evincit. *cap. V.* *cap. VI.* *cap. VII.*

Secundam vero ætatem consimiliter in septem articulos partitur, quorum primus iter Israëlis per desertum continet, annorum 40; secundus ab ingressu in Cananæam regionem ad Saulis usque regimen extenditur, annorum 356; tertius Saulis, Davidis, Salomonis & Roboami imperia continet, annorum 120; quartus a scissione regni usque ad captivitatem Babylonicam protenditur, annorum 371; quintus annos 70 captivitatis complectitur; sextus a liberatione ex captivitate ad Judam Maccabæum pertingit, annorum 373; septimus usque ad Christi mortem, annorum 193. Vates hujus ætatis veros suo quemvis ordine recenset, eorumque scripta omnia ad quatuor capita reducit, nempe ad consilium Dei de genere humano redimendo, descriptionem futuri redemptoris, fata populi redimendi, ac hostium illius molimina pœnasque. His inter se varie commixtis dispositisque, vaticinia quælibet constare affirmat, magnaque industria tum Psalmos, tum majores minoresque Prophetas resolvit, ac singulorum capitum contenta tradit. Post hæc falsos ætatis secundæ Prophetas recenset, Sibyllas præsertim & Oracula, quæ Dæmonum virtute facta, contra doctum Virum probat. Fata vero hujus ævi, collatis prædictionibus ac eventibus, prolixe interpretatur, nullo istuc spectante prophetico dicto temere prætermisso, quorum multa peculiariter explicat ac illustrat. Nam per singulas periodos septem, primo populi Israëlitici, dein aliarum nationum prædictas res edisserit. *cap. VIII.* *cap. IX. X. XI.* *p. 95.* *cap. XII.* *cap. XIII. XXII.*

Atque ut specimina quædam Gurtlerianæ industriæ demus, dictum Es. VII, 8. de 65 annis, quibus elapsis Ephraim non amplius populus futurus sit, intelligendum censet de commixtione residuorum post abductionem Salmanassaris Israëlitarum cum no- *p. 186.*

novis colonis Samaritanis ab Assarhaddone missis, quæ colonia 65 annis post secundum Ahasi annum, quo Esaias vaticinatus est, ducta sit.
p. 218. Vaticinium Ezech. IV, 4. 5. 6. de 390 annis peccatorum Israëlis, & 40 annis peccatorum Judæ, ita interpretatur, ut anni 390 pertineant ad totum Israëlem, Juda non excluso, incipiantque a cultu vitulorum per Jeroboamum instituto, & desinant cum Hierosolymorum vastatione, 40 vero anni Judæ in istis includantur, sintque illi ipsi, quibus Jeremias munus propheticum, refragante populo, administravit. Fata Tyri, ab Esaia & Ezechiele prædicta, Scaligero aliisque perdoctis hominibus scrupulum injecerant, qui e-
p. 238. ventum illis deesse mussitarunt. Noster evincit ex Josepho contra Apionem aliisque, Tyrum veterem a Nebucadnezare oppugnari cœptam anno, qui Hierosolymorum expugnationem proxime excipiebat, captam vero tredecim post annis, Tyriosque post 70 annos, annis LXX captivitatis Babylonicæ parallelos, in patriam rediisse,
p. 306. ac novam Tyrum condidisse, quæ juxta Ezechielis vaticinium cap. XXVII, ab Alexandro M. deleta sit, quo tempore veteris Tyri rudera ad aggerem construendum in mare præceps data sint, quod Ezechiel cap. XXVI prædixerit. Vaticinium ejusdem c. XXIX, 11. de quadraginta annis desolationis Ægypti, quod cum eventu non
p. 244. respondere Josephus Scaliger existimavit, Nebucadnezaris ac Cyri ævis impletum, annosque istos a fœda clade, quam a Cyrenæis Apries acceperat, deducit. Medos quoque Babyloniorum imperio aliquando subfuisse, quod Herodotus aliique inficias ire videbantur, Prophetæ vero affirmant, Alexandri Polyhistoris auctoritate probat, magnoque molimine efficit, ut nullum detur Vatum V. T. oraculum, quod cum Historia profana accuratius exposita non pulcerrime conveniat. Quare oraculis istis ipsa classicorum scriptorum loca ubivis subjungit, ut ex collatis utrorumque verbis res eo uberius dispalescat. Multum quoque ipsi laboris facessunt controversiæ Chronologicæ, cumprimis eæ, quæ circa Babylonicos Mo-
p. 256. narchas & LXX Danielis septimanas tractantur. Hic omnem movet lapidem, ut ostendat, Belsazarem Danielis eum ipsum esse, quem alii cum Beroso Laborosardachum appellant, Nabonidum vero esse Darium Medum. Perelegans est ejus observatio, Ahasveri no-
p. 274. men concernens, quod Noster non proprium, sed appellativum esse,

esse, atque Persicis Regibus commune fuisse, pro comperto habet. Templum tertium Hierosolymitanum ab Herode exstructum Gurtlero nostro ad fabulas relegandum videtur; quod doctissimis viris, Capello & Lightfooto, a Josepho deceptis, non suboluisse miratur. Nam & in Haggæi vaticinio templum Zorobabelis postremum appellari, & Josephum sibi hac in parte palam contradicere ostendit. Displicet quoque ipsi summopere vulgata lini fumigantis & calami quassati apud Esaiam & Matthæum explicatio. Nam collatis circumstantiis, non de infirmis suscipiendis, sed de populo Israëlitico interitui proximo ad certum tempus tolerando, eadem interpretatur. *p. 377.* *p. 389.*

Ad *tertiam* Ecclesiæ *ætatem* post hæc se confert, septem quoque periodis eidem adscriptis, & ex Apocalypsi firmatis. Nam prima ipsi a Christi excitatione usque ad Domitianum extenditur; secunda ab hoc ad Constantini a Licinio reportatam victoriam; tertia ab eopse termino ad Bonifacium III, Papam Romanum; quarta a Bonifacio ad Gregorium VII; quinta a Gregorio ad A. C. 1517; sexta ab anno isto ad pacem religiosam A. 1555 sancitam; septima ad finem usque mundi. Apocalypsin vero ita partitur, ut septem Ecclesiis Asiaticis indicari putet universalis Ecclesiæ N. Testamenti fata, ejusque per septem periodos futuram conditionem internam; septem sigillis conditionem externam; septem vero tubis fata orbis nobiliora, quæ ad Ecclesiam propius respiciunt. Hac ætate agnoscit non solum Apostolos fuisse Prophetas, sed & analogum quid dari judicat in Salviano, Merlino, Joachimo Abbate, Hieronymo Pragensi, Andrea Prole, Luthero & Jac. Usserio, qui cædem Hibernicam, quadraginta ante annis, concione ex Ezech. IV, 6 habita publice prædixerit. Hinc ævi ejusdem falsos vates enumerat, dubiusque hæret, num inter eos Montanum & Priscillam ac Maximillam justo referre titulo possit, quos excusandi multæ adsint rationes, cumprimis quod Apollonius, qui de illis sinistra multa prodidit, in aliis fidem decoxerit, Tertullianus vero, severus censor, eosdem approbaverit. Fata hujusce ætatis non minus studiose vaticiniis ac Historia inter se scite compositis enarrat, multaque scitu necessaria, & Exegetæ cumprimis perutilia, larga manu adspergit. De Neronis persecutione accedit privatæ Illustris Cuperi *Cap. XXIII.* *Cap. XXIV* *Cap. XXV* *C. XXVI, XLVI* *p. 491*

 ri

ri ſententiæ (cujus præſtitam ſibi in ſubminiſtratis elegantioris literaturæ argumentis opem paſſim collaudat,) eam nimirum extra Romæ mœnia vix egreſſam, & quæ de Hiſpanicis cædibus, inſcriptionis Luſitanicæ auctoritate, Baronius, Pagius aliique tradant, ruinoſo fundamento niti. Nec ſine argumentis ita pronunciat, quæ ex Cuperi Epiſtola proponit: Sulpicium videlicet affirmare, trans Alpes ſerius Evangelium veniſſe, & ſub Aurel. Antonino primos ultra eosdem martyres viſos, quod de Hiſpanis ultra Pyrenæos montes æquo jure poſſit ſtatui: Hiſpanorum Chriſtianorum numerum exiguum fuiſſe: Tacitum & Suetonium non niſi de Romana ſtrage loqui: imo Sulpicium Neronis graſſationem Roma urbe concludere viſum: ſuſpectas eſſe deletas ultimas Luſitanici lapidis lineas, quem Gruterus in ruinis Marqueſiæ, Scaliger Piſvergæ repertum

p. 515 diſſenſu memorabili referant. Hinc Noſter decem vexationes univerſales Domitiano, Trajano, M. Aurelio, Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano & Licinio tribuit. De 1260 diebus Propheticis, ſive annis, quibus Eccleſia Antichriſti tyrannidem paſſura ſit, diligenter ac docte agit, contra Coccejum evincens, eos

p. 560 ante quintum ſeculum inchoari non poſſe. Decem regna ſub cornuum imagine a Daniele & Joanne prædicta ea eſſe, quæ ex migrationibus ſeculi poſt Chriſtum quinti prodierint, videlicet, Francicum, Viſigothicum, Suevicum in Luſitania, Vandalicum in Africa, Saxonicum in Britannia, Hibernicum in Scotia, Oſtrogothicum, Hunnicum in Pannonia, Alemannicum in Germania, & Burgundi-

p. 690 cum in Gallia. Inter alia commemorat, poſt obitum Cardinalis Lotharingi, inter chartas ejus repertam fuiſſe quandam, in qua ſcriptæ extiterint rationes pecuniæ, ad fovendas Proteſtantium diſcor-

p. 725 dias impenſæ. Notandæ etiam ſunt meditationes Gurtleri de reſurrectione corporum noſtrorum. Exiſtimat enim, poſt lapſum, terra execrationi data, diluvio cadaveribusque fœdata, particulas corporibus humanis formandis nutriendisque deſtinatas valde fuiſſe corruptas, per reſpirationem quoque alienas atomos multas a nobis attrahi; has utpote ad corpus noſtrum componendum non ordinatas, venenatas quaſi eſſe, & machinam tandem expugnare ac deſtruere; in reſurrectione vero nos accepturos particulas tantum noſtras, excluſis alienis & alterantibus, iſtas quoque in priſtinum,

qui

qui ante lapsum fuerit, statum, ratione motus, quietis, figuræ, situs & quantitatis, quæ omnia lapsu immutata fuerint, restituendas. De mille annis Apocalypticis non habet, quod pronunciet, etsi felicitatem Ecclesiæ ultimis temporibus manifestandam exspectet. Judam & Ephraimum censet typos non solum Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, verum etiam Lutheranæ & Reformatæ esse.

Sub calcem, Brightmanni, Medi, Mori, & Hoffmanni Chronotaxeos Apocalypticæ auctoris, Systemata Prophetica examinat, quæ etsi nec carpat nec refutet, facile tamen cuivis apparebit, cruda ea fuisse, nec satis expolita, si cum posterioribus Nostri curis conferantur. Hujus igitur Systema, ut rem in compendium mittamus, sequens est: Sub *periodo prima*, sicut ævo primo Ecclesia est constituta, protoplasti cito a Deo defecere, & Cain fratrem occidit: ita ævo secundo Israelitica Ecclesia educta ex Ægypto ac instituta est, præpropere a Deo desciscens; & tertio ævo Christianus cœtus suscitatus est, cujus defectio primis etiam annis apparuit, Judæi vero in Christianos, etsi fratres, sævierunt. Sub *periodo secunda*, quemadmodum ævo primo homines multiplicati sunt, viasque suas corruperunt, & sub patrumfamilias regimine vixerunt: ita ævo secundo Israelitæ Cananæam occuparunt, idola receperunt, & Judicibus paruerunt; tertio autem ævo Christiani per orbem disseminati, superstitionibus variis adscitis, a Presbyteris & Episcopis gubernabantur. Sub *periodo tertia*, sicut ævo primo potentiores dominium invadebant, diluvio autem, sola Noachi Ecclesia servata, omnes perierunt: ita secundo ævo Reges inaluere, & idololatria, cultoribus veri Dei mire servatis, Israelem inundavit; nec minus tertio ævo Episcopi dominatu quæsito fruebantur, barbaræ nationes ac idola imaginum totam fere Ecclesiam, paucis bonis piisque conservatis, obruerunt. Sub *periodo quarta*, quemadmodum ævo primo Nimrod Babylonem exstruxit, secuta conditorum dispersione: ita ævo secundo Jeroboam Samaritanum regnum vitulosque constituit, insequente dispersione in captivitatem; ævo pariter tertio Antichristus Babelem mysticam condidit, acciditque schisma Græcorum & Latinorum. Sub *periodo quinta*, sicut ævo primo filius Dei nec semel apparuisse legitur, idolorum autem plena fuere omnia, Abrahamus denique ab idololatris exiit: ita ævo secun- *Cap. XLVII.*

cundo in captivitate Babylonica Schechina deest, idola Chaldæorum recipiuntur, ac Judæi ex captivitate educuntur: consimiliter tertio ævo, Antichristo in templo sedente, verbum Dei silet, corruptio immensum accrescit, Waldensibus, Wiclefo aliisque exeuntibus. Sub *periodo sexta*, quemadmodum ævo primo Deus Abrahamo, Isaaco & Jacobo se revelabat, pastores Abrahami & Lothi altercabantur, Ismael Isaacum vexabat, & Sodoma evertebatur: ita ævo secundo Deus per Haggæum, Zachariam & Malachiam se manifestavit, sacerdotes litigarunt, Hierosolyma a Seleucidis vastata sunt: quin etiam ævo tertio per Lutherum & Zvinglium Ecclesia repurgata est, inter quorum successores controversiæ internecinæ eruperunt, Romaque direpta est. Sub *periodo septima*, sicut Jacobus in Ægypto nutriebatur, Josephus auctoritate florebat, Israel servitute premebatur, & punitis Ægyptiis liberabatur: ita ævo secundo, Judæi in Ægypto multiplicantur, opibus ac honoribus aucti, posthæc a Ptolemæis graviter vexantur, eoque regno per Romanos everso, liberi fiunt: denique ævo tertio gemina Ecclesiæ Christianæ fata, ut Auctori videtur, exspectanda sunt.

Nos, si voto res perficeretur, indicem dictorum Veteris Novique Testamenti in hoc Systemate expositorum, ac eventibus illustratorum, eruditissimo operi, quod citra eundem vix commode utiliterque in tanto vaticiniorum cumulo adhiberi poterit, exoptaremus, excepturi etiam singulari delectatione Systema Historicum, quod doctissimus Vir pollicetur..

THE HISTORY OF THE ROYAL SOCIETY OF London.

Id est,

HISTORIA REGIÆ SOCIETATIS LONDINENSIS, in incrementum Scientiæ Naturalis instituta. Editio secunda. Auctore THOMA SPRAT, Theol. D. Episcopo Roffensi.

Londini apud Rob. Scot, Ri. Chiswel, &c. 1702, 4.

Constat 2. Alph. pl. 11, & fig. æn. 2.

CUm diu hactenus frustra in officinis librariis quæsita fuerit prior hujus libri editio, quæ jam tum A. 1667 comparuit, dignum

gnum eum existimarunt bibliopolæ, quem nunc iterum, quanquam nulla parte auctiorem, ederent. Neque forte inventus est, qui eam Historiam pari elegantia (nam pro exemplo pulcræ dictionis apud Anglos est) pertexere, & ad nostra tempora deducere sustineret, & summe Reverendus Auctor gravioribus negotiis immersus, vel ob corporis imprimis imbecillitatem, quam, cum oblatam a Potentissima Regina ANNA Armachani in Hibernia Archi-Episcopatus dignitatem nuperrime recusaret, allegasse eum accepimus, continuandæ Historiæ laborem ipse suscipere nequaquam potuit. Nihilominus cum nondum exteris satis innotuisse liber rarus videatur, ad quos ne quidem perventurum eum Auctor p. *70* fuerat ominatus, operæ pretium nos facturos esse speramus, si prætermissa prima parte (qua Auctor causas recenset, quare parum præcedentibus seculis excultum fuerit Physicæ studium, quales sunt sectarum varietas, fervor disputandi, nimium Oratoriæ studium, controversiæ Theologicæ, opiniones dogmaticæ, paupertas Physicorum, Societatum Physicarum defectus, quæ excitata Societate Regia, maximam partem sublatæ videntur) ex secunda atque tertia, qua fieri poterit brevitate recenseamus, quæ proprie ad Illustrissimæ Societatis Historiam spectant.

Ut itaque de origine Societatis dicamus primum, ea D. Wilkinsio tribuitur, qui paulo post, quam turbæ civiles, Cromvello jam Protectore, utcunque conquievissent, in museo suo, quod is Oxonii in collegio Wadhamensi, velut Præfectus ejus habebat, quosdam doctorum conventus, prout e re visum, instituerit, quos inter fuerint Wardus, Boyleus, Wallisius, Willisius, Bathurstius, Goddardus, Rookius, qui primi Aristotelis sententias repudiantes liberius philosophari cœperint. Sed factum, ut A. 1658 in diversa illi loca distraherentur, & plerique Londinum pervenirent, ubi Societati continuandæ nullus aptior locus visus est, quam collegium Greshamense, quod optimo consilio Musis sacrum esse jusserat civis quidam ejus nominis Londinensis. Jamque tuta omnia videbantur, & plures paulatim accedebant Socii, cum repente novi eodem anno motus excitantur, & pulsis Musis, milites Greshamenses cathedras occupant. Itaque intermissæ sunt operæ, donec A. 1660, redeunte Rege Carolo II, ipsæ quoque Musæ rediissent. Tum enim serio de ordinanda Societate deliberatum a nonnullis

eſt, & quantum in iis initiis fieri potuit, nihil prætermiſſum, quod ad perficiendam naturam vel artem, (qui Societatis finis eſt) conferre quicquam poſſet. In Collegis igitur adſciſcendis nihil referebat, quam quisque religionem profiteretur, qua gente eſſet oriundus, quod amplexus vitæ genus, vel qua in dignitate conſtitutus; quod poſtea quoque patuit, cum ab ipſo Rege Johannes Graunt, qui nonniſi tabernarius erat, inter primos Socios commendaretur, quod is editis obſervationibus in Tabulas mortuorum (*Obſervations on the Bills of Mortality*) ingenii ſui ſpecimen prodidiſſet; quem librum in linguam Germanicam transferri nuper admodum curavit bibliopola noſter ſolertiſſimus Thomas Fritſchius. Convenere ita ſingulis Mercurii diebus in collegio Greshamenſi, in quo duo muſea aſſignata iis erant, alterum conventibus inſtituendis, alterum inſtrumentis, librisque & rebus rarioribus aſſervandis. Datus Sociis Præſes, cujus officium eſt, ut conventus convocet & diſſolvat, disquirenda proponat, dirigat denique cuncta, & novos Socios ab univerſo Collegio electos recipiat. Lingua utuntur non tam Latina, quæ eruditorum propria eſt, quam Anglica, eaque maxime vulgari, rejecta inutili verborum pompa, quæ ad rerum naturalium ſcientiam promovendam nihil confert. Qua occaſione Anglicæ nationis ſingularis indoles laudatur, quæ eſt ab omni affectatione alieniſſima, ut vel ideo videatur ad ſcientias excolendas aptiſſima; quemadmodum ipſa quoque Academia Gallicana, ut paulo infra p. 126 refert Auctor, in iis litteris, in quibus Societatem Anglicanam ad mutuum commercium invitat, fatetur ingenue, longe pluribus commoditatibus ad excolendam Philoſophiam realem inſtructos eſſe Anglos, quam cæteras gentes univerſas. Atque hactenus Auctor ſcripſerat, cum graſſante Londini A. 1665 peſte, quam anno ſequenti horrendum incendium inſequebatur, Auctor noſter hanc Hiſtoriam e manibus velut abjicere cogeretur. Quæ mala tamen cum ſuperaſſent Angli, atque ſuas operas Socii reſumpſiſſent, Noſter quoque cœptum opus pertexuit. Hic poſtquam, quo in pretio apud exteras gentes ſit Societas, præmiſiſſet, Anglorum quoque ad eam ornandam ſingulare ſtudium deſcribit; mercatoribus etiam, legatis ad exteros Principes, militibus & belli ducibus ſymbolas ſuas conferentibus. Maximum vero Societati decus

decus ab ipso Rege accessit, qui & ipse multa experimenta spectavit, & non pauca Sociis inquirenda proposuit, eorumque æmulationem & studium excitavit, quoque plus splendoris ea acciperet, Regiam abs se dici jussit, & luculentis privilegiis donavit. Insigni etiam ornavit, tribus nempe leonibus Angliæ in scuto argenteo, quod duo canes venatici sustentant, apicem ejus aquila occupante. Quo ordinatius vero cuncta procederent, præsentes quotannis in Senatu esse jubentur viri viginti, quibus accedit Præses, qui non minus quam Socii, scientiæ naturalis incrementum pro virili se procuraturum, solenni juramento promittit. Relicta quoque Societati libertas, ut die S. Andreæ possit & Præsidem novum eligere, & missis e Senatu novem Sociis, totidem novos collegas adsciscere, tametsi hi, qui e Senatu migrant, Societati nihilominus maneant adscripti. Præterea ut de officialibus aliis quoque dicamus, est qui Thesaurarii munus obit, sunt & Secretarii duo, totidem Curatores experimentorum, quibus accedunt quoque amanuenses nonnulli & minoris existimationis ministri alii. Denique prudenter Rex prævidit, inter æmulos Socios facile simultates & lites oriri posse; itaque qui eas componerent, designavit Magnum Regni Cancellarium, Archi-Episcopum Cantuariensem, Custodem sigilli Angliæ, Archithesaurarium, Episcopum Londinensem. Sequuntur paulo post leges Societatis, quas hic recensere opus haud existimamus, sicut & quæ Autor subjicit a Societate inventa, velut aliunde jamdudum nota prætermittimus, ne instituti nostri rationem supergressi videamur. Interim obiter hic notamus, quod Noster de Rookio refert, postquam ejus nonnullas observationes de eclipsi Lunæ & Satellitum Jovialium inseruisset: singulare enim est, tantum virum A. 1662 decessisse eadem nocte, quam ab aliquot annis miro desiderio exspectaverat, ut observationes circa Satellites Jovis absolvere demum posset. Post ea experimenta, de museo rerum naturalium & bibliotheca Societatis agit, quorum illud celeberrimi Hookii curæ demandatum est, qui quicquid natura præstat eximium, in suos disponat loculos, hæc Henrici Hovvardi munificentia maximum decus consecuta est, qui Arundelianam bibliothecam Societati legavit; ut taceamus eundem tam benigno in Socios fuisse animo, ut post magnum illud incendium Londinense

receptum iis in ædibus Arundelianis liberrimum concesserit. Tum subjicit Auctor rerum naturalium historias a Societate compositas, eaque occasione laudat Ruperti Palatini Principis singulare studium, qui pulveris pyrii historiam cum Societate liberaliter communicavit, tum & sub finem partis secundæ ea speciatim commendat, quæ a Christophoro Wren inventa fuerint & publice proposita.

Sequitur pars tertia, in qua Societatem a nonnullorum cavillationibus & objectionibus liberat, & quem usum afferat, prolixe probat. Itaque primum cæteras scientias omnes consistere cum hoc instituto, præter Physicam, posse docet; ejus enim aliam quodammodo, sed meliorem faciem nunc deprehendi, non dubitat. Hinc præstare asserit homines a teneris rebus sensibilibus adsuefieri, quam arduis doctrinis obrui, eoque mechanicam, quam vocat, educationem methodicæ præfert, Platonis, ut ait, exemplo, qui Geometriam primo loco discipulos docuerit. Postquam deinde a Sociis suis ea removisset, quæ universim de eruditione objiciuntur, quod pariat disputandi pruritum, quod temporis requirat nimium, quod superbos faciat & obstinatos, quod sua suavitate animos a negotiis aliis avocet, & quæ sunt ejus generis plura; pulcre ostendit, ad ipsos quoque affectus cohibendos viam sibi illos parare, qui faciendis experimentis physicis oblectentur. Magis tamen de eo laborat Auctor, ut probet, scientiam experimentalem religioni Christianæ minime noxiam, sed prorsus utilem esse & proficuam, sive doctrinas de Deo, de cultu Divino, de Evangelio, de primitiva Ecclesia, sive religionem practicam, doctrinas item de propheticiis & prodigiis, nec non de mortificatione, sive ipsam imprimis Ecclesiam Anglicanam spectes. Exinde vero, quos usus experimenta artium Mechanicarum studiosis præbeant, non minus prolixe describit, passimque petitis ex Societate exemplis demonstrat, & Boylei librum de Usu Philosophiæ Experimentalis magnopere hac in parte commendat. Quem dum ex nobili gente ortum meminit, non dedecere naturalem scientiam Nobiles ostendit, simulque quam castra sequentibus utilitatem sæpe afferat, exemplis eorum docet, qui vel fluxum & refluxum maris, vel Nili naturam, vel eclipses Solis ignorantes, in maximum discrimen fuerint adducti.. Pari modo iis, qui ingeniosi scriptoris laudem affectant, utilissi-

lissimum hoc studium futurum, vel unico Baconis exemplo evincit, qui nisi assidue res naturales tractasset, nequaquam acutis abundasset meditationibus. Tandem quantum inde commodi ad nationem Anglicam universam perveniat, adjungit, quæ cum sit otii paulo nimis amans, & non tam suarum quam aliarum rerum studiosa, instituta Societate Regia, labori adsuescat magis, & sua pervestiget, & non nisi ea, quæ pulcra sunt & utilia, ab exteris recipiat; præterea per Societatem diversa eruditorum studia & affectus tolli, operasque eorum jucundo consortio uniri, & observantiam erga Regem, a quo excitata Societas est, conservari monet. His ita eleganter explicatis, eorum Auctor catalogum exhibet, qui nomina inter Socios eo tempore, cum primum hic liber prodiret, professi sunt, quos inter primi sunt Rex ipse Carolus II, fundator Societatis & patronus, Jacobus Dux eo tempore Eboracensis, Rupertus Princeps Palatinus, & Ferdinandus Albertus, Dux Brunsuicensis & Luneburgensis.

סדר קדשים

Sive

LEGUM MISCHNICARUM LIBER, QUI INSCRIbitur Ordo Sacrorum, cum Maimonidis & Bartenoræ commentariis integris &c. Latinitate donavit ac notis illustravit GUIL. SURENHUSIUS. Pars V.

Amstelædami excudunt Gerh. & Jac. Borstius, 1702, in fol. Alphab. 4. pl. 18.

Ita spes tandem affulget, perductum propediem ad finem iri splendidum illud atque præclarum opus, frustra hactenus eruditorum expetitum votis. Penultimus enim est hicce, quem sistimus, Systematis Mischnici tomus, isque ordine quintus, cujus summam, ipsomet nobis in præfatione præeunte celeberrimo Surenhusio, more nostro indicabimus.

Nimirum in hoc Ordine, qui dicitur סדר קדשים *Ordo Sacrorum*, primo comparet מסכת זבחים *tractatus de Sacrificiis*, quem hic clarissimus Editor ex versione Ulmanni exhibet; ipse autem observat, per vocabulum זבח sive זבחים intelligi sacrificia majora, quæ ab animantibus desumebantur, & omnino si vim vo-

cis זבח spectes, eam cum voce שחטה *mactatio* convenire. Quia autem sacrificium ejusmodi altari offerendum erat, offerentesque cum Deo conjungebat, propterea etiam קרבן seu *appropinquationem* illud dictum monet. Animantia autem, e quibus זבחים sacrificia petebantur, trium fuisse generum docet, nempe *boum*, *ovium*, & *caprarum*, eaque omnium sacrificiorum excellentissima fuisse habita, ut adeo ex iis tantum publica sacrificia fierent, non ex avibus. Quare autem e tribus hisce potissimum generibus sacrificia oblata sint, ejus rei Maimonidem duas afferre rationes, quarum una sit, quod tria ista animantium genera inter omnia natura, habitu, & pabulo sint præstantissima; altera, quod illa ipsa inventu sint facillima, ideoque & e feris nullum factum sacrificium, quod eæ summa cum difficultate investigentur; eandemque ob rationem & volucrium oblationem solis turturibus & columbarum pullis factam fuisse. Abarbanelem autem duas insuper alias afferre rationes, quarum una sit, quod hæc animantia sanctissimorum patrum symbola præ se ferant: bovem enim esse symbolum Abrahami, quod ut bos omnium animantium maximus est, ita & Abrahamus omnium patrum: Isaaci symbolum esse oves, quia oves dignitate proxime attingunt boves, tum etiam, quod aries a patre ipsius immolandus ei substitutus sit: Jacobi denique symbolum fuisse sacrificium e capris desumendum, cum hoc pecoris genus inferius sit eo, quod ex ovibus desumebatur. Alteram autem Abarbanelis rationem hanc esse, quod per pecora & volucria, quorum in sacrificiis usus erat, designaretur gens Israelitica, quemadmodum v. g. apud Hoseam cap. IV. v. 16. legatur: *juvencæ contumacis instar Israelitæ rebellant*; id quod aliis Scripturæ sacræ oraculis confirmatur. Et hæc quidem similiave de materia sacrificiorum Auctor disputat. Formas autem eorundem dum considerat, quatuor eorum genera recte constitui observat, *sacrificium holocausticum*, *sacrificium pro peccato*, *sacrificium pro reatu*, & *sacrificium pacificum*. De singulis varia tradit, & eadem ratione de מנחות seu de muneribus disserit, quorum duo genera constituit, unum quod una cum sacrificio offerri & comburi debebat, & sine quo sacrificium neutiquam immolari poterat, id quod מנחת נסכים *munus libaminum* voca-

vocabatur: alterum quod seorsim offerebatur, & a munere libaminum distinctum erat. Horum munerum varia itidem erant genera, de quibus singulis accurate & solide more suo differit Surenhusius. Nobis hæc attingere non licet, quippe quibus alia hic se offerunt. Nimirum postquam de forma sacrificiorum & munerum verba fecit, de causis sollicitus est, propter quas sacrificia offerenda erant, a quibus personis, in quibus casibus & circumstantiis. Hinc quatuor iterum constituit sacrificiorum genera, quorum unum erat קרבן הצבור *oblatio cœtus*, sive publica oblatio, quæ ab universo Israelitarum cœtu fiebat: alterum erat קרבן היחיד *oblatio privata*, quam quisque privatus Israelita adducebat: tertium erat oblatio publica, quæ privatæ oblationis speciem habebat: quartum denique erat privata, quæ publicæ similitudinem ferebat. Ad publicam autem oblationem quod attinet, ea singulis diebus, singulis sabbatis, & singulis noviluniis, singulisque festis Domino sacris offerebatur, quibus nihil unquam quicquam addendum vel detrahendum erat. Harum vero undecim iterum erant genera, ordine diligenterque ab Auctore eruditissimo exposita, scilicet holocausta jugia; additamentum sabbaticum; oblatio addititia novilunii; oblatio festi azymorum; oblatio agitationis manipuli; oblatio addititia diei detentionis in festo hebdomadalium; oblatio quæ ipso die festi detentionis hebdomadalium cum duobus panibus offerebatur e juvenco uno, arietibus duobus, septemque agnis in *holocausta*, ex hirco in sacrificium pro peccato, & e duobus agnis in sacrificia pacifica; porro oblatio addititia novi anni; oblatio diei expiationis; oblatio primi diei festi tabernaculorum; & denique oblatio diei octavi detentionis festi tabernaculorum. De addititiarum autem oblationum ordine notat, sacrificium juge matutinum antecessisse additamentum sabbati, & si in sabbatum incidisset novilunium, aut festum solenne, vel utrumque simul, post additamentum sabbati oblatum fuisse addititium novilunii, & post hoc addititium festi solennis, & sic porro. Et ista quidem sunt, quæ de oblationibus publicis in medium attulit: de privatis ceterisque generibus supra indicatis, non minus diligenter & sollicite disquirit, ut prorsus existimemus, non aliunde rectius totam de sacrificiis doctrinam, si quis in compendio cuncta addiscere velit, quam ex hac

hac ipsa doctissimi Viri præfatione hauriri. Hoc prætermittere nefas ducimus, quod de causa sacrificiorum a Deo institutorum, in medium affert. Quæri videlicet & ab ipsis Ebræorum, doctoribus dicit, an præcepta de sacrificiorum ritibus Mosi data sint a Deo, secundum primam ipsius intentionem, qua is sibi proposuerit, post hominis primi lapsum, se colendi modum quendam mortalibus præscribere, qui in animantibus aliquibus rite mactandis, & in fide offerendis consisteret: an vero Deus optimus maximus sacrificiorum usum, qui tot seculis apud omnes gentes & nationes obtinuerat, paullum immutaverit, ut gentem Israeliticam ab aliis nationibus idololatricis secerneret, & ejusdem verum cultum divinum illarum fictitio & vano opponeret. Et posteriorem quidem sententiam Maimonidem, Abarbanelem, aliosque amplecti, quippe qui contendant, cum receptum ubique fere esset, Deos sacrificiis & oblationibus venerari, visum etiam Deo esse, illam consuetudinem non plane tollere, quod istis temporibus alius Deum colendi modus in mentes hominum non caderet. Ad rectum itaque finem hosce ritus Deum accommodasse potius, quam instituisse, proinde & ipsis fatentibus Ebræorum doctoribus, sacrificiorum jura non æque ac venerationem, & reliqua pietatis officia, propter se esse sancita, quia hæc omnibus & locis & temporibus vigeant, illa non item. Et hanc etiam rationem esse iidem, observante Surenhusio, contendunt, cur illud Israelitarum in sacrificiis offerendis studium toties a Deo reprehendatur, ut apud Es. I, 11. *quorsum mihi tot sacrificia? dicit Dominus.* Præterea ex iisdem Ebræorum doctoribus observat Auctor, quod in legibus Mosaicis de sacrificiis agentibus nusquam occurrat vox אל neque אלהים, verum יהוה, cui hanc rationem subesse existiment, quod isto genere dicendi calumniatorum nefariorumque hominum os obturetur, putantium Deum egere cibo & potu, cum hoc nomine sufficientia ipsius notetur, cui nihil accedere possit. Cæterum quando Maimonides aliique statuunt, sacrificia esse intentionis secundæ, neutiquam eos negare Auctor docet, ea esse intentionis primæ. Prima videlicet sacrificia ideo oblata esse, ut homo iis propius ad Deum suum accederet, coram ipso se humiliaret, ejusdem existentiam unitatemque profiteretur, eaque intentione Adamum & Noachum sacri-

cri-

ſacrificia obtuliſſe. Cum autem ipſa ratio colendi Numen longe lateque recepta eſſet, Deum hac ratione permotum fuiſſe, ut eam genti Iſraeliticæ etiam concederet, ita tamen, ut ad eum ſcopum referret ſacrificia, ad quem primum inventa & uſurpata fuerant, ut per ea ſcilicet natura humana cum divina arctiori velut vinculo conjungeretur.

Et generatim quidem, quis ſacrificiorum finis ſit, ex eo elucefcit. Cum autem magna eorum ſit varietas, ex eo Ebræorum doctores, interque reliquos Abarbanel, collegerunt, ſpecialem in quolibet ſacrificio finem Deo conſtitutum fuiſſe; atque eos quidem fines ſpeciales eruere, magnæ ſapientiæ opus eſſe. Nonnullas tamen de præcipuorum ſacrificiorum fine ſpeciali conjecturas, ex Abarbanele Auctor proponit. Holocauſti finem eum eſſe dicit, ut mens humana intelligentia prædita quam arctiſſime Creatori ſuo jungeretur, & de animæ immortalitate firmiſſime perſuaſa eſſet, nempe, quod ſicuti animans poſt jugulationem ſuam in altari offerebatur, & igni admovebatur, atque ei junctum aſcendebat ſurſum in odorem Domino gratum, ita quoque anima illius, qui ſacrificium faciebat, ſive privatus quiſpiam eſſet, ſive publicus, ſive totus cœtus, poſt mortem ad Deum in montem Domini, & locum ſanctitatis illius, in odorem ei gratum aſcenderet, ibique cum ipſo conjungeretur ſub throno gloriæ ejus: ideo etiam hoc ſacrificium dici עולה *aſcendens*, quia anima humana aliquando in cœlum aſcenſura ſit, totumque ſacrificium combuſtum fuiſſe in ſignum, quod anima intellectualis ad Deum reditura ſit, qui eam produxit. Munus vero & libamen, quæ holocauſto addebantur, ut porro Auctor docet, innuebant bona illa, quæ homo adipiſceretur in cœleſti divinæ naturæ domicilio, eo quod homo erat rationis compos, cujus ope is ſolus eſt immortalis, & præ reliquis animantibus cum Deo conjungitur; quod ſignificatum dicunt per farinam puriſſimam triticeam, quod ſolius animantis ratione utentis pabulum eſt. Id quod ex eo porro colligunt, quod poſtridie feſti paſchatos, manipulus hordeaceus offerendus fuerit, ut documentum inde caperent Iſraelitæ, ſe nondum ad perfectiſſimam naturæ humanæ conditionem perveniſſe; quemadmodum & ab uxore adulterii ſuſpecta munus ex hordeo potiſſimum offerendum fuerit,

rit, eo quod pecudum more vixerat. Et ita quidem de ſpecialibus harum legum rationibus, ex mente Ebræorum porro Auctor disſerit; ſed nobis progrediendum eſt ad alia.

Sequitur itaque מסכת מנחות *Tractatus de Muneribus*, de quibus lex divina extat Lev. II, quam paucis Auctor explicat, ſimulque ſummam codicis Miſchnici, qui hunc titulum præfert, indicat. Hunc vero excipit מסכת חולין *Tractatus de Profanis*, hoc eſt, de illis ritibus, qui in ſacro miniſterio profani habentur; ſimul tamen etiam in hoc codice de pecudibus tum ſacris, tum profanis rite mactandis agitur. Cujusmodi ea ſint, quæ hic ab Ebræis doctoribus disputantur, quilibet, qui hæc ſacra vel a primo limine ſalutavit, haud difficulter conjectura aſſequi poteſt. Nec operam forte perdiderit, qui ſummam illorum, quæ in ipſis codicibus prolixius traduntur, hic velut in compendio ab Auctore doctiſſimo relata perluſtraverit. Nobis ſatis fuerit, illuſtriora ſaltem hujus tractationis capita paucis attigiſſe. Accedimus itaque ad מסכת בכורות *Tractatum de Primogenitis*. Extat lex divina Exod. XIII, 2, qua Iſraelitæ omne primogenitum aperiens vulvam, tam ex hominibus, quam e beſtiis, Deo conſecrare jubentur. Rationem præcepti, ut hic bene obſervatur, ipſe Legislator addit: לי הוא *meum illud eſt*. Deus namque Iſraelitarum primogenitis pepercerat, cum Ægyptiorum primogenitos e medio tolleret, adeoque illi omnino ſacri Deo eſſe debebant. Ex ea autem loquendi ratione פטר רחם Abarbanel, ut Surenhuſius docet, tolli putat controverſiam, qua quæri poſſet, an major natu ſit בכור primogenitus, an vero is, qui primus ex prima ſeminis paterni gutta generatus eſt, ſiquidem in gemellorum nativitate is, qui prior conceptus eſt, aliquando poſterior naſcatur: namque hinc conſtare, quod ad aperturam vulvæ reſpiciendum ſit, non autem ad conceptionem in utero materno. Juri naturæ porro conveniens arbitratur, ut ratione matris potius primogenitura determinetur, quia mater plerumque majore amore in prolem fertur, quam pater, tum etiam quod infantem tam diu in utero circumtulit, & aluit, nec ſine magno dolore eniti ſoleat. Hæc poſtquam diſſeruit Auctor, ſpeciatim tum de hominum, tum de beſtiarum primogenituris, ad ductum Maimonidis exponit, obſervatque inter reliqua,

liqua, Israelitas bestiam primogenitam mundam hac formula consecrare consuevisse : הרי זה קרש *in hac sacra esto :* hoc enim illis injungi credunt Ebræorum magistri hisce legis divinæ verbis : תקריש ליהוה אלהיך *consecrato Domino Deo tuo:* fuisse tamen per se sacram, quia, ut ipse Auctor loquitur, inde a vulva matris sanctitas in ipsam jam incidisset, licet nulla consecratio oretenus facta accessisset. Addit & hoc, hanc de primogenitis mundis legem omnes omnino homines, Sacerdotes & Levitas pariter ac Israelitas obligasse, & quamvis primogenita essent Sacerdotis, nihilosecius tamen, si ei pecus aliquod primogenitum natum esset, sanguinem & exta illius in altari eum obtulisse, & reliquam carnem comedisse, secundum ritum de primogenitis comedendi. Cujusmodi autem sint, quæ in ipso codice Mischnico de primogenitis disputantur, ex ipso Auctore quam rectissime intelligitur. Sic ne specimen desit, in primo capite proponitur quæstio, an, si quis Israelita asinam gravidam a Gentili quopiam emerit, vel eandem ei vendiderit, etsi hoc Israelitæ de jure non liceat, fœtus ille primogenitus in utero asinæ obligetur ex lege de primogenitura? ad quod respondent, neutiquam obligari, quia in lege dicatur, Deum sibi omne primogenitum consecrasse *inter Israelitas*, at non inter Gentiles. Cetera mittimus.

Haud procul a præcedentis tractatus argumento abit doctrina de Æstimationibus, quo videlicet pretio Israelitarum primogeniti æstimandi erant, quod usui sacro destinabatur. Et hac de re agitur in מסכת ערכין *Tractatu de Æstimationibus :* ipsa autem lex divina extat Levit. cap. ultimo. Notat autem Auctor ex Abarbanele, quod lex noluerit, ut Sacerdotes hominum pretia statuerent, sicuti in animantibus, quorum unum altero præstat, sed ut omnium idem esset pretium, eadem dignitas. Etenim (ita rationes subducit) si in homine dignitatis ratio haberetur, & a Sacerdotibus æstimatio fieret, tum contingere potuisset, ut si quis filium sapientia excellentem vovisset, Sacerdotes pretium statuerent, quo patris facultates omnino exhaurirentur: ideoque legem idem pretium in hominibus redimendis fixisse, sive docti sive indocti, sive fortes sive debiles essent, ut omnis æmulatio inter Israelitas tolleretur, cum viderent, unum licet dignitate & scientia præstantem non pluris æsti-

mari, quam alterum; tum etiam ut ingenui homines discernerentur a servis, qui bonitatis ratione habita, pluris minorisve vendi soleant. Quod autem masculi pluris æstimentur, quam fœminæ, ejus rationem Abarbanel putat ex utriusque natura petitam esse, qua fœmina consideratur ut materia, mas vero ut forma, in prole excitanda. Ast quod servi servæque in damnis idem sit pretium, id hanc habere rationem existimat, quod satis sit ei, qui damnum intulit, vel cujus bos nocuit, ut pretium hominis anima præditi in genere solvat, & ut non inquiratur, an masculini vel fœminini sexus sit is, cui damnum illatum est, quia is qui læsit, ex imprudentia læsit, vel animans ipso inscio, & idcirco istam triginta siclorum multam satis esse pro homine infelici, quem infortunii sui pœnitet. Et hæc quidem similiave de ipsa lege divina disputantur. Nec abludunt hinc, quæ in tractatu Mischnico traduntur. Namque in primo statim capite discernitur inter eos, qui ipsi æstimare possunt & ab aliis æstimari, vovere & voveri; tum porro minimum æstimationis pretium terminatur in uno siclo, quamvis in lege id tribus siclis contineatur, maximum vero in quinquaginta siclis, licet quis Crœso ditior, vel Iro pauperior fuerit, & sic porro. Reliqua nunc unico velut complectemur fasce. מסכת תמורה *Tractatus de Commutatione* id exsequitur, quod jam divina lege ea de re constitutum est Levit. cap. ultimo. Summa legis divinæ huc redit, quod studio & industria sacra animantia mala non liceat commutare cum bonis, & vice versa, sed si quis id casu quodam fecerit, tum utraque animantia sint sacra Domino, ita ut nec a proprietario, nec a quoquam alio redimi queant. De iis autem, quæ ad hanc legem pertinent, prolixius Ebræi doctores more suo disquirunt: cumque statuant, eum qui hoc edictum transgressus fuerit, verberibus ob singula pecora, quæ commutasset, excipiendum fuisse, ita tamen, ut interdum commutatio locum haberet, modo hanc in se susciperet pœnam, interdum vero nec hac ratione procederet, amplissimus varias quæstiones movendi, variaque nectendi dubia, illis sese aperit campus. Huic autem titulo subnectitur מסכת כריתות *Tractatus de Excidiis*, qui quod in hunc librum, qui præcipue de sacrificiis & rebus sacris tractat, relatus sit, ejus rei hanc rationem esse Surenhusius putat, quod propter triginta sex interdicta peccator pœna excidii afficiebatur,

tur, si prudens sciensve ea violasset; si imprudens transgressus esset, sacrificium pro peccato afferre tenebatur: quo sensu non minus sacrificiorum, quam excidiorum ratio attendenda erat, quoties judicibus examinandum erat, an præcepta studio, an vero ex ignorantia quadam violata essent. Ipsa autem triginta sex excidia sparsim in lege commemorata, auctor Mischnicus ab initio tractatus in genere recenset, deinde alia, quæ cum hoc argumento affinitatem quandam habent, subjunguntur. Mitiorem autem sententiam promerebantur, qui tantum prævaricati erant: hinc in hoc ordine etiam additur מסכת מעילה *Tractatus de Prævaricatione*. Lex divina hac de re extat Lev. cap. V, 14. seqq. ex qua intelligitur, si quis ex errore quodam de sacris Domini aliquem usum percepisset, iisque aliquid detraxisset, & ad se transtulisset, cum potius ea omnino illibata conservare debuisset, eum prævaricationis reum esse. De hujus itaque criminis expiatione lex divina agit; Mischnici autem doctores in minutissimas hic etiam inquirunt circumstantias, dum accurate enumerant res omnes, in quas prævaricatio cadere queat, & quæ alia sunt ejusdem commatis. Ceterum Latinam versionem tractatus prioris כריתות de *Excisionibus* adornavit Ulmannus, quam & Surenhusius retinuit. In מסכת תמיד *Tractatu de jugi sacrificio*, modus sacrificia jugia offerendi in genere describitur, & mera rituum enarratio traditur, nullo liciti vel illiciti instituto examine, ut adeo tanta cura & sollicitudo in eo non adhibenda fuerit, ac in præcedentibus: quam causam etiam esse censet Surenhusius, cur hic reliquis tractatibus fuerit postpositus. Ipsa lex divina de jugi sacrificio extat Exod. XXIX, v. 38. *seqq.* cujus sensum ex mente Ebræorum Surenhusius edisserit. Versionem autem hujus tractatus concinnavit Michael Arnoldi, S. S. Th. Doctor & Leowardiæ verbi divini Minister, quam & Surenhusius retinuit, una cum notis, quas idem Arnoldi subjunxerat. Quod vero & מסכת מדות *tractatus de Mensuris Templi* locum hic sibi vindicet, quilibet facile intelligit. Cum enim de sacrificiis actum esset, par etiam erat, ut de loco, in quo offerebantur, aliquid adjiceretur. Ceterum jam dudum hic tractatus seorsim cum versione & notis exquisitis Constantini L'Empereur, quas & cum versione huic operi inseruit

Surenhusius, in eruditorum versatur manibus: adeoque eo minus necessarium fuerit, quid in eo tractetur, indicare. Constitutum vero & Surenhusio fuit, ut ipse profitetur, de mensuris templi aliquid commentari, & tabulas quasdam cujuslibet partis sigillatim, tum etiam totius sacri ædificii, quas a R. Jacobo Juda Leone aliisque Doctoribus Judæis acceperat, cum orbe erudito communicare, sed impeditum se in hoc instituto fuisse memorat morte R. Cœnraads, cui omnem tabularum suarum curam, tam in iis in ordinem redigendis, quam exsculpendis, demandarat, cui etiam qui ingenio & industria par esset, & ad opus perficiendum idoneus, hactenus inter Judæos se invenire non potuisse ait. Laudat autem magnopere viri istius justitiam, candorem, integritatem, modestiam, & in sua religione pietatem singularem. Agmen denique claudit מסכת קנים *Tractatus de Nidis*, sive avium pullis, idque ideo, ut Auctor docet, quoniam in ipso agitur de rebus non omnino necessariis, & raro contingentibus, videlicet, quomodo avium pulli, qui ad Sacerdotes adducti sunt, interdum ita inter se commisceri possint, ut non constet, ad quem dominum pertineant; proinde variis modis docetur, quid tum faciendum sit. Sed hæc sufficiant.

L'HISTOIRE DES CONGREGATIONS DE AUxiliis, justifiée contre l'Auteur des Questions importantes &c.

i. e.

HISTORIA CONGREGATIONUM DE AUXILIIS ASSERTA contra auctorem Quæstionum momentosarum, per Doctorem Theologiæ e Facultate Parisiensi.

Lovanii, apud H. Nempe, 1702. 8 Alph. 1, pl. 7.

Cum de Auxiliis, ut vocant, Gratiæ acerrimæ inter Jesuitas & Dominicanos controversiæ ortæ essent, res eo tandem devenit, ut ad eas consopiendas certi doctissimorum Virorum conventus, quos congregationes de auxiliis vocant, Romæ sub Clemente VIII & Paulo V Pontificibus instituerentur. In his licet magno studio & industria hocce negotium discussum esset, visum tamen fuit Paulo V Pontifici, decisionem differre, quam deinceps nec ipse

ipſe nec ſucceſſores ejus ut darent, a ſe impetrare potuerunt. Hoc cum Dominicani eo interpretarentur, ac ſi ſua cauſa in hisce congregationibus viciſſet, Pontificibus varias ob cauſas impeditis, quo minus ſibi palam victoriam adjudicarent, novum inde litis argumentum natum eſt. Cumprimis autem, qui ſua hoc referre putabant, id dederunt operam, ut acta iſtarum congregationum colligerent, ac in lucem proferrent, quod præ cæteris maximo ſtudio egit Auguſtinus le Blanc (ſub quo nomine P. Sery Dominicanum, Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctorem & Reipublicæ Venetæ Theologum, latitare, ex novo Diario Eruditorum quod Pariſiis editur, accepimus) in Hiſtoria Congregationum de Auxiliis Divinæ gratiæ, cujus ſummam & nos menſe Auguſto A. 1700 p. 337 exhibuimus. Vix autem fama inſtitutum auctoris vulgaverat, cum A. 1698 Leodii ederetur *Epiſtola ad Abbatem - - - ſuper Hiſtoria certaminum de auxiliis gratiæ, quæ in lucem edenda eſſet, (Lettre a M. L'Abbé - - - ſur la nouvelle hiſtoire de disputes de Auxiliis qu'il prepare)* in qua auctor (quem P. Germont Jeſuitam eſſe, itidem ex Diario Eruditorum Pariſienſi accepimus) id probandum in ſe ſuſcepit, acta congregationis, quibus le Blanc, vel potius P. Sery nititur, nullam omnino promereri fidem. Sed P. Sery ſibi non defuit. Namque non tantum in præfatione operis varia ad iſtud ſcriptum repoſuit, ut loco citato ipſimet obſervavimus, ſed & in epiſtola quadam Gallicana lingua ſcripta cauſam ſuam egit. Tantum vero abeſt, ut P. Germont conquieverit, ut potius novo inſultu ipſum opus P. Sery aggredi conatus ſit, edito libello, cui titulus: *Queſtions importantes à l'occaſion de la nouvelle Hiſtoire de congregations de Auxiliis*, qui A. 1702 in lucem prodiit. In eo auctor cuncta ad duo revocat capita ſeu quæſtiones, quibus putat ingentem iſtam Sery molem ſubrui atque everti poſſe. Prima quæſtio hæc eſt: an poſt diſputationes de Auxiliis exortas, ſententia contra Jeſuitas lata ſit? & ſi nulla lata ſit, quæ cauſæ Pontificem impediverint, quo minus lata rite ſententia hanc litem finiret? Altera quæſtio hæc eſt: quam fidem acta & monumenta, quibus nova Hiſtoria de Auxiliis innititur, promereantur? Ad utramque quæſtionem quid reſpondeat, facile quivis conjectura aſſequitur. Ad priorem ſcilicet negando, ſententiam contra Jeſuitas latam fuiſſe: ſive-

ſi vero lata fuiſſet, ab ea promulganda non aliis rationibus impeditum Pontificem fuiſſe, quam quod iniquam eam ſententiam crediderit. Ad alteram itidem reſpondet, acta ea & monumenta, ad quæ Dominicani provocant, nullam prorſus promereri fidem.

Huic itaque libello hoc, quod nunc exhibemus, opus Auctoris Hiſtoriæ Congregationum oppoſitum eſt: ſimulque quid in eo tractetur, haud difficulter intelligitur. Utramque nimirum quæſtionem accuratius ſub examen revocat. Et ad priorem quidem quod attinet, P. Germont fatetur quidem, pleroſque ex Conſultatoribus Molinæ fuiſſe adverſatos; concedit etiam, conceptam ab illis bullam ejusmodi fuiſſe, qualis hinc inde venditatur: negat autem inde ſequi, ſententia rite lata cauſam illam definitam fuiſſe. Conſultatores enim non fuiſſe judices, eorumque munus ſolum fuiſſe, ſuam de his controverſiis Pontifici aperire ſententiam. Pontificem autem & Cardinales, quibus judicandi facultas competat, Conſultatorum adprobaſſe ſententiam, hactenus nulla ratione idonea fuiſſe evictum. Imo contrarium ex eo eluceſcere, quod finitis congregationibus, Pontifex utrique parti permiſerit ſententiam ſuam defendere & proponere, modo ab alterius ſententiæ cenſura ſibi temperarent. Affert præterea & alias rationes, quibus evincere conatur, nullam hac in re ſententiam contra Jeſuitas latam eſſe. Nimirum in tanta Conſultatorum feſtinatione, qua intra quinquaginta dies 89 propoſitiones Molinæ diſcuſſerint, & cenſuram adornarint, cum nondum legiſſent ſcripta a Jeſuitis ex Hiſpania in cauſæ ſuæ defenſionem transmiſſa, in tanto etiam diſſenſu ipſorum Conſultatorum, neutiquam veroſimile eſſe, quod ad ferendam ſententiam Pontifex acceſſerit. Sed ideo quoque hoc non eſſe credibile, quod Academiæ Hiſpaniæ Molinæ librum calculo ſuo adprobaverint, quod multæ etiam Germaniæ Academiæ, ipſaque Facultas Theologica Pariſienſis eam defenderint ſententiam, quam Conſultatores condemnarint, imo & plerique Ordines religioſi in Hiſpania, & quæ alia ſunt ejusdem commatis. Ad hæc autem P. Sery ita reſpondet, ut generatim conqueratur, ab adverſario ſuo callide quæſtionem juris confundi cum quæſtione facti, cumque illi probandum fuiſſet, ſententiam nullam contra Jeſuitas latam fuiſſe, hoc eum agere, ut demonſtret, non potuiſſe jure illorum ſententiam condemnari. Dein-

Deinde ad singula descendens, sententiam a Paulo V hac in re latam fuisse, ex eo manifestum esse dicit, quod ipse ejus mentionem faciat in declaratione post finitam congregationem, in qua diserte dicatur, *Sanctitatem suam suo tempore declarationem suam & decisionem promulgaturam*; item, quod supremus Jesuitarum Præsul Aquaviva mentionem hujus rei faciat in Epistola, quam juxta Pontificiæ declarationis legem, ad collegia Jesuitica dedit, in qua quippe asserat, sententiæ istius promulgationem expectari: mentionem præterea hujus rei injici in decreto Inquisitorum Hispaniæ, in edicto, quo Pontificis mandatum promulgarunt, & denique in articulis pacis inter Jesuitas & Dominicanos sanciendæ. Regerit ulterius, censuram neutiquam adornatam esse a solis Consultatoribus, sed in congregationibus, ubi adfuerint Pontifex & Cardinales, & decreta ibi facta adprobaverint. Imo ex eo, quod Paulus V Consultatoribus jusserit, ut ideam bullæ litteris consignarent, clarissime intelligi, condemnationem propositionum Molinæ non a Consultatoribus tantum, sed & ab ipso Pontifice atque Cardinalibus decretam fuisse: sed formam quoque bullæ a Consultatoribus adornatæ, ab ipso Pontifice fuisse adprobatam: nec nimia festinatione præcipites actos fuisse Consultatores, eo quod die 13 Martii A. 1598 prohibitionem libri Molinæ decreverint, sed censuram demum die 12 Martii A. 1599 absolverint. Instituta vero etiam fuisse multa examina, in quibus, quicquid in primo decretum sit, denuo revisum atque confirmatum fuerit, & ubi omnem, quæ cogitari potest, ad rem hanc discutiendam adhibuerint industriam. Negat præterea, ullum fuisse inter Consultatores de doctrina Molinæ dissensum, sed tantum de ordine & selectu propositionum eos non satis inter se convenisse. Ad censuras ex Hispania transmissas quod attinet, Academiam Salamanticensem condemnasse Molinam, nec Complutensem cum eo fecisse: reliqua scripta singulorum hominum fuisse, quorum in tali causa non adeo magna sit auctoritas. Negat etiam, Facultatem Theologicam Parisiensem alterutri parti accessisse: Academias autem Germanicas, ad quas Jesuitæ provocent, nihil aliud quam collegia Jesuitica esse, aut in quibus saltem magna præ reliquis Jesuitarum sit auctoritas, & quæ reliqua sunt ejusdem commatis. In altera libri hujus parte, de fide & aucto-

auctoritate actorum & monumentorum, quibus Historia congregationum de Auxiliis innititur, disquiritur. Et auctor quidem libri *Questions importantes*, seu P. Germont, contra illorum auctoritatem sequentia attulerat in medium: præcipua monumenta, ut censuræ & bullæ consignationem, & acta a Secretario congregationis confecta, adeo nullius momenti esse, ut Pontifex etiam atque Cardinales ea neglexerint, & indigna judicaverint, quæ in archivo Vaticano aut castro S. Angeli conservarentur: hinc in manibus Coronelli ea relicta fuisse, qui deposito, quod gesserat, Secretarii istius Congregationis munere, nullam eis conciliare auctoritatem potuerit, sed & qui non in eum locum, in quo conservari hæc monumenta, ut fidem faciant, solent, ea intulerit, sed Romæ in bibliotheca Angelica Augustinianorum ea deposuerit: nec per triginta, & quod excedit, annos, ipsos Dominicanos ad ista acta provocasse, quod ipsi nullam eis tribuerent auctoritatem, sed mortuis demum Cardinalibus, ceterisque qui congregationibus interfuerant, producta ea in lucem fuisse, aut a Dominicanis, aut certe ab ejusmodi hominibus, qui majus adhuc odium animo erga Jesuitas conceperant: quamprimum autem comparuerint, rejecta ea fuisse singulari decreto, ab Innocentio X. die 23. April. A. 1654 condito, ceu ejusmodi, quæ nullam promereantur fidem. Nec desunt ei, quæ contra reliqua monumenta excipiat. Sic censuram Consultatorum, quam dederit Ludov. a S. Amore, prorsus suspectam esse dicit, ideo quod primum & unicum hujus censuræ exemplum statim Pontifici traditum fuerit, & hinc a Coronello hæc censura possideri non potuerit: quin etiam exempla censuræ istius, quæ circumferuntur, non satis inter se consentire, cum in exemplo Ludovici a S. Amore Episcopus S. Agathæ tantum quinque propositionibus subscripserit, & Dn. le Bossu semper ultimo loco; in eo contra, quod Mabillonio tribuitur, Episcopus S. Agathæ omnibus subscripserit, & Dn. le Bossu ante Piombinum & Coronellum Augustinianos, & quæ alia sunt, ejusdem plane commatis. Ad hasce itaque & reliquas accusationes ut respondeat P. Sery, id quidem
II. quæst. c. 1. p. 401. sqq. cumprimis in hocce opere agit. Nimirum acta congregationum Romæ semper in magno fuisse pretio contendit, & verosimile omnino esse, exemplum bullæ Pauli V & actorum congregationum de-

de Auxiliis, in archivis castri S. Angeli & Vaticani asservari, id quod etiam ante quinquaginta jam annos testatus sit Jacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis, & post illum Dominicani in scripto, occasione Panopliæ Lemosi, Pontifici exhibito. Coronellum potuisse plura horum actorum exempla conficere, quorum unum sibi reservaverit: exemplum autem, quod ex bibliotheca Augustinianorum, quam Romæ habent, depromptum est, quod profectum sit ab ipso harum congregationum Secretario, omnino fide dignum esse. Provocasse ad hæc acta non tantum A. 1630 P. Gibieuf & Carmelitas Salmanticenses, sed jam A. 1612 universum Ordinem Dominicanum, in scripto, quo a Paulo V Pontifice petierunt, ut sententiam decretam publicaret. Fulgentium Gallicium, Generalem Augustinianorum, impetrasse exemplum horum actorum a Coronello, quod in Conventu Montis S. Georgii in Marchia Anconitana adhuc extet. Johannem quoque de S. Thoma, Dominicanum & Philippi IV Hispaniæ Regis confessionarium, operibus suis varia loca inseruisse ex actis Pegnæ, vivente adhuc & magni Inquisitoris munere fungente Antonio Zapata Cardinali, qui hisce congregationibus de Auxiliis interfuerat. Ad decretum Innocentii X Pontificis quod attinet, negat per illud hæc acta tanquam indigna, quibus fides adhibeatur, rejici, sed in hoc decreto illud solum asseri, hæc acta non esse authentica, quibus absolute fides habenda sit. *Cap. II. pag. 430. seqq.* Adhiberi semper hanc formulam in curia Romana, quando Pontifex declarat, quod monumenta quædam authentica auctoritate destituantur. Sic in Congregatione Rituum decretum esse A. 1632 d. 7 Aug. ne ulla adhibeatur fides decisionibus aut impressis aut manuscriptis, nisi sigillo solito munitis, & nihilosecius Juris Canonici Doctores quotidie ad decisiones, licet sigillo destitutas, provocare. Censuram Consultatorum, quæ in chartis Coronelli reperta sit, esse ipsum, quod Consultatorum sigilla referat, exemplum: *Cap. III. p. 455. seqq.* nec constare eam ex scriptis, quæ singuli Consultatores Romano Pontifici exhibuerunt, & quibus suam quisque complexus est sententiam, sed ex instituto hocce scriptum compositum, & Secretario congregationis datum esse, ut causæ eo rectius dijudicandæ inserviret: exemplum, quod Ludov. de S. Amore descripsit, cum ipso autographo Coronelli ex asse consentire, nec illud, quod

Mabillonius possidet, ab hoc discrepare, id quod prolixius exequitur, ad singula, quæ in contrarium ab adversario ejus allata sunt, argumenta accurate respondens. Nobis summam libri paucis indicasse satis est. Plura addere, aut reliqua persequi, vel ideo supervacaneum esse duximus, quod paucorum forte referat, accurate ea omnia, quæ hic in disceptationem veniunt, nosse. Unicum hocce addimus, Auctori Historiæ congregationis aliam adhuc litem motam esse a Carolo Caspare Metzenio, Academiæ Trevirensis Syndico, quod contemptim & parum honorifice auctor Historiæ congregationis, de Germaniæ Academiis Romanæ Ecclesiæ sacra sequentibus, speciatim de Trevirensi locutus esset, cui Auctor defensionem adversus querelam Caroli Casparis Metzenii opposuit.

Θεοφίλȣ περὶ Οὔρων &c.

THEOPHILI DE URINIS LIBELLUS. THOMAS GUIDOTIUS Anglo-Britannus innumeras, quibus hactenus scatuit, mendas sustulit, biulca supplevit, de novo vertit, & notas adjecit &c.

Lugd. Batav. apud Henricum Teering, 1703, in 8.
Constat pl. 20.

ERras, B. L. si vel intempestivum Uromantiæ, vel abominandum Scatophagiæ amorem editioni hujus tractatus ansam dedisse existimes. Nisi enim apud clarissimum Guidotium, styli elegantia, pietas, modestia & brevitas Auctoris hujus Græci Theophili, subjecti ipsius dignitatem præponderassent, blattis illum ac tineis corrodendum reliquisset; uti ex ipsius laudati *Guidotii* verbis, quæ in Prolegomenis ipsi tractatulo Græco præmissis leguntur, cognoscimus plenius. Continent autem *Prolegomena*, ut de illis recensionis hujus initium faciamus, elegantem dissertationem & commentarium in vexatissimum illud problema Physiologicum: *per quas vias potus ad renes & vesicam transferatur?* uti & brevem quandam explicationem *de recto Uroscopiæ usu*.

Primum illud quod attinet *de potulentorum transitu ad renes* problema, ita quidem in solvendo eodem se gerit Clariss. Auctor, ut primo loco proferat *aliorum*, tam veterum, quam moder-

dernorum *de ductibus potiferis* opiniones. Qua occasione elegantiorem suam in lectione atque interpretatione veterum, *Hippocratis*, *Platonis*, *Dioxippi*, *Philistionis*, *Alcai*, *Eratosthenis*, *Euripidis*, *Homeri* &c. declarat literaturam, fusiusque demonstrat, quam falso plerisque horum imputetur a nonnullis, ac si susque deque habita Anatomes doctrina, credidissent, non per gulam vel œsophagum, sed per laryngem, i. e. pulmonum fistulam, assumptum potum descendere, atque hinc breviori via ad renes & vesicam properare; falso inquam tale quid optimis his Viris imputari, utpote qui cum *Latino Tancredo*, *Theophilo de Garencieres*, *Ludovico Mercato*, *Jul. Cæsare Scaligero*, & *Bartholino*, *potus exiguum quidem per parietes & latera aspera arteria depluere, neque tamen ullam effatu dignam urina partem constituere*, docuerint. Quam sententiam & sibi ipsi non displicere fatetur aperte; siquidem non solum naturalis epiglottidis constructio, a potulentorum haustu minus gravata vel leviter saltem compressa, sed & ipsa medendi methodus, eclegmata, linctus, trochiscos sublinguales aliaque pectoralia in affectibus thoracis præcipiens, ut scilicet per laryngis rimulam ejusmodi medicamenta se insinuare, & sic partem affectam citius attingere queant, tale quid digito quasi monstrare videantur: quin & illi, qui defluxionibus catarrhalibus laborare solent, humorem acrem & salsum sensim per guttur delabi affirment, manifesto indicio, *posse etiam potus exiguum quid, inter deglutiendum, per rimas epiglottidis patulas, in tracheam descendere, ac laryngi humectanda inservire.*

Sequitur opinio eorum, qui potum quidem omnem per œsophagum in ventriculum descendere, cum plerisque veterum crediderunt, sed longiori illa via ad renes, per circulationem detecta, non contenti, *potum e ventriculo, in strenuis præsertim potoribus, immediate educi, & quidem per vias quasdam ignotas e ventriculo in lienem & venam portæ patentes*, cum *Fabricio ab Aquap. Conringio* & *Willisio* persuasi fuerunt. Alii, inviso viarum occultarum nomine deterriti, *materiam potulentam per pylorum quidem ad intestina descendere, sed postmodum una cum reliquo chylo ad receptaculum commune delatam, ex eo per peculiares ramulos, partim in capsulas atra-bilarias, partim in emulgentes arterias, partim in* re-

renes ipsos exprimi statuerunt, *Pecquetus*, puta, *Bartholinus* atque *Walaus*, qui postremus tamen cum *Riolano*, *Veslingio* & *Harvejo*, & venas quasdam lacteas in venam cavam, aut potius aortam, prope emulgentes desinere, earumque ministerio magnam potus partem ad renes transire existimat. Laudata hac, ast non omni ex parte approbata Virorum maxime celebrium industria, litem inter hos ortam ita componere satagit Clariss. Auctor *Thomas Guidotius*, ut quæstioni propositæ propriam suam solutionem aptet, quam quinque his sequentibus inclusam voluit punctis:

Putat nimirum

1.) Tenuem & penetrantem potum, ut vinum, aquam vitæ &c. vacuo ventriculo assumptum, in mediocri quantitate, a tunicis ventriculi imbibi, & sanguini versus cor remeanti commisceri.

2.) Crassum & repleto ventriculo assumptum maximam partem per pylorum descendere, minorem ejus portionem e ventriculo immediate ad cor, modo jam explicato, abire.

3.) Crassiorem & absque cibo assumptum in magna quantitate, itidem quoad majorem partem per pylorum descendere, quoad minorem, e ventriculo immediate ad cor abire.

4.) Potum istum, jejuno præsertim ventriculo assumptum, atque per intestina delapsum, venas lacteas ingredi, ad receptaculum & glandulas lumbares tendere, atque inde, sine sanguinis miscela, saltem diurna, ad emulgentes arterias recta ferri, ex opinione Pecqueti, Bartholini & Bilsii, licet ductus adhuc sint incomperti. Et hanc quartam in ordine assertionem sequentibus potissimum niti vult argumentis: 1.) quod pulsus in diabete, bonosis, & præcipue aquarum mineralium potoribus, vix ac ne vix quidem alteratus, saltem minus auctus deprehendatur, id quod in proprio suo corpore facto experimento confirmat: 2.) quod urina subito excreta sit limpida, nec ullum habeat colorem aut saporem, quæ ambo necesse esset ut in gradu saltem remissiori haberet, si multum cum sanguine confundatur; diuretica etiam, ut terebinthinam, juniperum &c. odorem suum imprimere urinis, quem sanguinis miscela magna omnino aboleret. Nonnullos quoque materiam chylosam, & assumpta plurima, semen anisi, e. g. grana alkekengi, carbones, olera &c. cum urinis reddidisse; alios liquores colore, consisten-

fistentia, odore & sapore inalteratos minxisse, & speciatim aquam quandam nigram, in stanni fodinis Cornubiensibus inventam, cujus meminit *Ill. Boyle*, quæ omnia breviori hac via, patentiori facta, ad renes transiisse, omnino persuasus est Auctor.

5.) *Potum cibo mistum, ac durante coctione in ventriculo manentem, sive crassiorem, sive tenuiorem, chylum nunquam deserere, sed per intestina lacteas intrare, tum receptaculum aut glandulas Bartholinianas petere, inde ductus thoracicos, dein cordis sinum dextrum, pulmonem sinistrum, arterias, ac tum post unam aut alteram circulationem ad renes amandari.*

Tantum de transitu potus ad renes, secundum Auctoris nostri opinionem. Jam de altero illo problemate, *recto* nimirum *Uroscopiæ usu*, referendum aliquid esset: sed, cum in eo potissimum occupatus sit *Clariss. Auctor*, ut abusum ejusdem accuratius perstringat; paucissimis solum hic annotabimus, quod & statim sub principio hujus recensionis monitum, acerrimum fallacissimæ Uromantiæ esse Auctorem nostrum expugnatorem. Insolita enim ferocia in perditissimos istos, uti loquitur, involat nebulones, qui lucro inhiantes, susque deque habita ægrorum salute, Uromantiam exercent, atque ex sola urinæ inspectione, de quocunque corporis malo judicium ferre non verentur. Interim non negat, quin urinæ suus etiam inter cætera signa detur locus, quodque ejusdem observatio, ad morborum quorundam, icteri nimirum, calculi &c. cognitionem non parum conferat. Putat tamen, usum ejus potius esse prognosticum, quam diagnosticum, & morbi aperti & cogniti eventus prospiciendo, quam ignoti & latentis naturæ investigandæ magis inservire: quid? quod & in morbis malignis ac pestilentibus, sive quoad diagnosin, sive quoad prognosin, quemvis parum ex his aquis expiscaturum esse existimat. Uno verbo, ad eum modum, quo *Willisius in Dissert. Epistol. de Urinis, cap. 6.* de Uroscopiæ usu judicat, quo etiam curiosum Lectorem remittit.

Restat, ut jam de ipso, quem noviter edit Clariss. Auctor, Græco tractatu, in medium aliquid proferamus. Est nimirum hic *Theophili de Urinis Libellus*, cujus editionem jam octava vice adornatam cernimus. Siquidem omnium primo Venetiis A. 1483 Latine a Pontico Virmio, ut Guidotius conjicit, versus una cum libel-

bellis Medicis aliis in opere cui titulus est *Articella*, iterumque ibidem A. 1493 & 1523 in lucem prodiit; aliaque ejus versio Latina ab Albano Torino Vitoduriensi confecta, tum Basileæ A. 1533, tum Parisiis, inter Medicæ Artis post Hippocratem & Galenum Principes, ab Henrico Stephano A. 1567 fuit edita; Græce & Latine denique Parisiis a Federico Morello A. 1608, & iterum a Renato Chartario, cum Hippocratis & Galeni operibus, A. 1639 expositus liber hic luci publicæ fuit. *Octavum* autem jam a Clarissimo *Thoma Guidotio*, *Anglo-Britanno*, typis evulgatus, & quidem modo a prioribus editionibus non parum differente. Siquidem non solum textus ipse Græcus, ad exemplar illud MS. integrum, quod Bibliotheca Bodlejana suppeditavit, castigatus, in capita divisus, ac summopere emendatus & auctus deprehenditur; Græca enim a verbis, Ἐςὶ μὲν οὖν ἡ ῥῆσις &c. p. 104, ad εἰ δὲ καταλάβοι &c. p. 132. in nulla aliarum, quæ hactenus prodierunt, editionum inveniuntur: sed & versio plane nova & longe accuratissima in præsenti hac editione adornata. Monendum etiam, *Theophili*, quem in calce hujus tractatus adjectum videmus, *libellum* περὶ Διαχωρημάτων, luce & Latio nunc omnium primo donari, utpote qui in MS. jam memorato Oxoniensi illum de Urinis immediate sequitur. Et cum eodem stylo ac methodo, qua prior, pertractatus deprehendatur, operæ pretium duxit *Clarissimus Auctor*, illum una cum germano suo fratre prælo submittere.

In *Notis*, quas priori de Urinis libello subjecit *Thom. Guidotius*, statim sub initio, non pauca de Auctoris ipsius Græci nomine ac vitæ conditione leguntur, ex quibus hic loci summatim reperimus, falli maximopere illos, qui Theophilum hunc cum S. Lucæ Evangelistæ Theophilo confundunt, utpote quo longe fuit ætate posterior: certissimum enim, eundem post Galenum vixisse, atque intra quartum & septimum, si non quintum & decimum seculum floruisse. Illustri loco etiam natum, atque insigni ac principali dignitate, dum vixit, conspicuum fuisse hunc ipsum Theophilum, persuasus est *Auctor*. In illis enim, quas *in Galenum de Usu Partium* scripsit *Commentariis*, *a Junio Paulo Crasso Veneto Parisiis A. 1548* primum evulgatis, illustre *Protospatharii* nomen gerit Theophilus, qualis dignitas in Aula Byzantina suo tempore magna erat, at-

atque inter magnificas sive illustres censebatur, teste Meursio & Codino de Offic. Constantinopol. cap. 5. n. 55. Reliqua, quæ in dictis his *Thomæ Guidorii* Notis leguntur, emendationum factarum rationem, explicationem textus ipsius Græci, variantesque lectiones potissimum concernunt. Dici enim non potest, quanta cum industria *Clarissimus Vir* mendas ubique auferat, hiulca suppleat ac luxata restituat, Græcum textum κατὰ πόδα secutus. Quod eo magis mirandum, quo rariores inter Medicos sunt illi, qui Græcos veterum codices evolvere, ac dulciores aquas ex ipsis fontibus haurire cupiunt: cum tamen vix supra vulgum sapere, saltem Eruditorum nomen æque facile haud tueri videantur, qui Græca negligunt. Laudatissimam hanc suam si continuabit *Clarissimus Auctor* ergaLiteratos benevolentiam,atque illam, quam promittit, *Æsculapii Historiam, ex cujuscunque generis Scriptoribus excerptam*, curabit edendam, magis magisque Rempublicam Literariam sibi reddet obstrictam.

MOMENTUM CONTROVERSIÆ DE MORTE CORPORALI ponderatum & examinatum a JACOBO RHENFERDIO, ad tollendas suspiciones,& minuendas lites.

Franequeræ,apud Francisc. Halmam, 1702, in 4.
Constat plag. 3.

CLarissimus Autor, præmissis duabus quæstionibus, una de qualitate mortis corporalis, altera de satisfactione Christi, ac mente Reformatorum circa utramque exposita, quod nempe mortem corporalem peccati, non naturæ, sequelam esse, contra Socinianos doceant; Christumque ita plene & perfecte satisfecisse pro fidelibus, ut his nihil amplius solvendum restet, contra Pontificios propugnent: Sole meridiano clarius constare putat, Jacobum Altingium, qui *mortem corporalem, cæterasque afflictiones, non naturæ, sed peccati sequelas esse* docuit, *easdem* tamen *pœnas proprie dictas*, id est, *satisfactorias* esse negavit, per omnia orthodoxum esse, & neque Pontificiis, neque Socinianis quicquam concedere. Licet enim is existimet, interdicto Divino Gen. II, 17. non contineri mortem corporalem, eoque pacto argumentum pereat disputanti

adverſus Socinianos;non magis tamen Socinianis eum annumerandum putat, quam alii Theologi ex eo, quod Pontificiis concedunt, mortem corporalem cæterasque afflictiones in genere & in ſe conſideratas eſſe pœnas proprie dictas,Pontificii dici posſint : imo cenſet, recte attendenti clarum fore, ſententiam Altingii *de morte corporali ſequela quidem peccati,neque tamen ideo etiam pœna proprie dicta ſive ſatisfactoria*,multo tutiorem quam reliquorum Theologorum eſſe, cum ſententia Altingii, ſalvis omnibus Theologiæ Reformatæ principiis, ita apte & firmiter omnia connectat, ut neque contradictionem ullam admittat, neque quicquam contra ſuum adverſarium ſtatuat, quod alter in rem ſuam vertere poſſit; contra quam in aliorum Theologorum ſententia fieri videatur. Theologos autem, maxime eos, qui Altingio ſeſe ex profeſſo opponant, inde contradictionis manifeſtæ reos agere ſatagit, quod contra Socinianos mortem corporalem eſſe pœnam proprie dictam & ſatisfactoriam propugnent; contra Pontificios vero negent, mortem corporalem (ſaltim in fidelibus) eſſe pœnam proprie dictam & ſatisfactoriam. Dein urget, nulla veri ſpecie credi ac dici poſſe, mortem corporalem credentibus inflictam neque vindictam eſſe cenſendam neque ſatisfactionem, cum tamen illa vi comminationis Divinæ Gen. III. 17. ſit pœna peccati, & quidem ſatisfaciens; & vi ejusdem comminationis Adamo & Evæ impoſita fuerit; in damnatis item ac ſponſore Chriſto ſit ſatisfactio. Tandem diſtinctionem illam uſu receptisſimam, juxta quam fideles mortem ſentiendo, pœnæ materiale quidem, ſed non formale ſuſtinere dicuntur, pro deridiculo habet,ac nullius momenti eſſe probare molitur. Quibus ita expoſitis,denuo Altingii hypotheſes commendat, aſſerens in iisdem, negato tantummodo, mortem corporalem Gen. II. 17. eſſe denunciatam, ſingula plana, facilia & ſolida eſſe, atque univerſa inter ſe bene juncta apte cohærere. Quod ſi enim comminatione illa Gen. II. 17. mortem corporalem non contineri dicamus, ſequi, nec eandem pœnam eſſe; nec adeo illam a Sponſore loco & vice fidelium in ſatisfactionem pro peccato toleratam; nec fideles ab iſta per pasſionem Chriſti immunes præſtari debuiſſe; ſed ſatis eſſe, electos ab eadem tandem gratia & potentia Jeſu Chriſti per reſurrectionem vindicari. Has reliquasque Altingii hypotheſes eodem ſpectantes, atque inde ne-

necessario fluentes, subtiliter inventas & erudite connexas esse, Clarissimi Viri, H. Witsii, testimonio quoque comprobat: in contrariis autem hypothesibus, tam constantem ac perpetuum nexum minime offendi, una adhuc difficultate in medium allata probare nititur. Cum enim quæstionis: *utrum satisfactione a Christo plene & perfecte præstita, fieri possit, ut tamen nemo hominum servetur, sed omnes in æternum pereant; atque ita satisfactio Christi omni careat effectu?* partem negativam contra Remonstrantes tueantur Reformati, & vulgo asserant, non obstante eo, quod Christus mortem corporalem loco fidelium subierit, tamen neminem fidelium actu immunem præstari a morte corporali subeunda; non sine ratione quæri posse, si justitiæ & sanctitati divinæ non repugnet, pro quibus Christus unam pœnæ partem, mortem scilicet corporalem luit, eos eandem illam pœnam (saltim materialiter) subire; an magis iisdem aliisque virtutibus adversetur, pro quibus Christus alteram pœnæ partem, mortem æternam subiit, illos tamen eidem illi pœnæ, vel in perpetuum, vel ad aliquot secula, si non formaliter ad satisfaciendum, saltem materialiter, obnoxios manere? Circa finem Viros doctos, qui pondera diversarum sententiarum de morte corporali satis accurate, ac cum respectu ad quoscunque adversarios, hactenus non examinarunt, summo, quo potest, studio rogat, illud tandem aliquando, serio attentoque animo, positis omnibus præjudiciis, faciant, & quid alterutra sententia commodi vel incommodi habeat, perpendant. Ut autem habeant, in quo ingenii acumen exerceant, sequentia ab iis probe considerari expetit. Et quidem primo perpendi vult, annon e duobus articulis, quos Synodus Hollandiæ Australis, anno 1693 Brilæ habita, concepit, & quibus Candidati Ministerii jurisjurandi loco subscribere tenentur, prior, qui asserit, *mortem corporalem fidelium non esse pœnam proprie dictam*, posteriorem, qui tradit, *D. N. Jesum Christum cum intentione, tum actu, pro morte corporali fidelium satisfecisse*, plane destruat atque evertat? Dein circa thesin aliquot ante annos editam, & communi Ecclesiæ Reformatæ consensu approbatam: *Christum liberasse fideles a morte corporali, quatenus est pœna peccati;* vult judicari, an, si thesis illa absolute consideretur, vel hilum plus dicat, quam vel Altingius vel Roellius dixit? Annon, si cum antece-

dente thesi conferatur, prout ex illa per consequentiam fluere creditur, bis terve in præcipuas legitimæ conclusionis vel consequentiæ leges impingat? Superpondii tandem loco sequens adjicit argumentum: *Christus liberat fideles, id est, actu immunes præstat, ab omni pœna peccati proprie sic dicta. Atqui mors corporalis fidelium non est pœna peccati proprie sic dicta. Ergo Christus non liberat fideles, id est, non præstat actu immunes a morte corporali.* Majorem dicit esse thesin orthodoxam, a qua in Ecclesia Reformata sine scandalo recedere non liceat. Minorem affirmat multis esse probatam contra Clarissimum Roellium, & a Synodis Fœderati Belgii receptam. Conclusio juxta ipsum est legitima, nisi quod paradoxa.

D. GUILIELMI MUSGRAVII, REGIÆ SOCIETATIS Socii, Epistola de Experimentis circa liquorem cæruleum ad vasa lactea transmissum, in Actis Philosophicis Anglicanis A. 1702. N. 275. exhibita, hicque Latine reddita.

Cum in nova Febrium continuarum Theoria recens divulgata p. 54 egregium illud experimentum, quod a Listero in lacteis vasis colore aliquo tingendis quondam institutum, inque Actis Philosophicis N. 143 recensitum fuit, nunquam ab Autore ex voto potuisse adornari, sed homines potius tinctura cœrulea ideo decipi asseratur, quod color ejusmodi lacteis vasis aliquatenus vel penitus vacuis naturaliter competat, ex adversariis meis ea transscribere placuit, quæ paulo post Acta illa publicata fuerim molitus.

Scilicet mense Februarii A. 168$\frac{2}{3}$ in intestinum jejunum canis, qui pridie non nisi parum alimenti assumserat, solutionis Indigo aqua fontana factæ duodecim circiter uncias injeci, quo post trium horarum intervallum denuo aperto, multa vasa lactea cœruleo colore conspexi imbuta, quæ licet extenso mesenterio aliquoties evanescerent, evidenter tamen in oculos incurrebant, ubi laxum illud servabatur, indicio manifesto, colorem cœruleum non vasis, sed liquori contento esse proprium.

Paucis diebus post, idem experimentum in cane, per 36 horas inediam

diam paſſo, coram aliis cum ſolutione ultramarini in aqua fontana facta repetens, multa vaſa lactea, paucis ab injectione minutis, colore perfecte cyaneo infici obſervavi: apparebant namque tali facie, antequam inteſtinum liceret conſuere.

Circa initium Martii ſequentis, in canis accipitrarii, per 36 horas jejuni, tenue inteſtinum ultramarini decocti, aqua ſimplici facti ac probe ſaturati, ſextarium injeci, ac tribus horis poſt, abdomine inciſo, multa vaſa lactea perquam cœruleo colore tincta inveni, quorum nonnulla diſſecta, liquorem cœruleum, (decocti ſcilicet portionem) per meſenterium exſtillabant. Hinc ductum thoracicum cum vicinis vaſis prius ligatum examinans, hunc æque ac receptaculum chyli, quamvis levius ac vaſa lactea, propter affuſam lympham, tinctum vidi, magis tamen cœruleum quam naturaliter eſſe ſolet, vel qualem colorem vaſa etiam lymphatica ſub hepate præ ſe ferebant.

Propriis oculis nunquam confiſus, plures ſemper Medicos in experimenti fidem adſcivi, qui omnes vaſa lactea tincta mecum pronunciabant.

Neque experimenta hæc adeo curioſe commemoraſſem, niſi certus fuiſſem, ab iisdem Viri doctiſſimi, de cujus experientia in tingendis vaſis lacteis immerito dubitatur, ſententiam non minus confirmari, ac propoſitionem ſtabiliri, quæ Oeconomiæ animali, tum integræ, tum læſæ, multum fœneratur lucis.

Ingreſſus enim in vaſa lactea, quamvis anguſtisſimus ſit omnium canalium, qui ab ore ad maſſam ſanguineam tendunt, cum adeo tamen amplus certo fuerit oſtenſus, ut craſſiores ultramarini particulas admiſerit, in proclivi erit ſpeciatim hic explanare, qua ratione liquores, e. g. aquæ diureticæ, breviſſimo temporis intervallo, in prodigioſa quantitate ad vaſa deferantur.

Ab eadem pylarum lactearum capacitate, promte recipi queunt cum appropriatis vehiculis craſſiora illa corpuſcula, quæ deinceps in grumoſam ſanguinis partem, cartilagines & oſſa faceſſunt.

Qua itidem amplitudine ſuppoſita, nemini poſthac impoſſibile videbitur, ovula vel animalcula ipſa ejusmodi vaſcula poſſe intrare, quod ſine dubio utrorumque nonnulla minora dentur illis

 craſſis

crassis Indigo particulis, quas cum decocto in vasis lacteis conspicuas superius indigitavi.

Præterea si tot diversæ minutissimorum insectorum species, tantaque eorum perpendantur fertilitas, ut ex regni animalis incolis parva omnino sit portio (forsan ne quarta quidem pars) eorum, quæ nudis oculis valeant deprehendi, non arduum amplius erit, immensam varietatem copiosissimumque numerum concipere insectorum, quæ in corporis animalis humoribus observantur.

Primarius tamen capacitatis vasorum lacteorum usus in eo consistit, ut ab his crudas alimentorum minus digestorum particulas, quæ in sanguine postea & genere nervoso horrenda sæpe producunt symptomata, recipi ostendantur.

Quæ theoria cum jam a primo ejus inventore (vide Clarissimi Listeri de Fontibus medicatis Angliæ exercitationem alteram, edit. Lond. p. 48.) ex parte fuerit confirmata, omnium optime ab eodem uberius illustrari poterit: fundamento enim, quo utitur, existente firmo ac certo, cuncta pariter, quæ eidem superstruentur, certitudine radiabunt.

Exoniæ d. 24. Septemb. 1701.

GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI D. Prof. Kilon. & Seren. Cimbriæ Ducis Archiatri, Naturæ Vindicatæ Vindicatio, qua ea, quæ libro de Natura olim fuerunt asserta, ulterius confirmantur atque explicantur &c.

Kilonii, typis B. Reutheri, 1702, in 4. Constat 1. Alph. 3 pl.

Ultimus forsan erit hic fœtus, quem Virorum Clarissimorum concertatio *de Natura* in lucem produxerit. Cum enim Illustris *Boylius* primus scripto *de Natura* libello, animadversiones in sensus nominis hujus interdum satis absurdos impiosque edidisset, Celeberrimus *Sturmius* illas & repetere, & ulterius confirmare contendit, dissertatione *de Idolo Naturæ agentis*. Limites tamen veri æquique transiliisse inculpationes cum viderentur Clarissimo *Schelhammero*, *Naturam sibi & Medicis vindicatam* edidit A. 1697. (Vid. Acta Erud. 1698, Febr. pag. 63.) Apologiam proin Sturmius altera dissertatione, quæ *Naturam incassum vindicatam* sistit, meditatus est; cui oppositam responsionem

nem præsens continet scriptum, quod abhinc quadriennium quidem natum est, sed bibliopolarum morositas editionem hucusque distulit. Totus in eo est Clarissimus Autor, ut omnia dissertationis Sturmianæ loca diligenter examinet, & an Naturam omnem quovis sensu negaverit Sturmius, inquirat, quod prioribus 3 capitibus præstat; recensionis autem loco ista diligentem Lectoris collationem locorum requirunt. Capite 4. ostendit, hæc duo, *Natura & ex lata semel lege, receptoque olim impetu* (quæ Autoris mens est) *fieri, quæ fiunt omnia*; & *immediate a Deo moveri etiamnum omnia*, (quæ Sturmii assertio est,) secum e diametro pugnare. Hinc & sententiam Sturmii, §. 3. cap. 4. dissertationis suæ traditam, *de Lege & efficacia ejus*, (talem negat noster Autor legi ascribi posse) expendit cap. 5; ubi simul invehitur in sapientiam novam vanamque quorundam hominum, qui quod veteres cum cura nunquam legant, multo minus intelligant aut expendant, eorum dogmata non aliter, ac si mera essent deliramenta, explodant spernantque, in philosophiam & posteritatem injurii, dum illi onus imponunt, præter veterum illa (sine quibus nemo mortalium, ut scribit Autor, solidam eruditionem sibi unquam comparavit) etiam suas novas & ineptas *Cogitationes* legendi expendendique. Quo quidem justam recentiorum diligentiam non vult damnatam, aut unice veterum libris inhærendum, eorumque dogmata promiscue amplectanda; optat tamen, suspecta nobis ut essent nova illa dogmata, quæ ut fungi quotidie erumpunt, & antequam recipiantur, exactius rationis trutina suspendantur, præsertim Gallorum, qui ad quodvis asserendum igneo nimis volucrique spiritu præcipites, ad ea, quæ profunda meditatione indigent, neque leviculam & subsultoriam operam admittunt, minus sint idonei. Cum vero *Sturmius* sibi distincte & imaginabiliter explicari postulasset, *quomodo lex illa insita in corporibus, legis ignaris, operetur*, Autor postulato huic capite 6 satisfacere nititur, monetque, leges naturales non agere, sed potius temperare motum & actiones corporum, ut in horologiis dentes & tympana motum determinant, sed sine omni efficacia, longissime distante potentia, & ab appenso pondere largita, toto cœlo ab his diversa. Mechanismum esse tantum vel principium vel partem, non

non totam naturam, cum omnes morbi maxime secundum mechanismum corporis, & tamen contra naturam fiant. *Malebranchii* sententiam, quæ corpora *exigitivam causam motus* statuat, refutat ut absurdam, cum leges naturæ sint potius causæ exigitivæ, non autem virtus divina, quæ a Deo orta, jam creaturarum propria sit. In *Connorii* Angli, qui *Evangelium Medici* edidit, sententiam suas dein subjungit animadversiones. Jungit quidem huic Virum nunc inter Beatos, *E. Weigelium*, quem eo absurditatis tandem devenisse ait, ut se non amplius illum hominem crederet, qui momentum horulæ antea substiterat, sed plane novum, jugiter quippe a Deo productum; sed quam verum est, B. Virum conservationem per continuatam creationem seu reproductionem explicasse, tam certum est & notum familiaribus, cum identitati rerum in genere, aut in propria persona, quam semper eandem statuit manere, nihil derogatum voluisse. Novitatem existentiæ seu novam vitam pueros docuit: at idem docuit Philosophos Philosophus acutissimus Lockius Lib. 2. cap. 15. §. 12. de durationis partibus, & cap. 27. de identitate & diversitate. Proin spes est, cognito hoc consensu, Autorem nostrum ea, quæ acerbius in extremæ B. Viri ætatis deliramentum dicta sunt, mitigaturum. *Aristotelis* doctrinam de Motu dum subdit & probat, Sturmium, concessa ei divinæ voluntatis efficacia, ad tollendum in motibus corporum saltem illud, *Unice & immediate*, urget, & tandem ex Cordemeo, Malebranchio, Boylio, Poireto, asserta Sturmii hausta esse, pronunciat. Quod sequitur caput 7, famosam illam quæstionem tractat: *an spiritibus creatis omnis movendi materiam facultas negata sit, ut in eam prorsus nihil possint?* Sententiam de spirituum movendi impotentia, plurimis tam facile persuaderi potuisse miratur, cum oracula, dæmoniaci, autoritas sacra aliud clament. Peculiarem tamen fovet hic sententiam: actiones mentis immanentes, etiam assensus & dissensus, fieri, si non solo motu spirituum animalium corporeorum, certe non sine istis, nec cogitationem esse actionem mentis essentialem aut intrinsecam; quod dogma utique exactius rationis trutina suspendendum est. Concludit tandem capite 8, quo in compendium, quæ dicta sunt, contrahit, & quousque conveniat inter ipsos, ostendit. Nempe dissensus est de

de Virtute Divina, quam *Sturmius* Deo propriam, Autor noster a Deo quidem ortam, creaturis tamen propriam & insitam statuit. Lockii quendam insignem & convincentem locum ex Gallico adducens, certitudinem suæ sententiæ, simulque utilitatem, qua creationis historia exinde explicari queat, monstrat. *Sturmius* vero cum vix nova responsione protracturus sit hanc controversiam, nos clausulam Autoris imitantes optamus, ut *& ipse*, quæ *de Medicina* accuratius demonstrationibus munienda meditatus est, aliquando publicet, *& Sturmius* Physicam suam Electivam *altero tomo* perficiat, cujus priorem hactenus avide amplexi sunt omnes, ne dimidiato corpore periclitetur fœtus tam nobilis. Ignoscet eo modo facile Orbis Eruditus concertationi huic de Natura ejusque viribus, (quam, qui Boylii libellum de Natura, duas Sturmii dissertationes, nempe IX & XIV Tomo II Dissert. Acad. insertas, item duos Autoris nostri de Natura vindicata libros jam recensitos, ut & duo Schediasmata Actis nostris inserta, unum illustr. Leibnitii A.1698 p.427, alterum celeb. Sturmii A 1699. p. 208 lectione conjungere voluerit, integram nosse poterit,) cum tot occulta Naturæ mysteria in lucem utrinque producta obfuscare litis memoriam, imo & omnibus aliis cogitationibus profundius & accuratius *Naturam Naturæ* demonstrare queant.

JO. MOLLERI, FLENSBURGENSIS, SCHOLÆ PATRIÆ Rectoris, Diatriba Historico-Critica de HELMOLDO ejusque Chronico Slavorum.

Lubecæ, apud Petrum Boeckmannum, 1702. in 4.
plag. 5.

CUm Bibliopola Lubecensis, Petrus Boeckmannus, Chronici Slavorum ab Helmoldo, Presbytero Bosoviensi, seculo duodecimo conscripti, & ab Arnoldo, Abbate Lubecensi, sub decimi tertii initium continuati, Bangertinam editionem luci publicæ denuo exponere decrevisset, in ejus novum quoddam auctarium a Clarissimo Mollero accuratiores de Chronici istius autoribus, continuatoribus atque editoribus observationes desideravit, quas lubens ille heic suppeditat. Sumit autem a nomine Helmoldi initium, quod a

ſcriptoribus, antiquis pariter & recentioribus, varie depravatum eſſe innuit, quandoquidem modo per Helinandi, modo Helemboldi & Helmboldi, modo Hermoldi & Hermeldi nuncupationem efferatur. Patriam ejus ignorari fatetur; interim, dum hæc innoteſcat, ſcriptoribus eum Cimbriæ indigenis accenſet. S. Vicelini, Epiſcopi Aldenburgenſis, Slavorum Wagriæ ſimulque Holſatorum Apoſtoli, diſcipulum eum facit, ac Geroldum, Vicelini in Epiſcopatu ſucceſſorem, ab ipſomet venerabilem ſuum præceptorem vocari addit, & ab horum alterutro in Presbyterorum allectum ordinem, Parochi in Eccleſia Wagriæ rurali Boſovienſi ad lacum Plönenſem ſacrum obtinuiſſe officium innuit, & variorum Autorum diverſos in loci iſtius denominatione admiſſos errores, παρόραμα quoque Centuriatorum Magdeburgenſium, Epiſcopum eundem Ratzeburgenſem facientium, taxat. Hinc qua cum difficultate & quibus cum vitæ periculis Wagrios, avitæ ſuperſtitionis tenaciſſimos, e Cimmeriis ignorantiæ tenebris ad cœleſtem Evangelii lucem traduxerit, enarrat, & ex collatis inter ſe variis Chronici ipſius narrationibus patere concludit, floruiſſe illum medio ſeculo duodecimo, Friderico Barbaroſſa ad Imperii Romani clavum ſedente, & Henrico Leone in Saxoniam inferiorem univerſam dominium exercente. Poſt annum 1170, ad quem hiſtoriæ ſuæ perduxit ſeriem, eum diu haud ſuperſtitem vixiſſe fatetur, ipſum tamen hunc annum emortualem ei fuiſſe, non audet aſſerere. Hinc Chronici illius Slavorum (qui fœtus præſtantis ipſius ingenii unicus ſuperſit,) faciem & ſcopum latius delineat, & ex editionibus ejus primas a Sigiſmundo Schökkelio curatas memorat, Reineccianam tamen anni 1581 ſingulis earum præfert, & iſta occaſione Reineri Reineccii nomen, ob multiplicia ejus in hiſtoriam tam univerſalem quam Germanicam merita, & ob plurimos ſcriptores vetuſtos ab interitu vindicatos, perquam extollit, iſtamque editionem & contra Romanæ Curiæ decretum inter libros eam prohibitos collocans, & cenſuras aliorum iniquiſſimas, maſcule tuetur. Neque tamen in eadem quinque ultimorum, in libro Supplementi Arnoldini ſexto, capitum defectum diſſimulat, quem ſuppleviſſe dicit Erpoldum Lindebrogium, quanquam emendatiora eadem capita Henricus Meibomius exhibuerit. Noviſſimam vero omnium & accuratiſſimam elegantiſſimamque Helmoldi & Continuato-

tinuatoris ejus Arnoldi editionem Henrico Bangerto deberi innuit, cujus proin vitæ curriculum & animi præclaras dotes ex instituto celebrat, & quid in ejus editione præstitum fuerit, uberius declarat. Calcar vero eruditis ad Helmoldum solicite illustrandum merita ejus addidisse statuit, quæ non exigua fuisse, e cumulatis, quibus plurimi eundem mactarint, elogiis, manifestum reddere laborat. Quæ obelo nonnulli in Helmoldo notarint, partim levicula, partim ævo, quo vixerit, infelici condonanda esse perhibet, & effatum hocce suum exemplis non unis illustrat, eademque ratione & a plagii crimine ipsi objecto eum purgare studet. Ad continuatores Chronici Helmoldini delatus, palmam tribuit Arnoldo, Historico Cimbriæ circa seculi XII & XIII confinia inclyto, circa quem prolixe occupatur. Nec illam reticet continuationem, quam seculis duobus & dimidio Arnoldo recentior, anonymus diœceseos Bremensis Presbyter suscepit, quamque primus omnium Nobilissimus Leibnitius in tomo Accessionum Historicarum primo publici juris fecit; ast circa eandem tamen nævos, quibus laboret, plurimos Noster haud dissimulat. Postremo lapsum annotat Joachimi Molleri, primi Metropoleos sive Historiæ Saxonum Ecclesiasticæ Alberti Krantzii editoris, qui in catalogo Autorum a Krantzio adhibitorum, aliam Helmoldi continuationem Episcopo cuidam Ratzeburgensi tribuat. Hanc enim non aliam esse dicit a Supplemento Arnoldi Lubecensis decantatissimo, Philippo Episcopo Ratzeburgensi epistola peculiari dedicatoria inscripto, cujus perfunctoriæ lectioni error ille Mollerianus suas origines omnino debeat.

DE CLARIS GRYPHIIS SCHEDIASMA M. JOANNIS THEODORI LEUBSCHERI.

Brigæ Silesiorum, apud G. Gründerum, 1702. in 4. Plag. 11.

CUm multum Reipublicæ literariæ intersit, Virorum eruditionis laude ac literarum cultura clarorum nomina exstare, vitasque ad posteritatis memoriam conservari; magnopere nobis gratulamur, quoties doctorum Virorum opuscula isti fini destinata in his

Eruditorum Actis recensenda nanciscimur. Itaque & hoc doctissimi Leubscheri de *Claris Gryphiis* Schediasma, & Gryphiani nominis amore cultuque, & ipsius opusculi elegantia ducti, minime prætereundum silentio censuimus.

In hoc Autor solertissimus, ut pietatem, qua Gryphianam domum, cui affinitate proximus est, prosequitur, *Christiano Gryphio*, Socero suo, nominis hujus mensuram cumulatissime implenti, & de publica re literaria egregie merito testetur, ternam Clarorum Gryphiorum Decadem sistit, vitæque eorum ac studiorum rationem concinna brevitate describit. Quod ut faceret, ni sua Virum pietas movisset, movere tamen aliorum exempla, collatæque operæ utilitas ac necessitas, facile potuissent. Habuit certe, quos sequeretur, Leonem Allatium, qui de *Simonibus & Simeonibus*, *Psellis* item ac *Georgiis* erudite commentatus est, *Gisbertum Cuperum* & *Johannem Henricum Meibomium*, Viros longe celeberrimos, quorum alter in Apotheosi sua *Januarios*, *Mecenates* alter laturis ætatem lucubrationibus commendavit; ipsum etiam *Christianum Gryphium*, *Logavios* docta & uberrima oratione complexum, multosque alios, quos recentior ætas tulit, quorumque gratissima eruditis opera fuit. Nec vana est, quam inde sibi Autor promittit, utilitas; cum nisi accuratam nominum vitæque Eruditorum descriptionem habeamus, facile fieri possit, ut tot ejusdem nominis viros doctos confundamus; quod vel ipsi Thuano, confusis *Martino* & *Michaele Neandris* (Thoma Crenio Animadv. Philolog. fasciculo V. p. 191 observante) accidit, aliisque, qui exempli gratia, *Henricum Stephanum*, Parisiensem Typographum, ab *Henrico Stephano* Vratislaviensi J. U. D. pluresque alios homonymos distinguere nesciant, accidere facillime possit. Inter ipsos vero Gryphios a se recensendos, Dynastas Sarmatas ex Martino Cromero & Simonis Ogolskii Orbe Polono referre noluit, quod & ambitiosius illi videretur, ab illis Dynastis suorum Gryphiorum genus deducere, nec minus ridiculum ipsorum vitas hic prolixe describere, quam Quintiliani Præcellii cujusdam institutum, qui de Familiæ Præcelliæ nobilitate libro pergrandi edito, illam Ciceronis jam ætate floruisse dicens, integram Ciceronis epistolam, in qua Præcellium quendam nominat, omnibus fastidiose inculcabat. Neque aliis

aliis Gryphorum potius quam Gryphiorum nomine dictis, Gryphiorum numerum augere Autor voluit, cum vel soli Gryphii satis amplum laudis & præclare factorum campum decurrendum darent. Sane enim omnes illos, quos inde ab anno 1482 ortos recenset Noster, si consideres, natam esse literarum gloriæ amplificandæ gentem Gryphianam existimabis. Renatas quasi esse in typographia bonas Græcorum atque Romanorum literas, nemo facile negaverit. At prodierunt e gente Gryphiana typographi, non typorum minus nitore ac elegantia, quam eruditionis laude & doctissimorum virorum familiaritate clarissimi §. 6, 7, 8, 9. Unum adduxisse sufficiat e §. 6 *Sebastianum Gryphium*, gente Germanum, amicitia Conradi Gesneri, Jacobi Sadoleti, Julii Cæsaris Scaligeri, Justi Lipsii, at quantorum virorum? ac eruditione, eorundem ac Menagii, Majoragii, Alciatique testimoniis comprobata celeberrimum: quod vel solum Jo. Vulteji Epigramma, in quo nostrum Stephano & Colinæo comparat, evincet, ex Menagii Anti-Bailleto T. I, p. 57 transcriptum:

Inter tot norunt libros qui cudere, tres sunt
Insignes, languet cætera turba fame.
Castigat Stephanus; sculpit Colinæus; utrumque
Gryphius edocta mente manuque facit.

Plures inprimis eruditione celebres sunt. Videas hic doctos literis §. 10. 13. literarumque doctores Academicos §. 3. Poetas §. 17. 20. ac Historicos §. 14. 15. Medicos hic numeres § 20. atque Juris utriusque studio & Reip. cura Senatores §. 19. Prætores §. 5. 21. Legatorum etiam munere apud maximos Reges defunctos §. 2. 18, Viros clarissimos. Theologos in hac gente venereris §. 24. 25. 26. 27. & Episcopos §. 1, 2. Polyhistores denique adsunt Andreas §. 29, atque Christianus §. 30 Gryphii, pater & filius, undiquaque celebres. Quorum ille Illustrissimorum Ordinum Ducatus Glogoviensis, dum viveret, Syndicus, variæ eruditionis atque publicorum munerum dignitate eximia gestorum, pluriumque scriptorum editorum & edendorum laude, a p. 52 usque 68 celebratur, & Nobilitatis quoque privilegia & insignia ab Imperatore gratiosissime concessa p. 58 suæ genti intulit, A. 1664 memorabili ac repentino, beata tamen,

ac placida morte, in ipso Ordinum consessu, ac inter amplexus Procerum illustrium defunctus: hic Gymnasii Magdalenæi apud Vratislavienses Rector & Professor, hodieque per Dei gratiam superstes, consummatissimæ eruditionis fama & illustribus monumentis Majorum gloriam sustinet & amplificat. Quod Gryphianæ gentis decus e voto nostro Deus felicissime perennare jubeat.

PRACTICAL OBSERVATIONS UPON THE MIracles of our Blessed Saviour.

h. e.

OBSERVATIONES PRACTICÆ IN MIRACULA Servatoris nostri optimi. Auctore FRANCISCO BRAGGE.

Londini apud Sam. Smith & Benj. Walfort, 1702. 8.

Constant Alph. 1. pl. 3.

Quamvis Servator noster amantissimus in terris olim versatus eum in finem imprimis miracula ediderit, ut a Deo se missum esse demonstraret, doctrinam suam confirmaret, fidemque hominum erga se tanquam verum Mesiam magis inflammaret; magnam tamen factis ipsius, quæ admiratione digna sunt, præterea vim inesse, ad instruendos animos ab iis rebus, quæ ad vitæ sanctitatem magnum adjumentum adferunt, doctissimus Braggius non immerito existimavit. Uti igitur antea e parabolis Christi ejusmodi observationes elicuit, lucique publicæ exposuit, quibus ad pietatis studium homines excitari possunt, ita eadem ratione miracula Servatoris in præsenti libello pertractare adgressus est. Constat autem ille tredecim discursibus, in quibus totidem miracula enarrat, quomodo nimirum Christus aquam in vinum mutaverit, Petri piscatui mirabiliter benedixerit, legionem malorum spirituum ex obsesso ejecerit, Jairi filiam in vitam reduxerit, paralyticum per triginta octo annos cum infirmitate conflictantem ad piscinam probaticam sanaverit, centurionis servum a paralysi liberaverit, filium viduæ Nainiticæ e mortuis resuscitaverit, quinque hominum millia panibus quinque & duobus piscibus saturaverit, per mare turbidum ambulaverit,

verit, mutum ac ſurdum ſpiritum ex homine expulerit, decem leproſos priſtinæ ſanitati reſtituerit, cuidam ab incunabilis cœco videndi facultatem conceſſerit, ac denique Lazarum ſepulchro jamjam illatum redivivum effecerit. Cum vero in recenſendis practicis ejusmodi libellis prolixi eſſe non ſoleamus, plura de hoc Braggii opuſculo non addimus, id ſaltem monentes, Auctorem non omnia, ſed plurima & præſtantiſſima Chriſti miracula eo ordine, quo facta eſſe creduntur, expoſuiſſe, ac tales ex iis obſervationes eduxiſſe, quæ non cogi, ſed ſua ſponte ex hiſtoriarum ſerie profluere videntur.

RELATIO DE FOEMINA, MAXIMAM FOETUS partem per umbilicum excludente, a CHRISTOPHORO BIRBECK, Chirurgo, in Actis Philoſophicis Anglicis Anno 1702. N. 275. exhibita, & hic Latine reddita.

Cum gravida quædam mulier partus doloribus corriperetur, obſtetrix extracta ſecundina, quæ primum ſe offerebat, in utero quicquam adhuc reſtare, percipere neutiquam poterat: & quoniam abdomen ſubſidebat, uterus contrahebatur, & fœmina cæteroquin bene tum ſe habebat, ſecundinam hanc molem fuiſſe credebat. Verum ſeptimana poſt, magnam materiæ fœtidæ copiam ad aliquot dies per genitalia excernit, & ſucceſſu temporis moleſtam ſentit in hypogaſtrio duritiem mulier, qua mole doloroſa per ſex ſeptimanas indies augmentum capiente, & verſus regionem umbilicalem ſe extendente, maxime debilitata, de vita deſperat. Cum tumor interim huic regioni ad menſem circiter affixus intolerabiles concitaret dolores, in vicinia habitantes mulieres pro abſceſſu eum habebant, pro quo ſuppurando & rumpendo poſtquam remedia applicuiſſent, quæ in ejusmodi *caſibus* in uſum cedere ſolent, rumpitur ille, & uberrimam *tenuis fœtidique liquoris* quantitatem ſucceſſive ejicit. Ulcus hinc partes vicinas ſphacelo corripiens, in tantam dilatabatur amplitudinem, ut viri manus commode intrudi poſſet, atque tantum ſpirabat fœtorem, ut nec ipſa ægra, ceu tenerrimæ conſtitutionis, nec quisquam alius illi inſpiciendo par eſſet. Brevi poſt, oſſicula quædam ex ulcere eliminata obſervat, mihique attonita monſtrare jubet. Quæ cum oſſicula digiti infantis eſſe cognoſcerem, rei novitate

tate

tate allectus eam invisere constituebam, nec sine gaudio excipiebar ab ipsa, in summis paupertatis angustiis hærente. Partes igitur inspiciens, fœtum in sphacelata reperio massa, & specillo varia deprehendo ossa; hinc dilatata separataque sphacelosa, quæ circumstabat, carne, plus quam dimidiam costarum partem, nonnullas vertebras dorsi & alia ossa extraho, ac ultra libram carnis corruptæ, & atramenti colorem nauseosumque odorem referentis, de infantis corpore rescindo, resectionemque singulis binis vel ternis diebus per integrum mensem continuo. Circumspecte namque tale quid aggredi, summa, qua laborabat misera, virium prostratio jubebat: nisi enim caute & successive fœtum extraxissem, vitam procul dubio in ipsa operatione finivisset mater, analepticis nunquam non reficienda. Cum autem post singulas operationes bene se haberet mulier, convalescentiæ spes affulgebat, quæ in principio admodum exigua erat. Lineam enim albam non modo & musculos abdominis, verum etiam peritonæum & omentum magna ex parte sphacelus occupabat, & intestina oculis patebant, aëri diu satis exposita. Postquam igitur fœtum ex parte extraxissem, & maxima fœtidæ materiæ copia per hanc viam prodiisset, effluxus ejusdem per inferiora imminuebatur. Quapropter deligatione, spleniorum applicatione, atque injectionibus detergentibus & exsiccantibus in uteri vaginam immissis, succurrere ipsi studebam, & tali quidem cum successu, ut brevi omnis per pudenda cessaret effluxus, & partes hæ penitus sanarentur. Quemadmodum & paulo post ulcus, per fomentationes, digestiva & mundificantia remedia tractatum, a putrefactione liberabatur, & abdomen integritati mulierque pristinæ sanitati usque adeo restituebatur, ut fœno frumentisque colligendis adhuc interesse liceat.

LIBRI NOVI.

Acta omnia Congregationum ac disputationum, quæ coram SS. Clemente VII & Paulo V summis Pontificibus sunt celebratæ, in causa & controversia illa magna de Auxiliis Divinæ Gratiæ, quas disputationes Ego F. Thomas de Lemos eadem gratia adjutus sustinui contra plures ex Societate. Lovanii apud Ægidium Denique (i. e. Remis apud Franciscum Godart) 1702. fol.

Diarium Italicum. Sive Monumentorum, Bibliothecarum, Musæorum &c. Notitiæ singulares in Itinerario Italico collectæ. A. R. P. D. Bernardo de Montfaucon, Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri. Parisiis, apud Jo. Anisson, 1702. 4.

* * * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, *Anno* M DCCIII.

GERHARDI JOANNIS VOSSII OPERA IN *sex Tomos divisa*.

Amstelodami, apud Janssonio-Waesbergios, Henricum & viduam Theodori Boom, & Remb. Goethals, 1695--1701, fol.

Continent plus quam 64, quæ vocant, Alphabeta.

Quanquam τοῦ πάνυ Gerh. Joh. Vossii doctissima opera multo ante, quam Nos de his Eruditorum Actis cogitaremus, universum, qua bonis literis aditus patet, orbem pervagata, & communi doctorum applausu excepta fint; non potuimus tamen, quin vel paucis moneremus, opera ista omnia & singula, sparsim ante & diversis formis edita, aliquot etiam adhuc inedita, in unum jam corpus ope doctissimorum aliquot in Belgio virorum collecta, sex tomis in folio, ut vocant, distincta, & singulari eruditorum commodo, typis & charta nitidissimis, inde ab 1695 edi cœpta, jamque penitus absoluta esse.

Tomus primus Etymologicum Latinum exhibet, quod vel ideo vere novum Editores dici volunt, quod in eo centenæ aliquot origines vocum, ab Isaaco Vossio sparsim margini operis paterni adscriptæ, ex ipso autem illius autographo fideliter expressæ, textuique commodis locis insertæ, & ut a paternis originibus discerni queant, duobus uncinulis [] inclusæ exhibeantur. Huic etiam tomo Vossii de Literarum Permutatione additum Tractatum videas.

Tomus secundus Aristarchum sive de Arte Grammatica libros VII, de Vitiis item Sermonis, & Glossematis Latino Barbaris libros novem continet. Horum quinque posteriores antea non editi erant. Et quinti quidem libri prior pars nomina ortu ipso Barbara, posterior vocabula Latinæ quidem originis aut Græcæ, non tamen recepta consuetudine bonorum scriptorum, ac tertio quartoque libro prætermissa exhibet: sextus liber voces in aliena positas significatione; septimus voces falso Barbarismi suspectas; octavus voces Latinas falsæ significationis suspectas; nonus denique liber vocum aliis junctarum Barbarismos complectitur.

In *tertium Tomum* aliquot Tractatus Philologici, qui cum prioribus tomis continuo nexu cohærere videbantur, congesti sunt. Ab Etymologico nimirum, quod vocum origines & significationes, & Grammatica, quæ bene ac pure loquendi præcepta tradit, ad Rhetoricen, quæ ornate loqui, verbaque rebus aptare docet, transitur, & Commentarii Rhetoricorum, seu Oratoriarum Institutionum libri sex, deque Rhetoricæ natura & constitutione liber unus, primo loco ponuntur. Quia vero Rhetorica & Poesis germanæ quasi sorores sunt, Rhetoricis de Artis Poeticæ natura & constitutione liber, & Poeticarum Institutionum libri tres, de Imitatione item tum Oratoria, tum vero imprimis Poetica, deque Recitatione Veterum liber, & de Veterum Poetarum temporibus libri duo junguntur. His porro, materiæ affinitate sic suadente, adduntur de Artium ac Scientiarum natura & constitutione libri V. antea separatim editi: I. De quatuor Artibus popularibus, Grammatistice, Gymnastica, Musice, Graphice. II. De Philologia, sub qua comprehendit Grammaticam, Rhetoricam, Metricam, Historicen: quam in Geographiam, Chronographiam, Genealogiam, & Historiam proprie dictam distribuit. III. De Mathesi, omnibusque scientiis Mathematicis, v. g. Arithmetica, Geometria, Logistice, Musica contemplativa, Optice, Geodæsia, Astronomia, Chronologia, Mechanice, &c. Tractatus item de Mathematicorum Chronologia. IV. De Logica. V. De Philosophia, omnibusque ejus partibus, v. g. Physice speculativa, operativa, Γεωργία, Φυτευτικῇ, Pastione, Venatione, Medicina, Chymia, famulisque Medicinæ aliis, de Pi-

Pictura, Statuaria, Theologia naturali, Philosophia activa, Politice, Eloquentia tum Oratoria tum Poetica, Critice & Divinatione &c. Ultimum tertii hujus Tomi locum de Philosophorum Sectis liber singularis omniumque Eruditorum judicio pridem approbatus occupat.

Quartus Operum Vossianorum *Tomus* cum tertio ita connectitur, ut initium ab Arte Historica seu libro de Historiæ & & Historices natura, Historiæque scribendæ præceptis fiat: cui deinceps reliqua Vossii idem argumentum spectantia conjunguntur. Ubi primo loco de Historicis Græcis libri quatuor comparent, ita aucti atque elimati, ut novum plane opus videri possint. Hos de Historicis Latinis libri tres excipiunt. Sequitur eos qualiscunque Historiæ universalis Epitome, nunquam antea typis edita; in qua Autor Historiæ universalis adhuc frustra desideratæ (& de qua an integra, an partes ejus aliquæ deperditæ sint, an vero nunquam plene perfecta fuerit, & multa forte adhuc imperfecta relicta sint, nihil certi Editores habent) brevem delineationem dedisse videtur. Huic varia Vossii opuscula subjecta sunt. Vita scilicet Fabiani a Dhona, Comitis a Dhona: Consilium Gregorio XV Pont. Max. exhibitum per Michaelem Lonigum, cum præfatione & censura G. J. Vossii: Aphorismi de statu Ecclesiæ restaurando, per Michaelem Lonigum, cum præfatione & censura Vossii: In Epistolam Plinii de Christianis,,& edicta Cæsarum Romanorum adversus Christianos commentarius: De Cognitione sui libellus: De Studiorum ratione dissertatio gemina: Oratio in obitum Thomæ Erpenii, Oriental. linguarum P. P. in Academia Leidensi: Oratio de Historiæ utilitate: In fragmenta L. Livii Andronici, Q. Ennii, C. Nævii, M. Pacuvii, & L. Attii Castigationes & notæ. Tandem & huic Tomo insertæ sunt Epistolæ Vossii, sed selectiores, & quæ aut de literarum studiis agant, aut rerum gestarum historiam illustrent; rejectis in suum locum dedicatoriis, expunctis vero res domesticas & privatas continentibus, quas omnes antea simul ediderat Paulus Colomesius.

Quintus Tomus divinum Vossii opus de Theologia Gentili & Physiologia Christiana, seu de Origine & Progressu Idololatriæ, deque Naturæ mirandis, quibus homo adducitur ad Deum, libros IX continet.

Sexto denique *tomo* varii Tractatus Theologici juxta seriem Historiæ Sacræ & Ecclesiasticæ dispositi exhibentur. Quare primo loco collocatur Chronologiæ sacræ Isagoge, quæ Historiarum Vet. Test. seriem docet. Inde ad Historiam Domini nostri Jesu Christi, ipsiusque genealogiam, nativitatem & passionem proceditur. Gemina igitur hic Dissertatio, una de Jesu Christi Genealogia, altera de Annis, quibus natus, baptizatus, mortuus est, comparet. Quibus Harmoniæ Evangelicæ de Passione, Morte, Resurrectione ac Ascensione Jesu Christi Salvatoris nostri Libri tres, de Baptismo Disputationes XX, & una de Sacramentorum vi & efficacia succedunt. Has excipiunt Theses Theologicæ de Baptismo & de variis doctrinæ Christianæ capitibus. Tum transitione facta pergitur ad res Ecclesiæ. Hic primo se offert Dissertatio trina de tribus Symbolis, Apostolico, Athanasiano, & Constantinopolitano: mox sequitur Historia Pelagiana, cui subjunctum videas de Manichæis & Stoicis non integrum Tractatum, sed majoris operis de Gratia Dei fragmentum antea non editum; tandem totum hoc opus clauditur duobus circa proxime elapsi seculi initium editis Tractatibus, qui controversias eo tempore agitatas expendunt, Epistolica nempe Dissertatione de Jure Magistratus in rebus Ecclesiasticis, & Responsione ad Judicium Hermanni Ravenspergeri de libro Hugonis Grotii contra Socinum de Satisfactione.

Multum de collectis his Vossii operibus doctissimis Editoribus debet Orbis Eruditus, multum ipsius Vossii nomen, cui nova hac Vossianorum operum editione monumentum ære perennius denuo erectum esse, ipsius Manibus merito gratulamur.

VITI BERINGII FLORUS DANICUS.

Otthiniæ, impressus a C. Schrödero, 1698, in fol.

Constat 8 Alph.

INter Lumina Daniæ, quæ superiore seculo explenduerunt, *Vitus Beringius*, Historiographus Regius, & in supremo Regni tribunali Regioque ærario, dum viveret, Assessor gravissimus, Polyhistor, Poeta, Orator insignis, locum sibi haud postremum vindicat. Et Carmina quidem illius varia, elegantissima uti-

utique & ſummum acumen ſpirantia, legi ab omnibus potuere, poſtquam inter *Delicias quorundam Poetarum Danorum* Lugduni Batavorum A. 1693 excuſas, *Fridericus Roſtgaard*, Vir celeberrimus, vita etiam Beringii & opuſculorum ab eo editorum indice præmiſſis, publici ea juris fecit. Præſens vero illuſtre ſplendidumque opus, quo Danicam Hiſtoriam complecti ſub Flori titulo voluit, a quamplurimis, qui multis in eo annis ſummoque ſtudio elaboraſſe Beringium noverant, diu, ſed fruſtra (nam ipſe quidem anno jam 1675 e vivis exceſſit) expetitum fuit, donec tandem A. 1698 fœtus hic pulcherrimus, dubium quo obſtetricante, in lucem fortunato prodiit. Tametſi vero ſerius ad nos, quam exoptaveramus, pervenerit poſthumum hoc opus, viderique poſſit gratiam novitatis dudum exuiſſe, perſuaſum tamen habemus, paucis illud adhucdum innotuiſſe; certe in officinis noſtris librariis obvium hactenus non fuit: ut adeo operæ nos facturos pretium putemus, ſi vel nunc de eo quædam edifferamus.

Præfixa eſt Hiſtoriæ ipſi elegantiſſima Præfatio, qua gravi oratione tum *Imperium Monarchicum in omni Republica optimum eſſe*, tum *tale Imperium jam inde a condito Regno in Dania obtinuiſſe*, *idque plenis ſub Friderico III, Avo hodierni Danorum Regis, juribus reſtauratum fuiſſe*, demonſtrare annititur eloquentiſſimus Beringius. Adſtructa nimirum, exordii in ea loco, uno & altero argumento Rectorum in Rebuspublicis neceſſitate, prolixa prius oratione diſceptat, quodnam regimen Rectorum ſit præſtantiſſimum, an Democraticum, an Ariſtocraticum, an vero Monarchicum? Atque tandem innumeris regiminis Democratici aut Ariſtocratici incommodis, & maximis contra imperii Monarchici utilitatibus oſtenſis, decernit: *Regnum Monarchicum longe præſtare tum Regno Democratico, tum Ariſtocratico.* Quo aſſerto tamen, neutiquam ſe carpere ſtatim monet Orator diſertiſſimus, florentiſſimas per Europam Reſpublicas, quæ ſub Optimatum imperio ad ſummum hodie felicitatis ſuæ faſtigium ſint evectæ. Geminam enim iis deberi laudem, quod in peſſimo ſtatu optimis conſiliis, & in inconſtantiſſimo regimine diutiſſime floreant. At nihilominus alioquin ſtatum plerumque rerum enaſci perverſiſſimum, ubi penes Plebem ſumma ſit poteſtas, & ex ea Duces ac Rectores Reipublicæ

eligantur. Siquidem constet, quod ejusmodi ex plebe lecti Rectores, inter nundinationes causarum, commodum privatum raro a publico distinguant: quod eidem filios aut agnatos in hæredes regiminis nunquam non obtrudant: quod aliquando regiminis prorsus ignari & potentiæ impotentes, effrænata dominandi libidine intumescant, & cœca tantum ac immoderata, maximo Reipublicæ detrimento, consilia capiant: aut quod perpetuæ, ubi plures regnent, sine consiliorum moræ atque ambages, & tantum absit, ut exoptata semper inter tot capita consiliorum servetur concordia, ut potius nil nisi suspiciones clandestinæ, iræ, odia, dissidia & factiones publicæ exoriantur. Unde pateat, ex geminis aut pluribus regimini datis capitibus, in Republica perinde ac in homine, monstrum tantum enasci, & eo rerum statu, ubi in diversas diversa imperii capita discindantur factiones & sententias, Lernam persæpe omnium malorum fieri Rempublicam. Satius inde esse, si tutela & regimen rerum humanarum in uno regno, velut in una navi, uni tradatur Rectori. Ita enim ex unius capitis nervis, omnium membrorum temperamentum & regimen profluere sanctissimum. Ita adesse in regno cœli faciem, quod inter perpetuas circumvolutiones uno collustretur Sole. Ita arctiori cives & milites vinculo constringi, si unus in sacramento nominetur Princeps, & unus in legum promulgatione Legislator. Ita fœdera cum vicinis & exteris firmiora diutius manere & sanctiora, si unus gentium legatis Dux ostentetur ac Imperator. Neque etiam in Monarchia metum esse, ne consiliorum ancipitia, suffragiorum moræ, aut æmulantium odia Rempublicam divexent. Accedere potius statum Monarchicum ad cœlitum statum beatissimum, in quo unus imperet Deus: ac ideo quoque Regibus Majestatis titulum & communis parentis nomen dari, nec non cum sceptro coronam iis imponi, ut æternitatis ac divinitatis symbolum in eorum frontibus resplendesceret.

Quo vero stabilis eo magis ac firmior in omne ævum maneat Monarchia, necessariam adhuc maxime esse addit Beringius perpetuam hæredum ex una stirpe in regno successionem, ita tamen, ut quem nascendi ordo inter defuncti Monarchæ filios throno proximiorem ostenderit, thronum ascendat & regnet. Sic enim, cum una familia perpetuum foret Regum seminarium, cives nunquam

ca-

capite suo destitui, adeoque nullam, post mortem Regis sui, jacturam propemodum sentire. Sic ipsos Principes, regni hæredes, eo magis ad supremum Heroicarum virtutum apicem Majorum exemplis eniti, atque publicæ salutis eo semper esse amantiores, quo certius sciant, sua esse omnia, quæ tuentur. Enutriri quoque eosdem eo majori a parentibus sollicitudine, ad publicam Reipublicæ salutem; ac ideo mutuum Principum & civium amorem eo semper esse efficaciorem. Occludi hoc modo ambitioni viam omnem. Abesse interregna turbulenta, neque metuendum, ne aut peregrini regnum occupent, aut ipsi electores istud ad se trahant & rapiant. Miserum inde haud raro statum enasci in iis per Europam imperiis, in quibus inter comitiorum solemnia, & suffragiorum moras atque ambages, ex electorum arbitrio & potestate suprema potestas, ejusque moderator dependeat. Evenire eo multoties statu cædes & funera magnorum virorum tristissima, si videlicet pro suis singuli quandoque electores suffragiis ad arma consurgant, & pro eis tanquam pro aris & focis decertent. At excipere quis contra hæc & cætera a Beringio allata argumenta poterat; *bonos non semper nasci in purpura*. Ad quod autem eloquentissimus Beringius paucis regerit: *neque vero in comitiis bonos semper eligi*. Rectius inde fore atque satius, si, quod de suis Galli Regibus dicant, *nunquam moritur*, suum quævis Respublica de suo Rectore esse juberet symbolum, atque Rex instar Phœnicis e suo semper cinere in filiis suis esset superstes.

His præmissis, jam secundo loco evincere annititur Beringius, *Daniæ imperium semper fuisse Monarchicum*, tum quod hæreditaria in eo perpetuo obtinuerit Regum successio, tum quod supremam aut Monarchicam ibidem Reges semper exercuerint potestatem. Quod enim prius attinet, nullum per orbem regnum reperiri, quod per integra quinque & viginti secula, quod Daniæ contigerit, perpetuam & indivulsam in gemina omnino stirpe successionem continuaverit. Nam a Dano imperii conditore, ad Unguinum usque, Daniæ Reges unius familiæ sanguinem fuisse, per unicam fœminam, Suanhuidam, Hotteri genitricem, connexæ. Deinde vero ab Unguino usque ad Domum Oldenburgicam, alteram Regum seriem per tres fœminas, Gyretam, Estritiam & Mar-

Margaretam, junctam fuisse. Atque harum familiarum in regno Daniæ successionem hæreditariam, constantem adeo fuisse & perpetuam, ut aliquando etiam ad fœminas, aliquando vero ad dissitos procul a stirpe & patria in aliis extra Daniam terris agnatos regimen descendisse, Margaretæ & Erici Pomerani atque Christophori Bavari exempla comprobent. Imo eandem ob causam, ne scilicet deficerent e stirpe Regia, qui regnarent, Ubboni reluctanti, & Jarmerico e captivitate redeunti, paternum regnum fuisse traditum. Cui hæreditariæ successionis juri & illud porro accedat, quod Reges Daniæ non tantum herciſci olim regnum, sed & istud aliis privata auctoritate donare potuerint. Quamvis autem jam hæc hæreditaria olim Regum in Dania successio, ab adversæ opinionis auctoribus non ficulneis prorsus argumentis possit impugnari: hodie tamen hæreditariam in Dania Regum successionem æque ac potestatem Majestaticam inconcussam stare monet Beringius & integram, ex quo utrumque, & successionem & potestatem, FRIEDERICUS III, manumissa veluti Domo Oldenburgica, plenis A. 1660 juribus in Daniam reduxerit. Frustraneum inde jam fore Bodinum & quemvis alium, si Majestatis jura Daniæ hodie velit detrahere, ob leges Regum olim inaugurationi adhibitas. Has enim Friedericum memoratum abrogasse, ita ut nunc citra comitia & interregna, Regii Principes thronum ascendant, relinquantque posteris.

Ne autem quis suspicetur, jura supremæ potestatis superiori jam demum seculo in Daniam esse introducta, ultimo adhuc loco versatissimus in Historia Danica Beringius contendit, Regimen Danorum semper fuisse Monarchicum. Nam ante conditum etiam Regnum, ipsos Judices vel Suffetes supremam aliquam & Regia haud multo inferiorem potestatem tenuisse. Id quod partim ex multis antiquitatis & scriptorum testimoniis non contemnendis, partim exinde possit comprobari, quod Judices non tantum pro tribunali sederint; sed quod &, veluti supremi omnium rerum in campo & foro Domini, populum in concionem libere evocaverint, tributa sciverint, dignitates mandarint, & belli ac pacis sine provocatione populi moderatores extiterint. Additum fuisse his juribus jus gladii summum, & supremam in cives jurisdictionem, quæ etiam inter ipsos fuerit hæreditaria. Imo non ad vicinos modo populos, sed & ali-

aliquando trans maria & oceanum formidandas in orbem legiones emisisse. Fuisse eas Gothos, qui primi a septentrione in meridiem egressi Cimbrorum tradux fuerint ac tribules. Neque vero Cimbros aut Gothos tantum; sed & Gepidas, Longobardos, Varios, Vitasque, & qui eos longo intervallo exceperint, Normannos generis sui decora & incunabula ex Dania arcessere. Ampla posthæc laude extollit Ostro-Gothorum & Vestro-Gothorum res gestas & victorias, nec Judicum laudes reticet, qui interea, dum hæc extra Daniam agebantur, domi togæ gloriam altius indies extulerint, & justitiæ ac pietatis antistites extiterint serenissimi. Nullam proinde per orbem gentem ad divinam Reipublicæ imaginem propius, quam Danicam accedere, quæ ad Dei nutum & præceptum constituta sub Judicum magisterio adoleverit. Elapsa esse novem integra secula, per quæ Judices in Dania supremam in toga & sago potestatem exereuerint. Post ea tempora, quæ Daniæ pueritia dici possent, adolescentiam ingressam Daniam prodire cœpisse cum corona in publicum, & matura velut ætate in purpura se orbi ostentare, h. e. traductum fuisse regnum a Judicibus ad Reges, eaque mutatione, quam aut æternæ rerum omnium vicissitudines, aut mutuæ & fatales tunc temporis insularum Danicarum iræ & contentiones, nullo alio veluti remedio, quam auctoritate Regia compescendæ accelerarint, supremam seu majestaticam in Daniam potestatem fuisse introductam. Atque ut hæc Daniæ potestas Monarchica, & per continuam Regum seriem ad *nostra usque tempora* continuata, atque inprimis Friederici III auctoritate anno Christi 1660 plenissimis Majestatis & hæreditariæ successionis juribus communita, ævum pariter omne ac spatia orbis emetiatur, postremo demum loco Beringius pie precatur.

Diutius paulo nos Præfatio detinuit. De Historia ipsa paucissimis dicemus. Eam a Dano, Regum primo, annoque ante natum Christum millesimo trigesimo octavo orditur Beringius, atque ad ea tempora deducit, quibus regnans hodieque Domus Oldenburgica sceptro Danico admota fuit, i. e. ad seculi post Christum natum quinti medium. Sermonis genere usus ubique est sublimi & arguto, ut attentum Lectorem omnino requirat, inter Historicum & Panegyristam quasi medius, celebratis justo elogio Regum præclare gestis, sed nec dissimulatis tamen eorum vitiis pravis-

U que

que facinoribus. Seriem Regum, adjectis ubique imperii annis, eam proxime servat; quam dudum Saxo Grammaticus, Daniæ Historicorum hucusque facile princeps, ex Islandicis aliisque monumentis eruit atque congessit: nisi quod a Dano I cum Saxone Regum Historiam auspicatus, post Olaum I, *Haraldum I*; post Frothonem V, *Haraldum II*; post Quinqueviratum Daniæ, *Haldanum III, Haraldum Hyldetand, Ringonem I, & Hettam*; post Sivardum I, *Butlum*; post Regnerum, *Haraldum Klakium* & *Ivarum*; post Ericum I, *Ericum puerum*, & post Olaum Famelicum, *Ericum bonum* ac *Ubbonem* interserat: quorum fata & facta Saxo quidem maximam quoque partem loco suo memorat, nomina vero eorundem suo Regum Daniæ censui ac numero nuspiam adscribit. Inter Snionem vero & Biœrnonem, trium integrorum seculorum hiatum seu lacunam esse Historiæ Danicæ, intime & graviter conqueritur Beringius, quam in Saxonis Historia dudum Arvidum Huitfeldium & Claudium Lyschandrum, Historicos Danicos, animadvertisse, doctissimus Stephanius in uberioribus suis ad Saxonis Historiam notis testatur.

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS QUÆ EXSTANT. Recensuit & Adnotationibus illustravit CHRISTOPHORUS CELLARIUS; qui & Indices copiosiores Rerum & Verborum addidit.

Halæ Magdeburgicæ, sumtibus Orphanotrophei, 1703. in 8. Alphab. 1. plag. 13.

Christianorum poetarum princeps omnium judicio Aurelius est Prudentius, divinus quasi Pindarus, & sanctissimus Horatius: nec tantum lyrico, sed omni genere carminum excellens. Sæculo, quod nuper exegimus, duo cum primis in ornando illo laborarunt, Joannes Weitzius & Nicolaus Heinsius, quorum libri quum desierint in bibliopoliis prostare, novam editionem, & utraque commodiorem adgressus est Vir meritissimus de bonis literis CHRISTOPHORUS CELLARIUS, quem sponte sua id molientem beatus noster FRIDERICUS BENEDICTUS CARPZOVIUS ultimis ex fatali morbo literis, pro amicitia, quam cum ipso percoluerat, extimu-

ſtimulavit; ut ille in nuncupationis epiſtola profitetur. Id autem egit Editor celeberrimus, ut primo textum quam emendatiſſimum daret, uſus in id non aliis codicibus manuſcriptis, quam quos plurimos laudati viri Heinſius atque Weitzius excerpſerant, quod ille antiquiſſimum quemque in Italia, Gallia, Britannia, præter ſuos, evolvit; hic præſtantiſſimos latitantes in Germania. Quibus quod meliores non poſſunt inveniri; ex his, quod ſibi optimum videbatur, Prudentio vindicavit ita, ut in plerisque ſummi judicii virum Nicolaum Heinſium ſecutus ſit: in nonnullis autem ob graves rationes ab illo diſceſſerit, quas in Notis profert. Quod autem præcipuum in hiſce Notis eſt, ad explicationem magis, quam ad lectionem & curam criticam pertinet: quamquam neque hanc, ubi opus erat ſenſui ac interpretationi, poſthabuit. Sic nullum fere locum difficilem, aut intactum ab aliis, reliquit inexplicitum, in quo offendere lectores poſſint, præſertim adoleſcentes, in quorum uſum hæc editio apparata eſt. Indices adjecit copioſos Rerum & Verborum: etiam tertium licentiæ Prudentianæ, ſive metri a regula recedentis. Nam Chriſtiani poetæ plus ſumunt ſibi, quam ceteri, in Græcis maxime vocabulis, quibus pro vulgari, quæ illo ævo obtinebat, pronunciatione ſuam ſyllabarum quantitatem conſtituerunt. In Præfatione optat Editor, ut in Chriſtianis ſcholis hic poeta cum Virgilio & Horatio conjungatur, quo cum carminum varietate, qua vel omnibus antecedit, juventus Chriſtiana etiam Eccleſiæ antiquæ ritus atque fata condiſcat, quod utique plurimum afferre ad rem ſacram & pietatem poſſit.

DUODECIM PANEGYRICI VETERES, EX SEculo a Diocletiano ad Theodoſium ſuperſtites, recenſiti & Adnotationibus illuſtrati a CHRISTOPHORO CELLARIO, qui & Indices copioſiores Rerum & Verborum adjecit.

Halæ Magdeburgicæ, ſumptu Jo. Bielckii, bibliopolæ Jenenſis, 1703, 4. Alphab. 1. plag. 7.

QUæ prima olim Romanis & præcipua diſciplina Eloquentiæ erat, qua in foro, in curia, pro roſtris & in ipſis caſtris promtiſſime res gererent ſuas; ea poſtmodum ad pauciores uſus reda-

cta fuit, quorum præstantissimus est ille, qui magnorum Principum laudibus panegyricis continetur. Hunc quod præcipue Constantinorum sæculo excultum esse videmus, illos Panegyricos, qui supersunt, rarius adhuc & minori cura in Germania excusos, clarissimus Editor cum Adnotationibus suis publicavit, ut qui in eloquentia se exercent, aut ad Principum laudationes vocem præparant, exemplum habeant, ad quod meditationes suas imitando possint componere. Laborarunt in his olim eruditi viri, Livinejus, Acidalius, Rittershusius, Gruterus: cum quorum Notis sigillatim & conjuncte aliquoties hi Panegyrici prodierunt: anno cIↄ Iↄc LXXVI etiam Parisiorum Lutetiæ augustiore forma Jacobus de la Baune cum suis adnotamentis edidit. His omnibus usus est Cellarius noster, & quod quisque præstantissimum, præsertim ex MSS. observaverat, excerpsit, & suis interpretamentis inseruit, quibus quidquid difficile ad intelligendum erat, planissime clarissimeque exposuit. Singulis Panegyricis argumentum præmisit, ut in conspectu sit materies. Continent enim res præstantissimas, ad historiam illorum temporum complendam & explicandam cumprimis utiles ac necessarias. Verbi gratia, de Maxentii tyrannide, de Constantini contra illum bello & victoria nemo plenius, distinctius nemo disseruit, quam Nazarius, & alius anonymus auctor Panegyrici VIII, enarraverunt. Egregia quoque & rara sunt, quæ de Constantino patre, de Juliano, de Theodosio traduntur, ut vere celeberrimus Editor in præfatione dixerit, arcanam historiam & ab aliis præteritam in his Panegyricis reperiri. De dicendi genere, nonnunquam gloriosiore quam pro mortalium conditione Principum, in eadem præfatione præmonetur. Panegyrici sunt numero XII, secundum ætatem Augustorum atque Cæsarum (hos enim accurate, ut fuerunt discreti, hæ orationes distinguunt) distributi, quorum primus est dictus Maximiano Herculeo; eidem etiam secundus: ultimus Theodosio Magno: medii Constantio Chloro & Constantino Magno, maxime Eumenii Augustodunensis; Juliano, Mamertini fœtus junioris; & Gratiano, ex ingenio Ausonii; quem apposuit Editor, a nonnullis, etiam a Parisiensi de la Baune, in serie & complexu Panegyricorum prætermissum. Inprimis commendabilis est Panegyricus

III Eu-

III Eumenii, pro Restaurandis Scholis ad Constantii Cæsaris præfectum Galliarum. Plinii autem Panegyricum Noster non adjunxit, quia idem eum cum Epistolis illustratum olim ediderat, ut anno cIɔ Iɔc XCIII mense Aprili recensuimus. Nunc vero unius seculi orationes, quod a Diocletiano ad Theodosium fuit, complexus hoc fasciculo est.

CHRISTOPHORI CELLARII ORTHOGRAPHIA Latina, ex vetustis monumentis, hoc est nummis, marmoribus, tabulis, membranis, veterumque Grammaticorum placitis, nec non recentium ingeniorum curis excerpta, digesta, novisque observationibus illustrata.

Halæ Magdeburgicæ sumtu Jo. Bielckii, 1703, 8. plag. 10.

LAtine scribendi rationem sive Orthographiam, propter variationes successu temporum, etiam ætate una ab ipsis Romanis factas, auctasque a Grammaticis antiquis, in ordinem redigere & summatim explicare multi sunt adgressi, in quibus maxime Aldus Manutius Pauli filius, Justus Lipsius, & Claudius Dausquius excelluerunt: quibus clarissimus Auctor nunc adnumerandus est, diligentissime, quidquid hujus rei est, scrutatus, & brevi summa in hoc Latinæ Orthographiæ libello complexus. In duas partes distribuit, quarum priore de variis, quæ generatim ad universam Orthographiam pertinent, agit ita, ut ante omnia, quod ceteri prætericrunt, distinguat inter majusculam veterem literarum formam, in nummis, lapidibus, antiquissimis codicibus superstitem; & minusculam, multo posterius, & quum caderet Latinitas, superinductam: quarum diversas rationes esse, nec unam ex altera ubique judicandam, perspicue ostendit. Deinde agit de literis Græcis in Latium adsumtis: de Vocalibus & Diphthongis Latinis: de formis *V* & *U*, *v* & *u*, quando distingui cœperint; & de aliarum in vetustis nummis connexione. Ad hæc de literarum mutatione in compositionibus, ubi per ordinem & seriem Præpositionum a pag. 36 ad 49 omnia recenset ac explanat. Subjicit de Adspiratione, ubi addenda sit, & ex quibus expungenda: etiam de

Numeris Romanorum: postea de Accentibus Latinis, quos, ut in usu hodie sunt, Adverbiis & Particulis impositi, rejicit omnes & ineptiarum accusat, quia longissime absint ab apicibus veterum, quibus vero & hi non nisi rarissime usi sint: dein propterea, quod innumera sint diversæ notionis Nomina & Nomina, Verba & Verba, Verba & Nomina, quæ plane iisdem literis scribantur sine notulis accentuum, & tamen a quovis legentium discernantur. Quanto magis, inquit, Adverbia ab rarissimis Vocativis distingui ab omnibus, etiam a pueris, poterunt? ut apicum illorum neque necessitas sit, neque usus ullus, quum ex sensu id, quod illi discernant, satis possit intelligi. Tandē de Signis Distinctionum, puncto, commate, colo & ceteris: & de Divisione in fine versuum: item de Notis seu Abbreviaturis pertractat, & clare omnia proponit. Et hæc priore parte. Posteriore secundum Alphabeti ordinem, singulas voces, controversas in scribendo, percucurrit, & ex antiquis monumentis Grammaticorumque rationibus, quæ probabilior scriptura sit, & plus olim auctoritatis habuerit, multa cura & solertia demonstravit.


LAURENTII BEGERI, CONSILIARII REGIO-ELectoralis Brandenburgici ab Antiquitatibus & Bibliotheca, de Numis Cretensium Serpentiferis Disquisitio Antiquaria.

Coloniæ Marchicæ, typis Ulr. Liebperti, 1701, in fol. Constat plagulis novem.

Elegantissima hæc Disquisitio in Colloquii modum conscripta est, ubi celeberrimus Begerus, assumpto *Dulodori* nomine, id agit potissimum, ut Cretensium Asiaticorumque a Serpentibus creditam originem adstruat, atque inde Antonii quoque & Augusti, aliorumque numismatibus serpentiferis lucem affundat. Qua fini quatuor Cretensium serpentifera numismata, quæ apud Goltzium extant, (ex quibus unicum hic exhibuisse suffecerit) producit, & quid in illis serpentes, quid pharetra, Bacchique cista mystica & hedera sibi velit, copiose edisserit ac explanat. Existimat quippe, serpentibus his ipsos Cretenses adumbratos fuisse, nec obscure gentis originem iis declarari. Cumque primus homo in Asia ex terra creatus dicatur, & Genes. X disertis verbis tradatur, *Japheti* po-

Tab. I. Fig. I.
















6

R Γ Ω

posteros insulas inter se divisisse, sponte sequi, Cretæ incolarum originem ab Asia arcessendam esse. Sed ut, quæ probanda sibi delegit, clara maxime reddantur & perspicua, ulterius progreditur, atque evincit, serpentes Asiæ symbolum fuisse. Planum hoc ac expeditum facit numismate Augusti, quod *Asia recepta* inscribitur, & serpentes connexos exhibet; cui jungit, quæ apud Seguinum extant, Laodicensium numismata, non connexos solum serpentes, sed & pharetram amplexos, eodem plane modo, quo & in numis Cretensium visuntur, ostentantia. Et quamvis exinde dilucide satis appareat, serpentes Asiæ symbolum esse, accuratius tamen ista persequi, allatoque simulacro Asiæ, serpentem dextra præferentis, quod & nos hic repræsentamus, uberius explanare Du- Tab. I.
lodorus voluit. Qua in re utut a Clarissimo Begero Vaillantius Fig. 2.
discedat, eo quod Præstant. Numismat. Tom. II, p. 143 adfirmet, non serpentem in hoc numo, sed acrostirium designari: tantum tamen abesse, productis rationum momentis, Begerus asseverat, ut Vaillantius opinionem hanc tueri possit, ut potius eodem loco fateatur: *angues insignia sunt Asiæ minoris, ut fidem facit Augusti numus cum iis, & epigraphe*, ASIA RECEPTA. Istis perpulchre confectis, ut reliqua quoque rite explanet, Strabonis locum ex libro XIII affert, atque ejus beneficio probat, Asiæ simulacrum non tantum ob serpentum in Asia multitudinem præferre serpentem, sed vel maxime ob serpentigenas. Locus iste est: Ἔστι δὲ καὶ Πάριον πόλις ἐπὶ θαλάττῃ, λιμένα ἔχουσα μείζω τῆς Πριάπου. -- Ἐνταῦθα μυθεύουσι τοὺς Ὀφιογενεῖς συγγένειάν τινα ἔχειν πρὸς τοὺς ὄφεις. -- Μυθεύουσι δὲ τὸν ἀρχηγέτην τοῦ γένους ἥρωά τινα μεταβαλεῖν ἐξ ὄφεως. Ideo vero inprimis Asiaticos a serpentibus suam deduxisse originem, ut ostenderent, non navali solum potentia & peritia se excellere, sed & viros alere omni ex parte Heroes, utpote a serpentibus oriundos. Olim quippe & maximos summosque viros a serpentibus genus repetiisse, & ipsis serpentibus divini quid tributum esse, idque posterius Eusebii potissimum de Præpar. Evang. Lib. I verbis firmari. Sed & hoc, quod celeberrimus Dulodorus affirmat, præterire non possumus, a serpente nimirum primorum hominum seductore Ethnicorum errores prodiisse, adeo ut serpentem in Orgiis mysticum hinc non abs ratio-

ratione quidam deducant, ſuetamque vociferationem EVOE, a prima mortalium matre EVA deſumtam, non adeo abſurde arbitrentur. Utut autem re ipſa fortaſſe ſerpentis hinc divinitas ortum traxerit, cum tamen res progreſſu temporis inter Ethnicos fuerit obliterata, iis ſe inhærere velle dicit, quæ Ethnicis nota aut ſaltem credita fuerunt. Cujus propoſiti memor id proinde expedire annititur, quomodo ab unica gente in Parianorum anguſto agro ad univerſos Aſianos deſcendi poſſit. Ita vero inſtituti rationes moderatur, ut demonſtret, Phrygiam minorem ſeu Troada antiquiſſimis temporibus, & omnium primam, *Aſiæ* nomen obtinuiſſe, indeque paulatim nomen hoc toti continenti commune factum eſſe. Quam ſententiam cum plurimis optimorum auctorum ſuffragiis muniviſſet, porro inde efficit, Lydos gloriam Trojanorum commento quodam ſibi vindicaſſe, & Iones etiam longo poſt Trojam tempore, adeoque diffuſo jam ulterius Aſiæ nomine, in Aſiam tranſiiſſe. Nec Homero non hanc Aſiæ appellationem cognitam, ſed & ejus ætate jam ultra Cayſtrum progreſſam eſſe probat, eo quod Iliad. β. verſ. 461 canat:

Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.

Male vero ſe tueri opinionem Stephani Byzantini, qui Ἀσίῳ interpretetur ἀντὶ τοῦ Ἀσίου, præſertim cum ipſi aperte repugnet Virgilius, ita hunc locum exprimens:

Jam varias pelagi volucres & quæ ASIA circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur PRATA Cayſtri.

Cui denique accedat Dionyſius in Periegeſi verſ. 836, ſeq. Vanum non minus Servii eſſe effatum, qui aſſerat, Aſiam *regionem* primam corripere, Aſiam vero *paludem* producere, cum idonei ſcriptores aliter ſtatuant, quorum exempla hic congeſta videas. Cum ergo ex hactenus dictis planum effecerit, Aſiæ nomen, Trojanæ regioni antea proprium, in cæteras regiones diffuſum eſſe, non mirum videri ait, quod & origo a ſerpentibus petita ad eas tranſmiſſa fuerit. Et quod ad Cretenſes attinet, eos ab Aſia hac, quæ Trojanis ſubfuit, oriundos ex Phrygia per Thraciam & Græciam in Cretam tranſiiſſe, multisque in rebus Phryges imitatos, originemque ſuam mentitos fuiſſe, copioſe Dulodorus & eleganter ediſſerit. Ne vero nominum varietas cuipiam imponat, hoc quoque ſolerter, ut mul-

ut multa alia, præcipit, eos ab Ida Phrygiæ monte Idæos Dactylos vocatos, & a nonnullis Cabirorum, nec non Curetum nomine compellatos fuisse. Ad corytum denique, arcus & sagittas in Cretensibus numis quod attinet, nihil iis denotari aliud, quam sagittandi artem; cumque Cretenses eam ab Apolline se didicisse gloriati fuerint, dilucide inde apparere, quod ab Orientalibus Asiæ populis eam didicerint. Apollinem enim Solem esse, qui ab Oriente surgit, & inde orbem transit, quique ideo jaculandi arte censetur excellere, quod radii Solares sagittarum rationem obtineant, idque Solem in Cretensium quodam numo aperte testari. Contra serpentem, cum cista & corona hederacea, Auctor ad cultum Bacchi per Asiam universam vulgatissimum, & originem orgiorum docet respicere: nec pertinere non huc, quod in numismatibus Antonii cista mystica Bacchi serpentibus imponatur; quandoquidem omnium fere scriptorum suffragiis constitutum sit, Antonium pro Baccho in Asia cultum esse. Sed hæc speciminis loco sufficiant.

COLLOQUII QUORUNDAM DE TRIBUS PRIMIS Thesauri Antiquitatum Græcarum Voluminibus ad eorum Authorem Relatio, amico DULODORI calamo scripta & publicata.

Anno 1702, in fol. Constat plag. 8.

SPlendidum opus est, quod sub Thesauri Antiquitatum Græciæ titulo, curante celeberrimo Jacobo Gronovio, prodiit, &, prout in præfatione ipse loquitur, *visibilem Græciæ veterrimæ historiam, & quicquid auri, argentique prisci, vel æris alteriusque ornamenti ad hanc causam pertinens restat*, complectitur. Primum ejus tomum in Actis A. 1697 p. 529 indicatum a nobis laudatumque meminimus: de secutis vero deinceps per temporum intervalla tomis aliis fatemur nondum nos dixisse, quod expectandum censeremus, donec opus universum esset absolutum. Interim non defuere, qui seu lacessiti a Gronovio, seu quibuscunque de causis aliis, justum sub examen tres saltem priores tomos vocarunt, id quod in Colloquio præsenti factum. Et quædam certe laudarunt in opere collocutores, v. g. quod Nymphæum in numo Goltziano

ziano Apolloniatorum ſcite detexerit; quod non Q. Curtium, ſed M. Curtium Romæ in voraginem profundam una cum equo ſe præcipitem dediſſe, contra Jo. Baptiſtam de Cevaleriis aſſeruerit; & quod denique ſubodoratus aliquo modo fuerit, non *Iolen*, uti clarisſimus Begerus, Leonh. Auguſtinum ſecutus, olim exiſtimarat, in gemma a nobis hic exhibita deſignari. Quod vero ſubolfecerat doctisſimus Gronovius, id plenius hic Begerus explanat, accuratiusque Ovidii introſpectis verbis, nunc pro candore ſuó dudum Orbi Erudito comprobato pronunciat, *Omphalen* in iſta gemma agnoſci debere. Sed plura ſunt, quæ in iſto opere virgula cenſoria notarunt. Jam enim, quod aliena & ad Antiquitates Græciæ non pertinentia, inter quæ & *ſacerdotem illum Germanum navigerum* referunt, admiſcuerit: jam quod res easdem ſine cauſa repetierit: jam quod ex quadratis rotunda, ex marmoribus clypeos effecerit, quodque in figuris ea avulſerit, quæ conjuncta unam conſtituant hiſtoriam, adeo ut ſeparata vel plane non, vel difficulter agnoſci posſint: jam quod de multis perperam ſtatuerit, & inprimis quamplurima nulla idonea ratione ductus aſſeruerit, quo referunt, quod *Agamemnonem* in numo Gortyniorum ex ſola litera A, & ex ſolis literis A. B. *Abarin Scytham* agnoſci poſſe crediderit: jam quod longe plurima omnino ad inſtitutum pertinentia exhibere neglexerit, exprobrant ipſi & objiciunt. Singula quidem omni conatu diluere Dulodorus h. e. L. Begerus nititur, ſed ita hoc evenit, ut poſtremo, quod ſuarum virium non fuerit, Gronovium ipſum ſua eruditione ſuppleturum confidat; quam quoque cauſam eſſe ait, cur totius colloquii ſummam ad Gronovium perſcribere in animum induxerit. Nos quæ in illuſtri opere carpuntur, uberius ordineque recenſere, cum prolixum id nimis foret, non poſſumus; nec volumus, ne quid affectibus dediſſe, aut objecta invidioſe repetiiſſe videamur: etſi profecto comparata ita ſunt, ut reſponſuro faceſſere negotium posſint, ſperemusque agniturum Gronovium, in Germania quoque emunctæ naris viros ſupereſſe. Speciminis autem loco pauca monimenta, in quibus explicandis doctisſimi Viri diſſentiunt, adducemus, judicio integro Lectoribus relicto. Et quidem ſtatim tangunt Colloquutores, quod pro Parcis habeat Gronovius, quas Bacchantes eſſe, in monimento hic quoque

TAB. I. Fig. 3. TAB. I. Fig. 6.

a no

a nobis expresso, inde constet, quia insano motu caput jactent, hinnulos dissecent, & partes in diversa auferant. Nec discedunt non ab eo, dum, quem ille Ursinum sequutus *Oeneum* Meleagri patrem putaverat, ipsi *Aenum*, suffragante numismate a Fabro commemorato, & consentientibus aliis duobus in Regio-Electorali Brandeburgico cimeliarchio ei quoad caput simillimis numismatibus, non OINOY, sed AINI inscriptis, constituunt. De *Danao* similiter rem comparatam esse. Quod enim ipse hic designetur, solo clypeo non confici, cum non Danaus, sed Lynceus ludos *Aegis ex Argo* dictos consecraverit, & quidem postquam Danaus periisset. Imo *Danaum* clypeum istum, uti veteres tradant, in juventute gessisse, cui proinde simulacrum barbatum non conveniat. Nec Argivos galeam, cui insidere Danaus fingatur, sed Lacedæmonios invenisse. Nec ferunt, quod in numo alio Peparethiων, quem n. 7 exhibemus, *Prætidem* se invenisse putat. Cum enim inauditum sit, Prœtides in vaccas fuisse commutatas, *Iö* vero a se compressam in vaccam, uti veteres referant, Jupiter mutaverit, id proinde rectius hic agnosci. Objicienti Gronovio, verosimile non esse, quod Jupiter placitissimam sibi puellam inter amplexus in bestiam mutaverit, respondent, esse id utique verosimile, cum & Hyginus dicat, Jovem id fecisse, ne Juno eam cognosceret, & Ovidius aperte testetur, mutatam Iö canens, cum adventum Junonis Jupiter præsensisset, adeoque cum ipse ea per tenebras frueretur. In eo porro a clarissimo Gronovio dissentiunt, quod asserant, simulacrum, quod & huc transtulimus, non *Famam*, sed *Musam* repræsentare, & Dulodorum proinde, qui ex ala capiti affixa collegerat, *Musam* esse, recte existimasse. Gronovius quidem pro *Fama* pugnat ideo, quod volare & loqui Famæ proprium sit. Enimvero aliud hi esse dicunt *volare & loqui*, aliud *verba alata invenire*. Hoc capite fieri, & Musarum ac Poetarum proprium esse, qui idcirco non abs ratione alas capiti suo apposuisse fingantur. Cæterum mirari se ajunt, cur nec ad testimonium Eustathii, quo Musas ex pennis Sirenum, funiculo collectis, coronas alatas sumsisse docemur, nec ad exemplum Titii Poetæ, qui alato capite & ipse in numis prostet, quicquam reposuerit. Tandem præterire non possumus quæ de *M. Curtio* in toreumate, quod hic repræsentamus, disputant. Gronovius

Fig. 5. Fig. 6. Fig. 7. Fig. 8. Fig. 9.

vius Marcum intelligit, qui anno V. C. CCCXCI Romæ in profundam voraginem se cum equo præcipitem egerit. At cum M. Curtius apud Valerium M. Lib. V, cap. VI, n. 2. dicatur, *equum vehementer admotis calcaribus, præcipitem in illud profundum egisse*, & in toreumate & equi & equitis trepidatio aperta sit, calcaria certe in toreumate desint, & herbæ ac cannæ sub equi pedibus non specum, qualis in foro Romano fuit, sed locum palustrem arguant, dubitant omnino, an ista interpretatio consistere possit. Majori potius jure hæc ad Metium Curtium, Sabinorum Principem, quadrare, de quo Livius referat: *Ex equo tum forte Mettius pugnabat: eo pelli facilius fuit: pulsum Romani persequuntur. Et alia Romana acies audacia regis accensa, fundit Sabinos. Mettius in paludem sese, strepitu sequentium trepidante equo conjecit: adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri. Et ille quidem, annuentibus ac vocantibus suis, favore multorum addito animo, evadit.*

ADRIANI RELANDI DISSERTATIO DE INscriptione Nummorum quorundam, ad spectatissimum virum JACOBUM de WILDE.

Amstelodami apud Franc. Halma, 1702. 8.
Plagulæ 4 cum 2 tabellis æneis.

IN elegantissimis studiis facile princeps est, quod rem nummariam variarum gentium ex antiquitate in lucem protrahit, & ad usum politioris doctrinæ accommodat. De Romanis Græcisque numismatis res clara, & innumeris speciminibus ab eruditissimis viris probata est. Orientalium nummorum explicatione felix est clarissimus Auctor, quatuor nummos Samaritanis literis signatos, doctissime hoc libello interpretatus. Hos vidit Amstelodami apud Jacobum de Wilde, virum æque cimelio numismatum rariorum, ac singulari peritia hujus rei ac doctrina instructum. Primus illorum est ceteris integrior, inscriptionis literas salvas omnes habens; secundus & tertius ejusdem argumenti & figuræ, ex primo sunt supplendi, & in integrum restituendi. Facie, quæ palmam fert, Judææ symbolum, legit, ut quadratis literis exprimamus, שנתא רכך
hoc

TAB. I. Fig. 10. 11. 12.

hoc est, *anno 224.* In æram hinc hoc numero expressam inquirit, cui inveniendæ præmittit, probari non posse, nummos Judæis cusos ante templum secundum fuisse, ex quo tempore plerique Hasmonæorum sint, qui genuini nummi circumferantur. In his æram non a conditu templi secundi, quæ brevissimo in usu fuerit, sed ab Alexandri Macedonis in Judæam adventu, seu ejus Regis anno sexto duci, quam מניין שטרות *æram contractuum* appellent: cujus etiam I. Maccab. II. 69 videtur mentio fieri, ubi Mattathias dicitur anno 146 mortuus, quem vero Judæi anno 140 decessisse tradiderunt. Quod ita Clarissimus Auctor noster conciliat, ut Maccabaico libro ab anno primo Regis Alexandri æra deducatur; in Judæorum chronicis ab adventu ejus in Palæstinam. Nec obstare ait huic Alexandrinæ æræ, quod I. Maccab. XIII, 41, 42, *anno 170 sublatum jugum* dicatur, & scribi cœptum *anno primo Simonis Pontificis & Strategi:* cui similis locus ex Talmude adjunctus est pag. 16. Sed ex eodem Maccabæorum libro cap. XIV, 27 respondetur, non exclusam tum æram vulgarem fuisse, sed novam Pontificis superadditam. Hanc expositionem per singulas literas ex antiquis alphabetis, ne quod dubium supersit, copiosius confirmat. Quibus ita positis, tres priores nummos sub Rege & Pontifice Jannæo, Aristobuli fratre, percusos esse, ex temporum rationibus evincit. Aversam faciem ita legit, לגאלת מיון *in memoriam liberationis a Græcis.* Nam & Syrorum regnum *Javan* dici, ex Seder Olam & ex Talmud probat, & aliquot locis LXX Interpretum, Esa. LXVI, 19, Ezech. XXVII, 13, Zach. IX, 13 illustrat. Pariter ductus singulos literarum examinat, ut certior fiat & hujus faciei interpretatio. Ut vero signum palmæ symbolum Palæstinæ est: ita calix partis aversæ ex Psalmo CXVI, 12 videtur signum gratiarum actionis, quia & Targum ibi *calicem liberationum* vertit. Quartum nummum ob erasas literas, antequam plenior ejusdem formæ inveniatur, non audet explicare. TAB. I. Fig. 13.
Quintum, quem Villalpandus, Kircherus, alii Samueli prophetæ tribuerunt, itidem noster Auctor ad Hasmonæorum tempora deducit, & potius שבתא *anno* legendum esse, ubi alii .. שמוא *Samuel* legerunt, ex ipso ductu literarum, cum explicatis nummis collato, demonstrat: etiam in altera facie, ut in superioribus, appa- Fig. 41.

 rere

TAB. I. Fig. 15. rere לגאלת מיון *in liberationem a Græcis.* Sextum nummum, quem *Ludolfianum* vocat, ex celeberrimi Cellarii Historia Samaritana habet, qui vero non nummum, sed inscriptiones seu titulos epistolarum, quas simul eodem schemate exhibet, a nobilissimo Ludolfo se accepisse dicit pag. 41. Ex hoc in suorum illustrationem Auctor שנת *anni* vocabulum observat: alterius faciei verba, quæ לחורות ירושלם *libertatis Hierosolymitanæ* legit, intacta nunc relinquit. Altera Tabula, a nobis omissa, exhibet nummos Punicos itidem ex thesauro Wildiano, ut convenientia literarum cum Samaritanis, præsertim ultimæ *Tau*, quæ crucis figuram habet, ut in nummis superioribus, eluceat. Tandem duos eruditos viros notat, Othonem Sperlingium & Fortunatum Scacchum: illum, quod de Judaicis nummis scripserit, oleum & operam perdere, qui eos explicandos suscipiant; quem putat suis jam explicatis abunde posse convinci: hunc, quod cusas monetas ex patriarcharum seculo deducat, abusus in id etiam Josephi lib. III cap. I, qui in Amalekitarum præda πολὺ ἐπίσημον, *multum signatæ pecuniæ* fuisse tradit: cujus vero nulla Exodi XVII, unde desumpta est historia, fit mentio.

PROBLEMA GEOMETRICUM DE GENERALI VIA inveniendi omnes Regulas Centrales BAKERI.

POst editam *Cartesii* Geometriam certatim Viri docti in ejus methodo perficienda desudarunt. Primo enim *Schootenius* Æquationes Cubicas solvere conatus est per Parabolam, etiam nondum ablato secundo Termino, cujus miræ industriæ in *Cartesiana* Geometria illustranda orbis eruditus plurimum debet. Cum eo sua studia conjunxit Vir magni ingenii *Huddenius*, certas Æquationes, scilicet quæ falsam radicem nullam continent, non obstante secundo Termino feliciter solvens per Sectionem Hyperbolicam. Denique *Bakerus* Anglus palmam aliis præripuisse creditus est, qui ingenio in omnes partes versato modum tandem eruit, quo ipsa etiam Parabola viam suppeditaret, solvendi quascunque Æquationes Cubicas vel Biquadratas, Ordinatis ad Axem secundarium applicatis. Hujus inventum magno cum applausu exceperunt Gy-

Gymnasia Mathematicorum, etsi non pauci conquesti sint, Demonstrationem inventi adeo præclari sibi nondum esse reclusam. Præclara hæc magnorum Virorum inventa, priorumque inventorum facilitationes dum non sine insigni voluptate sæpe numero mente evolvi, plerumque id desiderare solitus sum in nunquam satis laudandis seculi nostri luminibus, quod cæteris adeo nitide jam excultis, nullam haberent rationem *Ellipseos Conicæ*, quæ reliquis & delineatu facilior, & ipsi Circulo absque dubio propior agnosci debet. Ipse quidem meo Marte hanc conatus sum viam ingredi, atque non omnino infelici successu mihi clavem invenisse videor, qua multo plura liceat recludere, quam *Huddenio* per Sectionem Hyperbolicam. Id quod præcipue me animavit, ad Ellipsin quoque in ministerium solvendarum Æquationum transscribendam, hoc erat, quod viderem eadem Analogia per Ellipsin secundi generis (de qua legi potest *D. T.* in *Medicinæ Mentis*) ascendi posse ad altiores Æquationes, quippe quæ non minus expedite filo describitur, cum aliæ curvæ secundi generis, quas summus *Cartesius* in medium attulit, magis in conceptu quam in operatione satis accurate exhibeantur. Quæcunque autem a me in hanc rem in chartas conjecta sunt, premere malui ad tempus, etiamsi firma demonstratione nitantur, eo consilio, ut viderem an non prius a doctioribus forte idem expeditum ac publico accuratius traditum videam, quam arrogare possem meæ tenuitati. Sed ad *Bakeri clavem* ut redeam, patet ex ejus prolixa deductione, aliorumque qui hanc illustrare conati sunt, indiciis, quod Clarissimus *Auctor clavis* omnia a posteriore prolixis Demonstrationibus implicata tradiderit, unde in hoc quoque invento illustrando non parum operæ consumserunt Excellentissimi *Sturmius* & *Hallejus* Anglus. Meo vero judicio, quod integris hucusque libris conati sunt Viri magni, duobus foliis præstari potuisset, omnia ad eum calculum, quem paucis communicabo, revocando. Id quod suspicionem injicit, *Cartesio* quoque hanc viam ignotam non fuisse, qui tamen maluit eam revocare ad compendiosiorem methodum ejecto secundo Termino, quod facilius videtur, quam operationes admodum prolixæ in calculo *clavis Bakeri*. Facile enim est mihi demonstrare, quod ejecto secundo Termino ex Æquatione

ne

ne $x^4 - px^3 + qxx + rx + s$ revocando eam ad hanc formam $x^4 - pxx + qx + r$. Termini $\frac{1}{2}p$. & $\frac{1}{2}q$, quos sumere jubet *Cartesius*, ex priore forma $x^4 - px^3 + qxx + rx + s$ eosdem pene valores accipiant, quos suis Lineis Centralibus *Bakerus* in *Clave* attribuit.

Cæterum, posteaquam Dominus *Hallejus* in *Supplementis* horum *Actorum* viam communicavit *Clavem Bakeri* admodum expedite construendi, cujus Demonstrationem suppressam facile est ex calculo Parabolico supplere, jam demum viam *Bakeri* aptiorem esse, quam si Terminus secundus tollatur, lubens fateor dignamque censeo, quæ ad calculum brevissimum revocetur, quod sequenti modo fieri poterit.

Si Æquatio se offerat quomodocunque affecta, illa comparari debet cum una ex his duabus, quæ naturam Axis secundarii explicant, assumta distantia a vero Axe $\frac{1}{4}p$ uti vult *Bakerus*.

Æquatio prima, ubi occurrit $-p$.

$$x^4 - px^3 + \left.\begin{matrix} \frac{1}{4}pp \\ -2ab \\ +aa \end{matrix}\right\} xx \quad \begin{matrix} +abpx \\ \\ -2aadx \end{matrix} = 0.$$

Æquatio secunda, ubi est $+p$.

$$x^4 + px^3 \quad \left.\begin{matrix} +\frac{1}{4}pp \\ -2ab \\ -ab \end{matrix}\right\} xx \quad \begin{matrix} -abpx \\ \\ +2aadx \end{matrix} = 0.$$

Sit jam data Æquatio $x^4 - px^3 + aqxx - aarx = 0$

Ea convenire debet cum Æquatione prima propter $-p$.

Ergo Conferendo Tertios Terminos

$$\frac{1}{4}pp - 2ab + aa = aq,$$

$$\text{seu } \frac{\frac{1}{4}pp}{a} + a - q = 2b$$

$$\text{Id est } b = \frac{\frac{1}{8}pp}{a} + \frac{1}{2}a - \frac{1}{2}q.$$

prorsus ex mente *Bakeri*,

$$\text{Et } bp = \frac{\frac{1}{8}p^3}{a} + \frac{1}{2}ap - \frac{1}{2}pq.$$

Con

Conferendo Quartos Terminos

$+abp - 2aad = -aar$

$bp + ar = 2ad$

seu $\frac{\frac{1}{8}p^3}{a} + \frac{1}{2}ap - \frac{1}{2}pq + ar = 2ad$

substituto scilicet valore (bp)

Ergo $\frac{\frac{1}{16}p^3}{aa} + \frac{1}{4}p - \frac{\frac{1}{4}pq}{a} + \frac{1}{2}r = d$

iterum ex mente *Bakeri.*

Sit alia Æquatio $x^4 + px^3 - aqxx - aarx = 0$.
Hæc cum Æquatione secunda comparabitur, cum habeat $+p$.

Collatio Termini tertii

$\frac{1}{4}pp - 2ab + aa = -aq.$

seu $\frac{\frac{1}{4}pp}{a} + a + q = 2b.$

seu $\frac{\frac{1}{8}pp}{a} + \frac{1}{2}a + \frac{1}{2}q = b.$

uti & *Bakerus* exhibet.

Inde $bp = \frac{\frac{1}{8}p^3}{a} + \frac{1}{2}ap + \frac{1}{2}pq.$

Collatio Termini IV.

$-abp + 2aad = -aar$

$2aad + aar = abp$

$2ad + ar = bp.$

seu $2ad + ar = \frac{\frac{1}{8}p^3}{a} + \frac{1}{2}ap + \frac{1}{2}pq$

Ergo $d = \frac{\frac{1}{16}p^3}{aa} + \frac{\frac{1}{4}p}{a} + \frac{1}{4}pq - \frac{1}{2}r$

Si Terminus quispiam deficiat, ejus loco (0) scribendum, ut si fuerit $x^4 + px^3 * - aarx = 0$

Collatio Term. III.

$\frac{1}{4}pp - 2ab + aa = 0$

$\frac{1}{4}pp + aa = 2ab$

$\frac{\frac{1}{4}pp}{2a} + \frac{1}{2}a = b.$

T Idem

Idem vide in *Bakero*.

Ergo $bp = \frac{1}{8}p^3 + \frac{1}{2}pa$

Conferendo IV. Term.

$-abp + 2aad = -aar$

erit $-bp = -ar - 2ad$

seu $-\frac{\frac{1}{8}p^3}{a} - \frac{1}{2}pa = -ar - 2ad$

substituto (bp) ad Latus invento.

Ergo $r - \frac{\frac{1}{8}p^3}{a} - \frac{1}{2}p = -2d$

seu $-d = \frac{1}{2}r - \frac{\frac{1}{16}p^3}{a} - \frac{1}{4}p.$

Id est $d = \frac{\frac{1}{16}p^3}{aa} + \frac{1}{4}p - \frac{1}{2}r$

prorsus ad mentem *Bakeri*.

Atque hoc modo tractando omnes occurrentes Æquationes, non solum absque tabula *Bakeri* Regulæ Centrales in promptu erunt, sed etiam Demonstratio totius clavis habebitur clarior & brevior, quam unquam in lucem prodiit, dummodo quis duas fundamentales Æquationes ex natura Parabolæ norit deducere, quod ipsum si opus fuerit, decem Lineis facile a nobis effectum dari poterit.

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI DISQUIsitio Curiosa : An Mors Naturalis plerumque sit Substantia Verminosa?

Francofurti & Lipsiæ, apud Jo. Christoph. Stösseln, 1703, 8.

Constat plagul. $13\frac{1}{2}$.

HOc ζήτημα Clarissimus Author ante triginta duos jam annos Athanasio Kirchero amice inscripserat; quod etiamsi tum hujus cura in Italia typis fuerit impressum, nonnisi pauca tamen ejus exemplaria in Germaniam nostram pervenerunt. Quapropter hanc

hanc Dissertationem revisam, auctam & emendatam, multisque raris, selectis, & curiosis Dei, naturæ artisque magnalibus, mysteriis, & memorabilibus illustratam & confirmatam, amicorum monitis incitatus, denuo luci publicæ exponere, operæ pretium Author duxit. Prima equidem fundamenta assertionis ex *Kircheri Scrutinio Pestis*, & *Langii Animadversionibus ad Petri Johannis Fabri Pathologiam Spagyricam* se didicisse, non diffitetur; *Augusti* vero *Hauptmanni* libellum *de Viva Mortis Imagine* (quem Illustris *Wedelius in Pathologia Medico-Dogmatica sect. XI. cap. 5.* nec editum, nec perfectum autumat) nunquam se vidisse asserit Brevibus jam Clarissimi Authoris hypothesin enodabimus.

In prima creatione, ubi virtute Divina generationis & multiplicationis vim acceperunt pura & integra semina, omnes etiam res puræ, perfectæ & incorruptibiles erant. Post lapsum vero, amissa pristina elegantia, puris seminibus novæ & impuræ supervenerunt tincturæ, quæ illis in generationum principio obsequuntur quidem, donec sub fallaci servitutis schemate, oportuna tandem nocendi tempora captent: separatæ enim & exaltatæ genium indolemque suam produnt, morborum mortisque fabri. Cum igitur homo omnium rerum sublunarium ministerio utatur, universis nunquam non impuritatibus coinquinatur, & infinitas morborum mortisque species, quæ in colluvie arsenicali, sulphurea, salina, mercuriali, vitriolata &c. consistunt, imbibit, & pro diversis & contrariis, ex quibus constat, miscibilibus, (acido, puta, salso, amaro, dulci, insipido) diversimode læditur. Ne autem gratis talia adduxisse videatur Clarissimus Paullini, per vastum macrocosmum transcurrit, & totum mundum verminosum esse demonstrat, atque exemplis curiosis omnia elementa, omnia animalia, fructus, plantas, legumina, eorumque semina &c. vermibus scatere; omnem carnem, cibum & potum esse verminosum; omnem hominem a primo ortu suo vermes continere, ne sanguine quidem, in quo tamen anima, & semine ejus excepto, probat: & quemadmodum illos imprudenter agere dicit, qui omnes promiscue morbos a verminatione dependere putant, mortemque ipsam semper bestiolam aliquam esse autumant, ita omnes morbos abstrusiores & atrociores magisque contagiosos, & ab excellen-

ti putredine oriundos, ut pestem, variolas, febres malignas, dysenteriam, gangrænam &c. pro animatis, mortemque naturalem plerumque pro substantia verminosa habet. Nec spernendum sententiæ suæ robur accedere credit ex eo, quod justa Dei judicia, & gravissima ejus supplicia, potissimum per vermes fuerint exercita. Imo cum qualis causa, talis etiam esse soleat effectus, mortem substantiam vocare eo minus dubitat, quo certius ejus matrem, fontem & scaturiginem, peccatum originale, substantiam esse, Nicolai ab Amsdorff authoritate munitus credit; imprimis cum mors in Sacris Literis tanquam Ens reale nunquam non describatur: de quo Lectorum esto judicium.

Sed nec silentio præterire fas est παρέκβασιν, quam pag. 134. & sequent. interserit, dum Jobum & Jobabum, de quo Genes. XXXVI, 33. legitur, unum eundemque fuisse, ex locorum circumstantiis probat; Johannis de Pineda, qui Jobum, præter alios affectus, lue Venerea laborasse dixerat, sententiam confirmat, hancque luem antiquissimam esse demonstrat.

Ἡ ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ.

NOVUM TESTAMENTUM, AD PROBATISSIMOS codices studiose revisum, adjunctisque summariis, singula capita in partes suas accurate dividentibus, locis parallelis, quam unquam antea, locupletioribus, variis lectionibus præcipuis, & chartis denique geographicis, in concinnam hanc formam adornatum, vigiliis & industria JO. GEORGII PRITII, SS. Theologiæ Doctoris & Professoris Publici.

Lipsiæ sumtibus Jo. Friderici Gleditschii, 1703, in 12.
Constat alphabetis duobus dimidiatis chartæ augustæ.

Quo sacratior liber est, qui Novum Jesu Christi Testamentum inscribitur; utpote in quo salutis humanæ mysteria contineri, certissimi sumus: eo majorem curam adhiberi par erat, ut & quam emendatissime & quam nitidissime excusus, hominum manibus tractaretur. Nec defuerunt a renatis litteris, qui suscepto in se hoc negotio, bene de gente Christiana elegantissimis Novi

vi Fœderis editionibus mereri ſtuduerunt. Eccui enim noti non ſunt immenſi propemodum labores, quos viri æterna memoria dignisſimi, Deſiderius Eraſmus Roterodamus, Robertus & Henricus Stephani, Theodorus Beza, Joachimus Camerarius, Iſaacus Caſaubonus, Henricus Bœclerus, Stephanus Curcellæus, aliique circa Novi Teſtamenti editionem incomparabili ſtudio exantlarunt; ut illos nunc tranſeamus, qui diſſimulatis hoc egerunt nominibus. His vero, qui in hoc genere elaborandum ſibi eſſe cenſuerunt, accenſendus nunc venit *Jo. Georgius Pritius, Sanctæ Theologiæ Doctor, ejusdemque in illuſtri Ruthenco, quod Geræ floret, Profeſſor publicus, & ſacrorum apud Schlaizenſes in Variſcis Antiſtes celeberrimus*, haud ignotum in Actis his nomen. Nam ille, cum ſtudioſorum commodis præſertim vellet inſervire, ad novam Teſtamenti Novi editionem quam caſtigatiſſime concinnandam, jam pridem adjecit animum; cumque, quæ huc pertinent, ſibi circumſpexiſſet adjumenta, non cunctatus amplius, in eam formam, ut nunc prodit, eandem cum Republica communicat literaria. Ut autem, qualis ſit illa quam ſiſtit nobis editio, pateat luculentius, lubet, quantum ex præfatione, ubi fuſius de ratione inſtituti ſui diſſerit, tum ex inſpectione ipſius operis cognoſcere datur, eandem paulisper deſcribere. Elegantiſſimum typum eſſe, quo textus expreſſus eſt, vel ipſe docere nos poteſt adſpectus; ad optimos vero codices conlatum eſſe, ipſe Pritius indicat in præfatione, quam operi præmiſit; nec dubitandum eſt, quin clariſſimus Vir, Guilielmus Schuzius, Verbi Divini apud nos Miniſter, noſterque in his Eruditorum Actis colligendis adjutor, qui editioni invigilavit, id dederit operam, ut emendatiſſime excuderetur. Ad marginem loca idem ſonantia numero copioſiſſimo, quæ diuturno ſtudio conlecta a ſe eſſe, & aliis nunc addita refert Editor, ſunt adſcripta, ut nec unquam alias paribus opibus in publicum adparuiſſe Novum Teſtamentum, facile credi poſſit. Singulis capitibus ſummarium præfixum eſt, in quo totius capitis accurata continetur diſpoſitio; qua in re ſecutum ſe eſſe mentem Sebaſtiani Schmidii, Theologi apud Argentoratenſes ſummi, noluit ipſe nos ignorare. Cum enim accuratiſſimi illius interpretis commentationes in ſacræ Scripturæ libros magni utique pro ſuo merito habeantur, & ver-

versentur ubique in hominum manibus, convenientissimum fore ratus est, si mature juventuti ad easdem hoc pacto via commonstretur. Singulis paginis subjiciuntur lectiones variæ, non omnes quidem, quod nec opus ipsi visum est, quasque nec spatium recepisset; sed præcipuæ, & quæ momentum aliquod in interpretatione sacræ Scripturæ habituræ videbantur. Denique cum cognosceret, quantam Geographica notitia lucem adfundat scripta historias complectentia evolventibus, habuit curæ, ut non tantum Palæstina, quam Christus itineribus suis subinde permensus est; sed & regiones, quibus Paulus salutarem doctrinam peregrinationibus suis intulit, quaqua versum se extendentes, æri incisæ accurate repræsentarentur; quam ad rem exquisitam sibi præstitisse operam Virum, præter alia, in hac eruditionis parte, ut ex operibus ipsius decantatissimis, imprimis Geographia antiqua, jamdiu constat, scientissime versatum, Christophorum Cellarium, bonarum litterarum Doctorem in Academia vicina Halensi celeberrimum, gratus deprædicat. Ita ergo perfecta videtur & elaborata esse ista editio, ut accommodatissima sit, quæ cum singulari utilitate studiosorum teratur manibus. Constituerat etiam Vir maxime reverendus, præfationis in vicem, præmittere Introductionem in lectionem Novi Testamenti, in qua prosequeretur ea, quæ ad rem criticam, chronologicam, historicam, & ad interpretationem sacri codicis referri possunt, & quæ nosse, juvenum interest; sed cum hac ratione libri moles paullo magis excrevisset, quam ut ipse commode posset circumferri, placuit separatim eandem in lucem emittere; quod, ut illam jam absolutam habet, quantocyus pollicetur se esse facturum, & nos quoque non intermittemus, si prodierit, ejus quoque in Actis nostris facere mentionem.

HISTOIRE DE HOLLANDE, PAR M. DE LA NEUVILLE.

h. e.

HISTORIA BELGII FOEDERATI AB INDUCIIS A. 1609, in quibus definit Grotius, usque ad nostram ætatem deducta, per Dn. NEOVILLIUM. Tomi IV.

Pa-

Parisiis per Societatem Bibliopolarum, 1702, in 12. Alph. 2. Prostat Bruxellis apud Josiam de Grieck.

FActum est superioris belli Gallici motibus, atque impeditis ideo commerciis, ut libri hujus A. 1693 Parisiis formis perquam nitidis impressi, sicuti aliorum plurimorum librorum, copiam haud nancisceremur, ejusque adeo indicium dare nobis hactenus minime licuerit. Nunc autem, cum occasione exardescentis modo belli Galliam Hispaniamque inter, & Belgium Fœderatum, per typos Bruxellenses ille denuo recusus prostet, & sic ad manus nostras pervenerit, alios eum harum rerum satagentes amplius ignorare noluimus. In limine quidem operis perspicere est, Autorem ejus, natione licet Gallum, victum tamen tum amore Historiæ Belgicæ, quam præ cæteris cognitu maxime necessariam existimat, tum aliorum extraneorum, puta Campanæ, Stradæ, Querenghii, Bentivoglii, Conestaggii, Justinianique exemplo, qui initia tumultuum Belgicorum sollicite tradiderunt, tum denique impatientia, quod post octoginta fere annos nemo plane extiterit, qui telam a Grotio ad A. 1609 perductam continuasset, penso huic otium suum impendere tandem decrevisse. Præterea neque Batavorum intuitu exteris se accenseri patitur Autor, quandoquidem Reges Christianissimi nascentem eorum Rempublicam per centum annos (verendum oppido, ne nascendi tempus cum bona parte adultæ ætatis confundat Autor) in clientela habuerint, eandemque & copiis & pecunia semper adjuverint; fœdera insuper plurima, cum abolitione juris Albigenatus, inter duas nationes coaluerint; Historiaque rerum, quæ in Hollandia ab A. 1672, quo Gallorum societati renunciavit, acciderunt, partem fecerit Gallicæ, & Gallum tam prope nunc quam Belgam tangat. Ceterum non inficiatur, posse se variis indiciis pro homine extraneo, inque statu monarchico & gremio Ecclesiæ Romanæ educato haberi. Qua quidem in parte nihil frustra asseruit. Etiamsi enim magnam diligentiam in conquirendis Historiæ suæ adminiculis adhibuisse se ostendat, studiumque veritatis apprime cordi sibi fuisse simulet, multum tamen religioni ac patriæ suæ eum tribuisse, ex innumeris locis patet; sic ut aliis testibus fide dignis non concurrentibus, ejus dictis tuto ubivis vix inniti queas, nec suasores cuiquam

facile

facile simus, ut in rationibus politicis ab eo adductis plane acquiescat, siquidem Aulam Gallicam quoad maximam partem redolent. Exempli loco allegabimus tantum, quod veram Belgii utilitatem ex perpetuo cultu ac vigore amicitiæ Gallicæ metiendam statuat; id quod nemo cordatiorum in præsenti admittet. Historia ipsa, cui notitiam imperantium & officiorum in systemate Fœderati Belgii obviorum præmittit, initium capit, ut diximus, ab A. 1609, finitque in A. 1678. Complectitur vero sedecim libros in quatuor tomos seu totidem periodos distinctos, quarum prior ad excessum Mauritii, altera ad obitum Friderici Henrici Principum Nassoviorum, tertia ad Triplex Fœdus præludiaque belli Gallo-Belgici, quarta denique ad pacem Neomagensem usque vergit.

SIGISMUNDI AUGUSTI, POLONIARUM Regis, Epistolæ, Legationes & Responsa. STEPHANI BATORII, Pol. Regis, Epistolarum Decas, & Oratio ad Ordines Poloniæ. E Museo H. De HUYSSEN. Accesserunt opuscula duo alia, ad electionem Regis Sigismundi III spectantia. Omnia recensuit JO. BURCHARD MENCKENIUS.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium, 1703, 8.
Constat 2. Alphab.

QUo frequentiores quotannis prodeunt privatæ sortis Virorum eruditorum epistolæ, eo rarius Regum Principumque literas luci publicæ exponi contingit. Itaque haud dubie laudem meretur Vir clarissimus *Henricus de Huyssen*, quod comparatas in itinere Polonico Sigismundi Augusti, Poloniarum quondam Regis, epistolas una cum ejusdem legationibus, & responsis ab eo legatis aliorum Principum datis, publici juris fieri voluit, easque novum iter ingressurus amico suo nostroque collegæ *Jo. Burchardo Menckenio* ea lege, ut præmissa præfatione, additisque epistolarum argumentis rerumve indicibus, imprimi curaret. Quod is negotium eo alacrius suscepit, quo magis eum & rerum intra biennium licet gestarum (nam ad annum 1562 & sequentem omnia referri possunt) amplitudo ac varietas, & ipsa styli elegantia, quæ adeo etiam adolescen-

lescentibus Latinæ linguæ studiosis, præsertim iis, qui Aulæ inservire aliquando velint, in exemplum proponi non sine fructu possit, invitabant. Nos pauca ex multis delibabimus. Memoratu imprimis digna sunt, quæ de Johanne, Finlandiæ eo tempore Duce, postea Suecorum Rege, afferuntur. Patet enim ex his epistolis, eum a consilio fratris Erici XIV, Sueciæ Regis, de bello adversus Polonos in Livonia excitando, vehementer abhorruisse p 9, & de Suecis potius cum Polonis conciliandis laborasse p. 10. Quod eo magis verosimile est, quoniā eodem tempore & Johannes, & frater ejus Carolus Ostrogotiæ Dux, aliquam e binis Sigismundi Augusti sororibus petebant in matrimonium, p. 28. 29. Et quanquam Carolus, dubium qua de causa, consilium mutaverit, Johannes tamen in sententia perstitit, & præmissis ex pacto ad Regem pecuniis Gedanum appulit, p. 30. Quod ipsius Regis Sueciæ consensu factum esse videtur, quoniam & per idem tempus de pace inter Suecos Polonosque serio tractatum est p. 21, & ejus rogatu in Sueciam missam fuisse sororem suam, diserte scribit Sigismundus Augustus p. 497. Nihilominus adduci se a malevolis nonnullis Johannes patiebatur, ut Polono diffisus, repente Gedano discederet, unde tamen cum litteris humanissimis, tum legatione potissimum Regis, e fuga retractus p. 32, 35, iter postea in Poloniam instituit, & Cainam primum p. 88, ac postea Vilnam ad Regem pervenit, p. 89. Inde nuptias celebrat cum Catharina Regis sorore natu minore A. 1562 die 4 Octobris, ut patet ex oratione geniali p. 90 ff. inserta, qua Rex tutoriam potestatem deponit, tum adeo propensum esse suum in Ducem animum prædicat, ut in sorore illi collocanda, neque naturæ ac ætatis ordinem, (innupta enim adhuc soror major natu erat) neque majorum suorum morem in his rebus observatum, nimium, ut loquitur, superstitiose adversus Ducem urgere voluerit: tametsi hac in re antea plerisque tum Italiæ, tum Germaniæ Principibus sæpe postulantibus, adversissimum se præbuerit, p. 91. 92. Ea itaque affinitate confirmata, magnopere Rex dolebat, cum reducem in Suecia una cum uxore in carcerem a fratre Erico conjectum esse Ducem, anno sequenti fama ferret, eoque Daniæ Regem nuper solenni fœderis formula unitum p. 481, Duces item Prussiæ &

 Bruns-

Brunſuicenſem, nec non Marchiones Brandeburgenſes p. 497, ut liberari eum curarent, multis modis hortabatur. Præter hæc, quæ partim cum Rege Sueciæ de pace tractata, partim bello contra Suecos in Livonia geſta fuerint, tum quibus conditionibus fœdus cum Rege Daniæ Friderico II ſancitum, abunde ex farragine iſta epiſtolarum cognoſcitur. Imprimis autem Rex Poloniæ violatas ob captam Pernoviam induciarum leges p. 109, & vim ſuis ſubditis, nullis antea indictis inimicitiis, illatam graviter, miſſa A. 1662 ad Suecum legatione, querebatur, p. 115. Tametſi vero Pernoviam anxie revocaret, tamen a bello Suecico adeo alienus erat, ut nec arbitrorum judicium, ſi res componi poſſet, ſe recuſare affirmaret. *Pacis* enim, ait, *profecto & tranquillitatis publicæ tam ſtudioſi & eſſe & haberi volumus, quam qui maxime*, p. 118; cum quibus verbis conſentiunt, quæ p. 10. 13. 22. 348. 503. & paſſim leguntur. Ad res Livonicas ſpectat, quod A. 1563 Derptenſis, Harrienſis & Vicornienſis Epiſcopatuum nobiles a Polonis ad Suecos defecerint, quos Rex ad obſequium revocat, additis minis, p. 362. Obſidebant eodem anno Pernoviam Poloni, at relicta ea urbe, cum ad Lodenſem arcem exercitum Sueci adduxiſſent, eos magna clade affectos rejiciunt p. 468, cumque haud admitterentur a Revalienſibus fugitivi, Suecorum non paucos capiunt, p. 469; quo eodem tempore Veicrus, copiarum Germanicarum ductor, Suecis arcem Leal eripuit, p. 469. Neque minoris ſunt momenti, quæ de Chriſtophori, Coadjutoris Epiſcopatus Rigenſis & Ducis Megapolenſis, defectione & captivitate memorantur. Is enim, cum & alienati primum a Rege animi indicium præbuiſſet, quod nullos ad Comitia Polonica miſiſſet legatos p. 125, & arcem Venden crederetur oppugnaturus p. 127, ſemel iterumque nequicquam admonitus, mox ingrati ſui erga Regem animi (ejus enim commendatione Coadjutor factus fuerat) pœnas dedit, & a Duce Curlandiæ interceptus eſt, cum incautius verſaretur, p. 314. 321. Qua de re & legi merentur, quæ ad fratrem ejus Johannem Albertum Ducem Megapolenſem, ab ejus conſiliis alieniſſimum Epiſtola 174, & quæ Epiſtola 203 ad ipſum Chriſtophorum ſcribit, quem & ipſe ſolatur captivum, atque alibi p. 441 temeritate magis juve-

nili,

nili, quam malignitate consilia illa suscepisse credit. De fœdere Danico non attinet prolixe recensere, quæ in ipso volumine accurate descripta sunt. Nam quæ Polonicis legatis ad conventum Sundensem, in quo de eo fœdere deliberandum erat, ituris fuerint in mandatis data, p. 263, quæque ibidem ad capita viginti & unum a Danis proposita, sigillatim responsa p. 268, tum quæ porro Stetini A. 1563 die 21 Septembris & sequentibus inter utriusque Regis legatos tractata, p. 396, & qua denique ratione ibidem die 5 Octobris societatis leges perfectæ fuerint & obsignatæ, p. 523, iterumque Anclæ die 20 Decembris confirmatæ, p. 510 ss. habetur. Quantum vero Alberti Senioris, Ducis Prussiæ, consilia valuerint apud Regem Sigismundum Augustum, ex tot ejus ad Albertum litteris (nam triginta quinque hic comparent) abunde potest cognosci. Quandoquidem vix aliquid suscepit, quod alicujus momenti videretur, quin Ducis illius sententiam exploraret. Quæ etiam duravit amicitia, tametsi Rex jus suffragiorum in Comitiis Polonicis sibi vindicanti Duci constanter repugnaret, idque concedi posse negaret, nisi Dux pactis renuntiare, & se suosque, quoad bellorum, judiciorum ac tributorum rationem, de quibus rebus plerumque in Comitiis deliberari soleat, subjicere Polonis vellet, p. 176. Cumque pariter provocationes, quibus Ducis subditi ad tribunal Regium utebantur, tolli atque aboleri postularet, id fieri ob naturam feudi posse pernegabat, p. 177. De civitatibus quoque Prussiæ majoribus sæpius queritur, quæ a minorum civitatum in Regem studiis discedebant, & parciores Regi sumptus suppeditabant, unde factum, ut & hæ fierent remissiores p. 374, & Rex pecuniis destitutus, a bello, quod in Moscum apparabat, quodque propter attritas imprimis per Tartaros & afflictas ejus opes felix prævidebat & fortunatum futurum, abstinere, & inducias prorogare cogeretur, eoque ingentem caperet dolorem, magnoque ob ereptam sibi hanc belli gerendi commoditatem in mœrore versaretur, p. 365. Inter gravissima Reipublicæ negotia, Academiam quoque Cracoviensem curabat, in qua cum per id tempus scholares, ut vocantur, seu studiosi, nimis solutis moribus viverent, publico edicto jubebat, ut omnes non in civitate per hospitia di-

visi, sed in contuberniis & scholis collecti habitarent, in publicum autem decenti suo pristinoque habitu & vestitu induti, nullis armis tecti aut instructi prodirent, negotiaque sua urbana interdiu tractarent, noctu per urbem non vagarentur, p. 487. Quod si vero in ea licentia frenanda Rector, Doctores & Magistri segniores forent, addebat se Socratis exemplum imitatum, a præceptoribus ipsis pœnam in discipulos decretam exacturum, p. 489. Non referemus alia, quæ ad leges imprimis & consuetudines Polonorum spectant. Quantum vero ex his epistolis & legationibus ipsa quoque Historia nostra Germanica illustrari possit, vel ex eo intelligitur, quod Sigismundus Augustus, quemadmodum ipse affirmat p. 108. universam fere Germaniam affinitatibus & amicitiis haberet conjunctam. At vehementer nihilominus metuebat, ne Suecis milites Germani adducerentur; quare non solum Principes fœderatos, quos p. 329 & 349 sigillatim recenset, frequenter per literas & legatos admonebat, ne iis per ditiones suas transitum concederent, sed & Comitem Palatinum & Landgrafium p. 210, & imprimis Augustum Saxoniæ Electorem p. 211 & 349, sibi conciliare magnopere studebat. Cumque tot per Germaniam & paternis, ut loquitur p. 367, atque avitis necessitudinibus & recentibus etiam amicitiis atque clientelis abundaret, mirari se profitetur, quod de Erici Ducis Brunsuicensis consiliis atque conatibus a nemine, prætterquam a Duce Prussiæ, certior factus fuerit, & ne ipsi quidem Duci mature satis de his rebus significatum fuerit quicquam, cum tamen pariter necessitudinibus, amicitiis, clientelis universam prope Germaniam complexus videretur. Multa enim passim de hoc Erico deprehendas, qui cum suis sumtibus exercitum comparasset, eum frustra Sigismundo Augusto Regi, qui iis copiis opus se non habere in speciem asserebat, re vera autem a pecunia minus instructus erat, quæ ad alendum militem Germanũ satis esset, p. 279. 280. offerebat. Inde cum de infesto ejus in Regem animo orta esset suspicio p. 292, Rex ne exercitum propius ditionibus suis admoveret, hortabatur p. 351, & ut prohiberent eum transitu, ab ipsis quoque Pomeraniæ Ducibus, pro mutua necessitudine, & eo jure, quo sibi obstricti essent, postulabat p. 355; quem cum nihilominus ei permisissent, id contra pactorum leges

ges

ges factum p. 433 querebatur, iterumque p. 520 ne quidem causas ejus rei a Ducibus afferri, per legatos expostulabat. Interea & legatos Erico obviam mittit, qui eum, promissa duorum millium thalerorum pensione annua, a proposito revocarent p. 385, cumque ne tum quidem permoveri posset, ut se ab instituto itinere reciperet, eum opprimere omnino statuit, quod etiam Danaos dona ferentes timendos esse arbitraretur p. 404. Itaque cum Ericus, extorta a Gedanensibus pecunia mutua p. 440, & passim illatis Polonicæ ditionis hominibus damnis, propere e finibus recessisset, propemodum Rex ait pœnitere se, tam benignam adversus illum editam fuisse animi sui significationem p. 455, eoque de augendo ejus stipendio prius se statuere nihil posse, ad affinem ejus Prussiæ Ducem scribit, quam de damnis illatis cognitum fuisset, p. 465 & 483: quo loco addit quoque, se reprehendi a Senatoribus Poloniæ, quod eum qui se inscio atq; adeo nolente exercitum intra fines suos adduxisset, salario remunerandum censuerit. Præterea non paucæ hic exstant epistolæ ad Ferdinandum Imperatorem, & Johannem Sigismundum Principem Transylvaniæ & electum Hungariæ Regem, quos subinde ad concordiam adhortatur, eamque nuptiis imprimis stabilire nititur. Itaque Ferdinandum graviter hortatur p. 420, ut memor eorum, quæ nuper admodum huic Principi per commissarios promiserit, tum & pactorum veterum cum ejus parente Johanne Rege Hungariæ, intercedente ad omnia Carolo V, constitutorum, filiam suam Johanni Sigismundo despondeat. Quam cum aliis nuptiis destinari fama ferret, auctor est Johanni Sigismundo p. 424, ut Maximiliani Regis Romanorum filiam tanto majori studio ambiat, quod Solem orientem populi adorare dicantur potius, quam occidentem. Uti vero ad Romanum, ita ad Turcarum quoque Imperatorem non literas modo, sed & legationem solennem misit Sigismundus Augustus, quo magis, ut ex libro hoc apparet, amicitiam ejus inter tot alias molestias conservaret.

Cæterum cum Huyssenius noster, qui hæc omnia ex instructissima supellectile sua deprompsit, aliud quoque volumen epistolarum Stephani Batorii in manibus haberet, ex eo epistolas pri-

ores decem ad Stanislaum Carncovium, Episcopum Uladislaviensem, qui ad ejus electionem plurimum momenti attulit, missas, velut in speciminis locum hic adjecit, 535 ss. ceteras quoque doctissimi Regis hujus epistolas, si libellus hic emptores invenerit, publici aliquando juris facturus. Quæ cum nec rerum pondere, nec styli elegantia Sigismundi Augusti epistolis cedant, ne eruditis subtrahantur, magnopere optamus. Accessit huic epistolarum decadi ejusdem Regis oratio coram universo Senatu recitata p. 551 ss. quam integram ab harum rerum cupidis cum voluptate perlegi, quam paucis verbis recensere malumus. His anecdotis demum addita sunt p. 557 ss. quæ ad Sigismundi III, Sigismundi Augusti ex sorore Catharina nepotis, qui Stephano successit, electionem spectant, & pridem Cracoviæ, eodem quo scripta & hinc inde transmissa sunt, anno 1587, in forma, ut vocant, quarta prodiere, hoc titulo: *Ordinum Regni Poloniæ, nonnullorumque ejus Magistratuum, de Electione Sereniss. Principis Sigismundi III Regis, ad diversos Principes Christianos legationes, epistolæ, responsa.* In his ut Ordines, quorum pars maxima fuit Johannes Zamoyskius, Regni Poloniæ Cancellarius & Exercituum Præfectus, Sigismundi III: ita Maximilianus Archi-Dux, ejus æmulus, ab asseclis in Poloniam accitus, & haud procul Cracovia castra metatus, suum jus multis argumentis probat. Addidit ultimo loco p. 789 ss. Editor orationem, qua legati Suecici eundem Sigismundum Polonis commendarunt Regem, olim quidem, quanquam anno locoque nullo addito, seorsim impressam, dignamque quæ una cum reliqua hac farragine conservetur. Ita vero in cap. 693 depingitur Sigismundus: *Juvenis est ætatis florem ingrediens, natalibus splendidis, optime educatus, decora & virili facie avi materni Sigismundi effigiem referente, statura procerus, linguarum peritus, maxime idiomatis Polonici, quo exacte scribit & loquitur, litteratus, mansuetus, prudens, denique, quod maximum est, pius Catholicus, nec tamen ita, ut alios differentis religionis Christicolas aliquo odio aut insectatione prosequatur.* Tum inter cætera diserte promittunt legati, si Sigismundus eligatur Rex, Livoniam Polonis prorsus & omnino cessuram. Qua de re ne dubitare possint, Mater ejus fidem ipsa suam obstringere, vademque

que se interponere, & bona sua, quæ intra Poloniam & extra ad ipsam spectent, hoc nomine obligare dicitur.

A COMPLEAT COURSE OF CHYMISTRY &c.

i. e.

INTEGER CHYMIÆ CURSUS, CONTINENS trecentas circiter Operationes, quarum nonnullæ antea nondum fuere descriptæ, iconibus fornacum, characterumque ac instrumentorum chymicorum adjectis. Auctore GEORGIO WILSON, Chymico.

Londini apud Walterum Kettilby, & Auctorem, 1699. in 8. Alph. 1.

QUæ hic sistitur Chymia Auctorem agnoscit Virum in arte chymica exercitatissimum, utpote cui quadraginta fere annos assiduam sedulamque locavit operam. Quare in senili ætate constitutus, publico amplius invidere noluit, quæ crebriora tentamina ipsum edocuerant. Placuit autem Viro integerrimo totam Chymiam in tres præcipuas dispescere partes, quarum prima de metallis & mineralibus, altera de vegetabilibus, ac postrema de animalibus insectisque agit. Et ne quid omisisse videatur, primo domum chymicam, laboratorium vulgo dictum, secundo instrumenta & vasa, tertio furnos, quarto luta, quinto ignis gradus, sexto operationes chymicas, septimoque characteres usu receptos describit, ac pleraque iconibus illustrat. Postea transitum ad operandi modum faciens, concinnam corporum naturalium historiam, ad divisionis supra commemoratæ ductum præmittit, methodumque ex iis præparandi medicamina subtexit, ac dosin non minus, quam virtutes eorundem breviter designat, postremo notas seu encheireses, scitu pernecessarias atque jucundas, subnectens. Quia vero, vel ipso Auctore fatente, plures vulgares medicamentorum compositiones traduntur, non est, cur iis recensendis immoremur, sed sufficiat, speciminis loco quasdam ex optimis ac ubique haud obviis hic proposuisse. Agmen proinde ducat aurum quoddam potabile. Cum enim aurum omnium metallorum sit perfectissimum,

mum, permulti eo intenderunt nervos, ut ex eo veram conficerent panaceam. Ut ut vero Noster modum haut doceat, universale quoddam ex auro eliciendi remedium, auri tamen cujusdam potabilis, singularis propemodum virtutis, tradit descriptionem, quamque hic inseri non ingratum Lectori fore autumamus.

p. 12. Aurum potabile.

℞. auri per antimonium purificati ℥iv, solve in spiritus nitri bezoart. ℔j, destilla arenæ calore spiritum, eundemque rursus affunde, solveque ac abstrahe, similiter procedendo tertia, quarta, quinta, sexta, septima, atque octava vice, hoc solum servato ordine, ut tertiæ, quartæ & quintæ cohobationi non minus, quam sextæ ac reliquis novum destines spiritum.

Hæc vero dum peraguntur, interea temporis oleum cretæ sequenti methodo para.

℞ cretæ pulverisatæ, & ignis beneficio exsiccatæ ℔ß, inde in cucurbitam, ac ipsi spiritus nitri ℔ß pedetentim affunde, solutam materiam filtra, filtratamque ex retorta in arena destilla. Hunc laborem duabus adhuc vicibus repete, semper phlegma abstractum ac pene insipidum materiæ relictæ & exsiccatæ affundendo, quam postmodum cum æquali calcis auri portione in mortario lapideo pistilli vitrei ministerio misce ac contere.

Hoc facto misturam hancce in duas æquales partes divide, unam cum duplici nitri portione miscendo, & alteram cum triplici salis ammoniaci bis sublimati, & æquali reguli martis stellati portione, exacte terendo. Qualibet vero parte probe triturata, hacque in retortam fornaci arenæ commissam indita, eam per horas octo graduali expone igni, postremis duabus horis ad extremum usque ignis gradum ascendendo: sic fiet, ut sal ammon. sulphure aurato insigniter imprægnatum, & sanguinis ad instar rutilans, collum retortæ conscendat. Alteram mixturam, ex nitro & calce auri constantem, in crucibulum candefactum cochleatim sensimque immitte, & tres horas vehementissimo igni expone, postea massæ nondum refrigeratæ, & in puro, calidoque ac ferreo mortario in pulverem comminutæ, Spir. vini tartarisatum ad eminentiam quatuor digitorum affunde, leniorique calori 24. horas committe, & tunc spiritum vini probe tinctū decanta, aliumque secunda æque ac tertia vice affunde, digere & aufer.

Ex

Ex sublimato sale ammoniaco spiritus vini ministerio, modo jam commemorato, pariter tincturam confice, & quamlibet seorsim cucurbitæ infunde, quo sic ex ea spiritum vini ad remanentiam ℥ıx abstrahere queas, atque sic obtinebis tincturas, profunde coloratas, viribusque egregiis pollentes, quas vel seorsim, vel inter se mixtas in usum trahere poteris.

Tincturæ hæ, lenem excitantes diaphoresin, non modo cor insigniter corroborare, sed & cachexiæ, consumtioni, omnis generis febribus atque morbis, a mercurio obortis, egregie conducere dicuntur. Earum dosis est a gt. v. ad xxx.*

Nec minorem laudem promerentur pilulæ Dn. Starkey. Quantumvis vero is ipsemet earundem nobis reliquerit descriptionem, ea tamen adeo est obscura, ut vix ab ullo intellectu comprehendi queat. Nihilo tamen secius cum easdem, ad quosvis pene affectus appositas, miris extollat præconiis, diversi admodum eas conficiendi fuere excogitati modi, ut ut falsi plerumque ac erronei. Quorsum pariter pertinet, Nostro monente, Sartoris cujusdam Londinensis spuria harum philularum compositio, qua tamen is haut exiguam pecuniæ copiam sibi acquisivisse dicitur. Veriorem descriptionem, sibique olim a Dn. Starkey communicatam, profert Noster, quamque huc transcribere, e re maxime futurum arbitramur.

Sapo tartari. p. 234.

℞ tartar. vin. Rhenan. vel cremor. tartar. ana ℔j, misceantur exacte, & per vices in crucibulum ignitum ingerantur, materiam in igne tam diu detinendo, usque dum probe fuerit fusa, hanc postea in terreum quoddam effunde vas, aquæ calidæ quantitatem, solutioni necessariam, addendo, solutam materiam filtra, & ad salis consistentiam evapora, hujus pulverem subtilissimum in vitrum latioris orificii immitte, & liberiori aeri viginti circiter horas expone, deinde cuilibet salis libræ affunde olei terebinthin. rectif. ℥iv, omniaque invicem mixta ad digestionem repone, quotidie tribus vicibus massam spatula exagitando, quem laborem continua tamdiu, donec oleum terebinthinæ sali intime sociatum, & materia syrupi consistentiam fuerit indepta.

Sapo hicce insigne diureticum præbet remedium, alvumque leniter subducit, inde calculi renum & vesicæ symptomata haud parum levare perhibetur.

Alias corrector vegetabilium audit, primariam pilularum Dn. Starkey constituens basin, quippe cujus ministerio opii virulentia emendatur egregie atque corrigitur. dos. a ℈j. ad ʒj.

pag. 271. Pilulæ Dn. Starkey.

℞. extr. opii ℥iv, nuc. moschat. bezoard. miner. ana ℥ij croc. opt. rd. serpentar. ana ℥j, cunctis probe contritis ac inter se mixtis adde corrector. ℔ß olei sassafr. ℥ß tinctur. antimon. ℥ij. omniaque optime ac intime in mortario misce, servaque usui. Medicamen hocce, sudoris excretionem juvans, omnis generis reserat obstructiones, ac dolores insigniter lenit, quare eo præstantius antispasmodicum haut dari, non pauci recte existimant. dos. a gr. ij ad gr. v. vel vj.

Sequitur tandem spiritus quidam cephalicus, ante triginta fere annos ab Auctore inventus, & a populo Londinensi, qui eo maximopere delectatur, liquid snuff i. e. errhinon liquidum nuncupatur, cujus descriptio hæc est.

p. 218. ℞ olei essent. caryoph. cinamom. nuc. moschat. ana ʒß majoran. lavendul. rorismar. ana ℈ij. cort. aurant. citr. ana ℈iß pulv. benz. ℥j. Cunctis probe inter se mixtis affunde sp. vin. tartarisat. mensur. iij. totidemque ex cucurbita igne leniori denuo abstrahe, adde postmodum mari syriaci, lil. convall. ana ℥j. sal. volatil. oleos. ℥ij. essent. ambr. ʒiß. omniaque tres quatuorve dies ad digestionem repone, & obtinebis spiritum, cephalalgiam extemplo lenientem, dummodo aliquot guttulæ naribus excipiantur, temporaque eodem fricentur. Nec inepte is interne a gr. X ad gr. XXX præscribitur, utpote qui pectoris cumprimis affectibus haut parum conducere fertur.

Cæterum mirabilis quoque cujusdam tincturæ antirhevmaticæ, ex sale animalium volatili, sulphure metallorum anodyno,
p. 217. & 309. & sale vegetabilium fixo compositæ, mentio subinde injicitur. Cum vero ea paulo obscurius describatur, curiosum Lectorem ad
p. 128. Auctoris relegamus libellum, in quo præterea sp. vitriol. diapho-
p. 306. reticum, spir. corn. cerv. aromat. aliaque curiosa inveniet.

NOVA LITERARIA.

JActuram insignem non Illustris solum Academia Ultrajectina, sed & Orbis Literatus universus, per obitum celeberrimi Viri, *Joannis Georgii Grævii*, Politices, Historiarum ac Eloquentiæ Professoris Publici, passus est. Quotus quisque enim eorum, quibus aliquis elegantioris doctrinæ sensus est, Viri summi in rem litterariam merita ignorat? quæ sunt profecto majora, quam ut digne deprædicari a quoquam possint. Sed id in eo inusitatum prope & admirandum fuisse norunt, quibus familiarius paulo uti eo licuit, quod cum summa eruditione miram morum suavitatem animique candorem toto vitæ decursu conjunctum servaverit, Polyhistor, Politicus, Orator, Criticus sine exemplo, sed omnis fastus, rixandique libidinis expers, & Pedantismi, quod vitium tam multis optimarum licet literarum studia professis obrepere solet, per ingenuam liberalemque indolem ne capax quidem. Lucem primum, ut pauca ex oratione panegyrica, qua Præceptoris & velut alterius Parentis sui memoriam Vir Clarissimus Petrus Burmannus prosecutus est, delibemus, adspexit Numburgi in Saxonia nostra, cui tantum virum Orbi Literato progenuisse gloriæ utique ducendum, die 29 Januarii, anno 1632, parentibus honestissimis. Græcis Latinisque literis in Gymnasio nostro Portensi hodieque florentissimo imbutus, Academiam hanc Lipsiensem incoluit, Andreæ Rivini & Joannis Strauchii præcipue, Professorum eo tempore doctissimorum informatione usus. Inde in Belgium abiit, cumque Daventriæ Virum celeberrimum Jo. Fridericum Gronovium salutasset, ita hujus eruditione summa ac humanitate captus est, ut ei per biennium auditor & discipulus diligentissimus adhæserit; cujus etiam dexterrimæ manuductioni plurimum se debere, nunquam non data occasione professus est. Cum uberiora doctrinæ incrementa post in Amstelodamensi Lyceo, Alexandro Moro & Davide Blondello doctoribus, cepisset, jam anno 1656, cum ætatis annum vigesimum quartum ageret, a Serenissimo Electore Brandeburgico in Duisburgensi Academia Professoris munere ornari meruit, quo per biennium summa cum laude administrato, A. 1658 in Joannis Friderici Gronovii, Lugdunum Batavorum evo-

cati, locum in Daventriensi Gymnasio suffectus est, spartamque & illic ita ornavit, ut celebritatem jam nominis haud vulgarem consecutus, A. 1661 Ultrajectum, ab Illustrissimis provinciæ Ordinibus, ad Civilem Prudentiam docendam vocaretur. In qua urbe ab eo tempore fixam constantemque sedem posuit, seu amœnitate loci, seu incolarum humanitate, seu patronorum applausu adeo inescatus, ut ab ea divelli se passus non fuerit, tametsi & Amstelodamum, & Lugdunum Batavorum, Patavium etiam in Octavii Ferrarii locum a Republica Veneta, ab aliis aliorsum, propositis lautissimis conditionibus invitaretur. Ita factum, ut Ultrajecti ultra quadraginta & unum annos mandato munere, cui Historiarum quoque & Eloquentiæ professio accesserat, functus fuerit ex dignitate Academiæ, nec sine civitatis ob confluxum studiosorum juvenum & inter eos Principum quoque ac summo loco natorum, quos Grævii inprimis fama acciverat, insigni emolumento: donec tandem die XI Januarii præsentis anni subitanea morte tantum lumen exstingueretur. Cum enim matutinas aliquot ejusdem diei horas in Serenissimo Principe Nassoviæ Frisone & Illustrissimis Comitibus Isenburgicis instituendis collocasset, indeque apud amicissimum Burmannum pransurus domo exiisset, inque via in ædes forte Cl. Pontani invitatus divertisset, apoplexia correptus, post pauca verba, sed fidei & fiduciæ in Christum Servatorem plena, antea edita expiravit. Quid nunc de Historia Wilhelmi III Magnæ Britanniæ Regis, quam componendam Grævius ipsius Regis clementissima voluntate susceperat, futurum sit, dies docebit. Epistolas vero ab eo ad doctissimos per Europam viros conscriptas, & ab iisdem receptas, quæ ad augmentum Historiæ Literariæ plurimum conferent, publicatum aliquando iri, nulli dubitamus. Interim mortem Viri optimi ita lugemus, ut fratrem ipsi eruditione & moribus simillimum, *Godfriedum Grævium*, Reipublicæ nostræ oppidanæ Syndicum ac columen, quam diutissime superstitem exoptemus.

In vicina Illustri Academia Jenensi itidem nuper mortem cum vita commutavit Theologus gravissimus & de Ecclesia orthodoxa meritissimus, *Friedemannus Bechmannus*, Vir doctrina

æque

æque ac mansuetudine animi inclytus, S. Theologiæ Doctor ac Professor primarius, totiusque Senatus Academici Senior. Is natalem habuit diem Julii vigesimum sextum anni 1628, in ditionis Arnstadio-Schwartzburgensis pago Ellobio, in quo Pastoris Ecclesiæ munere pater fungebatur. Postquam in Gymnasio Gothano primum, inde Jenensi Academia studiorum cursum feliciter absolvisset, A. 1656 Logicæ ac Methaphysicæ Professionem publicam nactus est, quam ita ornavit, ut post Joannis Ernesti Gerhardi, Theologi doctissimi & placidissimi obitum, A. 1668 S. Theologiæ Professioni admoveretur. Ex quo tempore erudiendæ Studiosæ Theologiæ Juventuti operam navavit strenuam ac indefessam, scriptis etiam, inter quæ Notæ in Leonhardi Hutteri Compendium Theologiæ, & Theologia Polemica ac Moralis celebrantur, in lucem publicam editis. Senectute confectus, cum annum ætatis septuagesimum quintum ageret, die 13 Martii anni præsentis, ex hac vita ad meliorem decessit.

Bremensis quoque Respublica Doctores Theologos insignes duos amisit, longiore vita dignissimos, *Hieronymum Gulielmum Snabelium*, & *Gerhardum Meierum*, utrumque civem suum. Ex his *Snabelius* die 29 Aug. A. 1656, patre Wilhelmo Snabelio, Ecclesiæ Martinianæ Pastore primario natus est. In Pædagogeo patrio, illustrique Gymnasio, bonas literas ac Philosophiam Theologiamque sic satis edoctus, ut uberiores caperet studiorum profectus, A. 1671 in Academiam Ultrajectinam concessit, in Hebraicis Joanne Leusdenio, in Theologicis Francisco Burmanno, in elegantiori literatura Joanne Georgio Grævio, magistris usus. Inde cum Amstelodami ductu Joannis de Raei, in adyta Philosophiæ Cartesianæ penetrasset, Lugduni Batavorum Christophori Wittichii præcipue institutione ac familiari consortio gavisus est. Ita studiis abunde exculto prima functio A. 1679 obtigit, cum Fœderati Belgii Ordinum ad Regem Christianissimum Legatis, Dyckveldio & Boreelio, Orator sacer adjungeretur: quo ipso nata ei occasio fuit, doctissimis in Gallia, post &, cum illuc trajecisset, in Anglia viris innotescendi. Redux in Hollandiam, in Heemstediensi prope Harlemum pago primum verbi Divini ministerium A. 1681 subiit: inde Daventriam A. 1686

vocatus, eodem illic ſacro munere per annos duodecim functus eſt, donec A. 1699 Bremæ & in Eccleſia Ansgariana Paſtoris, & in Gymnaſio S. Theologiæ Profeſſoris officium ſuſcepit, ac dexterrime quidem, ſed non longo tempore adminiſtravit, die 24 Novembris anni ſuperioris, ex hydropiſi & concomitantibus eam ſymptomatibus aliis, in ipſo ætatis flore, cujus annum quadrageſimum ſextum agebat, exſtinctus. *Meierus* vero in lucem A. 1646 die 3. Dec. editus, parentem habuit Gerhardum Meierum, S. Theologiæ in illuſtri & hodieque florentiſſimo Gymnaſio Profeſſorem, ejusdemque Rectorem, octogeſimo demum ætatis anno defunctum. In Pædagogeo ac Gymnaſio patrio eruditione haud vulgari comparata, Rinthelenſem Academiam incoluit, Gerhardi Molani inprimis, qui S. Theologiam ibidem illo tempore maximo cum applauſu publice docebat, & nunc Reverendiſſimi Abbatis Loccummenſis axiomate celebratur, informatione uſus. Cum generoſiſſimis inde Juvenibus, quibus ephorus & ſtudiorum moderator præfectus erat, in Tubingenſi Academia triennium integrum exegit, poſteaque Lugduni Batavorum Juris quidem Civilis ſtudium, quod Tubingæ ſub Lauterbachio cœperat, Bœckelmanno ductore proſecutus eſt, Theologiam tamen præcipue ſub Heidano, Spanhemio, Wittichio ita excoluit, ut ejusdem Doctor A. 1674 renunciari meruerit. Peragravit exin cum commiſſis curæ ſuæ juvenibus Angliam, Italiam, Galliam, demumque in patriam reverſus, ab A. 1676 ad A. 1683 Matheſeos Profeſſionem in Illuſtri Gymnaſio cum applauſu ſuſtinuit, Eccleſiæ deinceps Stephanianæ Paſtor primarius conſtitutus. Deceſſit cacochymia ſcorbutica, febri continua aliisque malis fractus, nocte diem trigeſimum primum præſentis anni prægreſſa, quinquageſimo ſeptimo ætatis anno. Abſolveritne, in quo multis annis elaboraverat, Lexicon Onomaſticum, ſeu Gloſſarium Linguæ Saxonicæ, a multis hactenus deſideratum, affirmare certo non poſſumus, etſi de eo non deſperandum in programmate ad funus ſolenniter ducendum invitatorio, Rector & Profeſſores Illuſtris Scholæ Bremenſis innuerint.

Lutetiæ Pariſiorum Gloſſarii Mediæ & Infimæ Latinitatis Caroli du Fresne Domini du Cange nova præparatur editio, eaque

eaque multo, quam priores, auctior futura ac emendatior. Nam & integrum illi suis locis inseretur Macri Hierolexicon, & ex defuncti Auctoris Illustrissimi schedis augmentum haud exiguum accedet, & a viris doctis aliis observationes supplendo, ornandoque & emendando utilissimo operi haud dubie suppeditabuntur, cum programmate publico Bibliopola Carolus Osmund, cujus sumptu nova hæc editio proditura est, omnes ad symbolam conferendam & ad se mature transmittendam invitaverit.

In Gallia novæ ex Casibus quibusdam Conscientiæ, a quadraginta Doctoribus Sorbonæ approbatis, turbæ non ita pridem natæ sunt gravissimæ. Cum enim Casus isti favere quodammodo Jansenismo visæ essent, illico sic exarserunt Jansenistarum adversarii, &, ut apparet, Jesuitæ cumprimis, ut jam haud pauci libelli adversus quadraginta illos Doctores in lucem prodierint, & ex iis Vir celeberrimus, Ludovicus Ellies Du Pin, cujus multoties mentionem in his Actis injecimus, in exilium actus fuerit. De qua re, ut & de versione Gallica Novi Testamenti, a Richardo Simone composita, sed ab Archiepiscopo Parisiensi aliisque condemnata, plura forte alibi dicturi sumus.

LIBRI NOVI.

Appendix Augustiniana, in qua sunt S. Prosperi Carmen de Ingratis; Joannis Garnerii Dissertationes, pertinentes ad Historiam Pelagianam; Pelagii Britanni Commentarii in Epistolas S. Pauli &c. Antwerpiæ sumptibus Societatis, 1703. fol.

D. Caroli Antonii de Luca Animadversiones seu Antilogiæ in Stephani Gratiani Disceptationes Forenses. Genevæ, apud Chouet, G. de Tournes &c. 1703. fol.

Joannis Dolæi Opera omnia. Francofurti ad Mœnum, apud Frid. Knochium, 1703. fol.

Christiani Hugenii Opuscula posthuma, quæ continent Dioptricam, Commentarios de vitris figurandis, Dissertationem de Corona & Parheliis, Tractatum de Motu & de Vi centrifuga, Descriptionem Automati Planetarii. Lugd. Bat. apud Corn. Boutesteyn, 1703. 4.

Caspari Commelin Præludia Botanica adpublicas Plantarum demonstrationes. Lugd. Bat. apud Frid. Haring. 1703. 4.

Georgii Baglivi Specimen quatuor librorum de Fibra Motrice & Morbosa. Ultrajecti apud Guilh. van de Water, 1703. 8.

Emanuelis König Regnum Minerale generale & speciale. Basileæ apud Emanuelem König, 1703. 4.

De Vita & Rebus gestis Christophori Bernardi, Episcopi & Principis Monasteriensis, Decadis a Joanne ab Alpen, Consiliario ejus Intimiore, Vicario generali & Sigillifero conscripta, Pars I. Coesfeldiæ, typis A. H. Wemmeieri, 1694. Pars II. Monasterii Westphaliæ, typis Raesfeldicis 1703. 8.

Observationes in Samuelis L. B. de Pufendorff de Officio Hominis & Civis Libros duos, Autore D. Gotlieb Gerhardo Titio. Lipsiæ apud Hæredes Lanckischii, 1703. 8.

L. Annæi Flori Epitome Rerum Romanarum ex recensione Jo. Georgii Grævii, cum Ejusdem Annotationibus longe auctioribus. Amstel. apud G. Gallet, 1703. 8.

Ulrici Huberi Institutiones Historiæ Civilis. Editio nova multis locis aucta & emendata. Franequeræ, apud Wibium Bleck, 1703. 4.

Nicolai Gurtleri Historia Templariorum. Editio secunda priore multum auctior. Amstel. apud Franc. van de Plaat, 1703. 8.

Jo. Joachimi Beccheri Physica Subterranea. Accessit Specimen Becherianum Georgii Ernesti Sthalii D. Prof. Publ. Halensis. Lipsiæ apud J. L. Gleditschium, 1703. 8.

C. Pedonis Albinovani Elegiæ tres & Fragmenta, cum notis Jos. Scaligeri, Frid. Lindenbruchii, Nic. Heinsii, Theod. Goralli & aliorum. Amstel. apud Henr. Schelte, 1703. 8.

P. Cornelii Severi Ætna & quæ supersunt Fragmenta, cum notis Jos. Scaligeri, Frid. Lindenbruchii & Theod. Goralli. Amstel. apud eundem, 1703. 12.

Essais de Litterature pour la Connoissance de Livres. Tome premier. Mois de Juillet & d'Août 1702. A la Haye chez Louis & Henry van Dole, 1703. 12.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno M DCCIII.

COSMOLOGIA SACRA: OR A DISCOURSE OF THE Univerſe, as it is the Creature & Kingdom of God &c.

h. e.

COSMOLOGIA S. SIVE DISSERTATIO DE UNIverſo, ut creatura eſt & Regnum Dei ſpectato, maxime ad demonſtrandam veritatem & excellentiam Scripturæ, ut quæ Leges regni Dei in Mundo hoc inferiori contineat. Conſignata a NEHEMIA GREW, Societatis Regiæ & Collegii Medici Collega.

Londini apud Jo. Rogers, S. Smith & B. Walford, 1701. fol. Alph. 4. plag. 9.

OCcaſionem Viro aliis ſcriptis, quorum præcipua in Actis A. 1682. p. 1.33.57,& A.1684.p.72.recenſuimus, celeberrimo,de iſto argumento commentandi Spinoſæ ſcripta dederunt, ita hodie Anglorum manibus trita, ut ipſæ etiam operæ & fæx infima plebis ſceleribꝰ ſuis in iis quærat præſidium.Ipſe itaque ſummam, quam ſibi acquiſivit, rerum naturaliũ cognitionem, rectius quam in tuenda Autoris naturæ atque oraculorum ejus auctoritate, collocari non poſſe exiſtimans, ſubciſivis horis opus iſtud perfecit, Mornæi, Grotii aliorumque magnorum Virorum exemplis excitatus, qui licet Eccleſiæ non defungerentur officiis, religioni tamen ingenii lumine ſuppetias ferre, & ſtolidorum hominum deliria, quæ pro ratione venditant, ex ſanæ rationis principiis convellere annisi fuerunt.

Auſpicia operi ab ipſo Deo acceſſit. Cujus exiſtentiam probat C. I.

probat ex eo, quod ab æterno purum nihilum concipere non liceat, cum nullo primo ente vel nulla causa existente, nihil omnino produci, nihilque adeo existere unquam potuerit. Primam itaque & a seipsa existentem causam esse concludit, cujus perfectionem summam esse, ex ipsa perfecta & necessaria existentia ejus colligit, & per hanc durationem infinitam ei tribuit ut enti æterno, & quod nullam causam habeat, in quod tempus proinde etiam cadere nequeat, quippe quod partes habeat, cum duratio æterna unum sit & perpetuum νῦν. Ex durationis vero infinitate immensitatem infert, & potentiæ, sapientiæ ac bonitatis infinitatem, cum omnes possibiles infinitates æque concipi possint, Deusque ob necessariam & perfectam existentiam suam sit illud omne, quod esse potest. Hinc spiritum Deum esse deducit, cum infinita & immensa essentia cum corporea mole atque extensione consistere nequeat. Simili ratione ex eo, quod a se ipso est Deus, quodque immensus est, omnipotentem quoque illum esse probat. Qui enim habet in se existentiæ potentiam, ille omnis existentiæ possibilis habet potentiam, cum nulla existentia possibilis, nullus perfectionis status ita superet alterum, ut aliquid nihilum superat. Habere vero omnis existentiæ potentiam, idem est ac posse omnis entis esse causam, quod idem est ac esse omnipotentem. Porro qui ut immensus infinitæ essentiæ habet potentiam, omnis finitæ quoque essentiæ potentiam habeat necesse est; quid vero hoc est, nisi omnipotentia? Sic quoque ex immensitate omniscientiam, ex omniscientia & omnipotentia ut & perfectione, bonitatem, ex bonitate justitiam & veracitatem infert. Non otiosum vero ens esse Deum, sed ἐνεργητικώτατον, ex perfectione ejus demonstrat, cum perfectio entis, quod operationi idoneum est, in operatione ejus consistat: unde simul operationem ejus perfectam esse, concluditur. Cumque modus operandi sequatur modum essendi & pendentem inde potentiam, non vero eodem, quo nos, modo Deus existat, eodem etiam modo cogitare ac intelligere eum non posse, ejusque adeo mentis operationem nostram longissime transscendere, quippe cujus cogitatio cum operatione infinite perfecta & ἐνεργείᾳ omnipotente sit conjuncta, colligit. Hinc Trinitatem non tantum rationi innotescere, sed ne quidem Deum sine ejus cogni-

cognitione concipi ab ea posse ostendit, quod ipsis fere ejus verbis, licet iis, qui Postelli & Poireti scripta tractarunt, non adeo novum videri poterat, hic repetere, operæ pretium ducimus. *Cum nihil, inquit, sit æternum quam ipse Deus, de seipso tantum, neque de ulla alia re, ut æterno cogitare potest. Dum vero de seipso cogitat, seipsum non potest non & intueri & amare uti est. Id est, dum cogitat de se ipso, substantiales ideas sive imagines sui ipsius gignat oportet, hoc est omnipotentis sui intellectus & voluntatis, & perfectionum divinarum, quibus utraque gaudet facultas, omnium. Cumque adeo se contempletur ut est, ipseque sit ens necessario atque æternum existens, imagines quoque istas necessaria atque æterna existentia gaudere oportet; namque alias nec perfectæ Dei essent imagines, nec* ἐνέργεια *Dei infinita esset ac æterna.* Jam pergit: quemadmodum ipse Dei intellectus & voluntas realiter distincta sunt, licet, quomodo distinguantur, nequeat comprehendi; sic & substantiales harum facultatum imagines differre oportet realiter, nec a seipsis tantum, sed a Deo quoque eas distinctas esse necesse est, cum nihil sui ipsius possit esse imago. Utut vero distincta sit istorum existentia, separata tamen esse nequit, quemadmodum & nostræ mentis ideæ non seorsim ab ea existunt, ei potius coexistentes. Sic tria & unum habere se putat Autor, Deum scilicet in essentia sua simpliciter spectatum, resultantem ex contemplatione in Deo substantialem intellectus, & denique voluntatis imaginem. Ut vero Divinarum personarum processionem & originem ex scientia Dei deducit Autor, sic ex eadem quoque reliqua omnia derivat. Quemadmodum enim sui imaginem in se producit Deus per omniscientiam, sic aliarum rerum possibilium omnium imagines eum ait habere. Cum vero nihil sit æternum, quod non simul etiam sit infinitum, Deum nullam aliam rem, præter seipsum, ut æternam concipere posse. Nec proinde eum, ut aliquid sit ab æterno, cogitatione efficere posse, nec quicquam unum cum Deo (quam Spinosæ opponere videtur conclusionem) dici posse; finitum enim & infinitum unum esse non posse. Cogitatione igitur Dei, materiam & motum existentiam nactum esse; quod de materia ex hactenus positis probat, quia non habet omnem possibilem perfectionem, quod entis a se existentis esse supra probavit, de mo-

tu vero ex eo, quod materiæ non sit essentialis, & quod motus in tempore & cum tempore sit, cujus idea conceptum æternitatis excludat: ex motus vero originibus in tempore constitutis rursus materiæ æternitatem impugnat; quid enim materia æterna sine motu profuerit, nemo est qui facile edisserat.

Sic a priori, ut loquuntur in scholis, Autor Dei existentiam, essentiam & attributa demonstrat. Jam ad opus creationis pergit, ex quo opposita via ad eundem finem deducitur. Et proximo

c. II. quidem loco Mundum istum corporeum spectari jubet. Ejus vastissimam magnitudinem ex distantia stellæ polaris ab orbe nostro (quam ex parallaxi illius 470, 840, 000 milliarium esse colligit) & multitudine stellarum immensa ac mole, qua Solem plerasque, sicuti errantes Terram putat æquare, colligit. Harmoniam & ordinem ex ordinatissimo Planetarum circa centra motus sui & proprium axem rotatione, juxta illustris Nevvtoni doctrinam explicata deducit, & ex eo quem Comatæ tenent tramite: ex corporum lucidorum figura rotunda: ex Solis luce vel cum nullo intenso calore, quem aeri permista demum acquirat, conjuncta, adeoque sine igne lucente, vel perpetuis flammis nihil amittente: ex ejusdem in Planetas horumque in suos Satellites imperio, cujus causas & instrumenta, ut obscura & ex solo gravidationis motu vix explicanda, ita admiranda prorsus esse judicat: ex ætheris porro natura transmittendæ stellarum luci, earumque motibus apta: ex aere ejusque phænomenis, & ventis imprimis: ex aquarum denique motibus refluis. Quæ omnia ut harmoniam hujus Universi, ita Autoris ejus sapientiam & potentiam manifeste arguunt.

c. III. At eam non in *maximis* tantum istis, sed in *minimis* etiam, hoc est, in *principiis corpusculisque exiguis* majora componentibus, maxime conspicuam esse ostendit. Ea corpora adhuc esse, adeoque non minima puncta, docet, inque nullum corpus resolvi posse demonstrat ex eo, quod alias hypotenusa rectanguli ad latera ejus, & curva linea ad rectam exigi posset, quorum utrumque fieri nequeat. In hisce vero principiis & exiguitatem & immutabilitatem, quarum utramque variis observationibus illustrat, miratur: utriusque vero illorum attributorū necessitatem indicat, & ex posteriore autorem principiorum Deum esse infert, cum nullus motus

motus figuris suis ea induere valeat. Quod magis etiam ex eo confirmat, quod ad amussim sibi invicem istæ figuræ principiorũ in corporibus, quod manifestum est in aquis ceterisque homogeneis, imo & in aliis salibus v. g. chrystallis, arteria & ceteris, respondeant, cum sine arte id omnino fieri nequeat. Ista principiorum harmonia diligentius in corporibus mixtis ostenditur, ejusque usus, causam intelligentem manifeste arguens, attingitur. Imprimis vero in corporibus, quæ organizata Physici appellare solent, accuratius ille investigatur, in quibus & accurata partium ad usus suos conformatio, & partium varietas, & usus in quavis parte multiplicitas, & plurium partium ad eundem finem usumque collineantium mirabilis concentus, jucundis valde observationibus illustrantur. Sed ista omnia ad corpora in se spectata, nulla vitæ & motus habita ratione, pertinent. Horum vero consideratio novæ tractationi ad eundem scopum tendenti materiam suppeditat, quæ librum secundum *de Mundo Vitali* inscriptum absolvit. *Vitam* vero Autor R. Cudvvorthi, Henrici Mori, Joannis Raji, & aliorum ex gente sua Physicorum vestigiis, ut vero simile est, insistens, distinctam plane a materia substantiam esse putat, eos qui nullam mediam substantiam inter Deum & materiam agnoscunt, absurde Deum Universi hujus membrum facere arbitratus. Argumentum, quo ejus existentiam (cujus modum se, ut multa alia, quæ tamen existant, ignorare fatetur) necessario evinci putat, illud est: quod corpori vita neque per materiæ in subtilissimas partes divisionem, neque per dispositionem ejus organicam, neque etiam eo quod moveatur, nec denique per attributionem quandam, qualis esse solet adjuncti cujusvis, (cum nec producat vitam, nec illi recipiendæ, vi canonis, proportionem inter subjectum & adjunctum requirentis, sit idonea) conciliari queat. Admissa itaque vitali substantia, commercium ejus cum corporibus ita explicat, ut omnes impressiones, quas corpora recipiunt, per motum vitæ, & per vitam substantiæ vitali transmitti, versa vero vice omnes impressiones vitales per motum cum corpore communicari dicat, cui rei necessariũ esse credit corpus organis instructum vitæ cujusvis speciei aptum, ita ut recipere a vita & ad eam transferre varii generis motus valeat. Hoc vero intellecto, unionem animæ cum corpore perceptu haud nimis difficilem

c. IV.

c. V.

L. II. c. I.

difficilem putat, ut quæ nihil aliud ſit, quam convenientia, quæ inter vitam & motum vel intercedat, vel intercedere poſſit. Vitæ porro tres ſpecies conſtituit, vegetabilis nimirum, ſenſitivæ & cogitantis. Vitam vegetabilem & ſenſus expertem deſcribit, quod ſit certa potentia determinans modum transferendi motus, vel reddendæ impreſſionis corporibus, quæ ſit conveniens impreſſioni receptæ, a qua potentia ſphæram activitatis, quam vocant, omnium corporum pendere exiſtimat. Diſcrimen inter hanc vitam & ſenſitivam in eo conſtituit, quod vita vegetabilis impreſſionem per motum acceptam reflectat integram, ſtatimque amittat: quam contra vita ſenſitiva in ſe quaſi immerſam retineat. Modos vero motionis, ex quibus modos ſenſationis accurate deducit, percenſere ſuperſedemus; id tantum obſervamus, omnium jucundarum perceptionum, quarum ſenſus nobis exiſtunt ſive cauſæ ſive occaſiones, fundamentum in æqualitate motionis, per quam fit impreſſio, eum quærere. Vitæ cogitantis, ipſiusque adeo mentis, C. III. duas ſpecies conſtituit, *phantaſticæ* nimirum & *intelligentis*. In phantaſia diſtingui jubet *organum*, *imagines* & *actus vitales*. Organum cerebrũ eſſe: imagines vel expreſſas eorum, quæ ſenſibus obverſantur, repræſentationes, vel ſigna quædam: actus vitales denique eſſe aliquid a figura, poſitu & motu iſtarum imaginum penitus diverſum, ut qui nihil aliud ſint, quam potentia, qua & producere, & uti imaginibus iſtis valeamus. Hanc vitæ ſpeciem brutis quoque animantibus tribuit, quæ ſine ratione & intelligentia, membrorum apta diſpoſitione adjuta, certas ideas in phantaſia recipere putat, juxta quas operationes ſuas, ſine ullo ad finem reſpectu, ſuſcipiant. Sic enim apis oculum, eadem ratione qua vitrum objecta multiplicans conſtructum, forſan producere in ea rerum imagines, quæ ſimiles ſint cellis ἑξαέδροις: imo & ut examen ſequatur, & amet efficere. At phantaſiam humanam, & opulentam magis, & rationis mixturam habentem, bruta illa multo eſſe nobiliorem, quæ nihil aliud ſit, quam mens circa res ſenſibus obnoxias immediate occupata, ejusque illarum rerum imagines. Ejus duos eſſe actus, perceptionem & volitionem: ſpecies vero totidem, quot ſunt ſenſus: ſingularum porro ſpecierum tres modos, recognitionem ſcilicet quæ ſit rei præſentis, memoriam quæ ſit præteritæ, & præſenſionem

nem, quæ sit futuræ perceptio. Schemata phantasiæ varia oriri ex varia imaginum ejus compositione, ut si hominem concipiam præ dolore ingemiscentem, ubi visus tactusque & auditus imagines conjunguntur. Potentiam phantasiæ tam in schematibus conficiendis, rebus externis sensibusque repræsentatis convenientibus elucescere, quam in iis fingendis, quæ sensibus nuspiam obversata fuere. Ista schemata ingenii quasi esse ὕλην: eum enim, qui clarum v. g. proportionum, quæ inter sonos sunt, habet schema, musicum ingenium habere; pictoriæ arti idoneum esse ingenium ejus, qui ex figuris apte composita schemata clare percipiat. Sed hæc de perceptione, primo phantasiæ actu. Volitionem phantasiæ in affectibus constituit: eorum duos esse reliquos omnes comprehendentes, appetitum & aversionem, circa quos & eorum species multa rursus observat. Potentiam vero, sapientiam & bonitatem Dei, multis modis ex phantasiæ consideratione illustrat: ex ipsa imaginum formatione omnis materiæ potentiam excedente; ex memoriæ & prævisionis ratione, quam explicare ex motus legibus impossibile, cum neque præterita, neque futura, absentia quippe, movere valeant; ut alia taceamus argumenta, quæ ex compositione idearum, & amplissimo phantasiæ usu depromit. Sed ad alteram vitæ cogitantis c. IV. speciem, intellectum, pergendum, quem a phantasia Autor *objecto* (ut in scholis loquuntur) maxime distinguit, dum circa insensibilia eum versari dicit. Ejus quoque duos actus, perceptionem & volitionem, modos vero perceptionis intellectualis iterum duos, dubitationem & inventionem esse ait: quibus respondeant duo modi volitionis intellectualis, suspensio & determinatio, cujus posterioris affectio est constantia. De dotibus præcipuis mentis intel- V. VI. VII. lectualis, scientia, sapientia & virtute, integris tribus capitibus agit: ita ut ostendat, *Scientiam* nostram, quæ rerum essentias contemplatur, ad ultimas quantitatis & motus partes eorumque adeo essentias non pertingere; unde non mirum, si eadem ad ultimæ rerum omnium causæ essentiam cognoscendum non assurgat, licet de existentia ejus certi esse queamus. *Sapientiam* esse, quæ causas & operationes rerum inquirit; ubi omnium operationum causæ quatuor cardinales ab Autore constituuntur, corpus nimirum, sensus, phantasia & ratio, quorum unumquodque cum reliquis quadruplici modo conjungi possit, sicut v. g. corpus vel in corpus

pus operari, vel in ſenſum, vel in phantaſiam, vel in rationem poteſt,) ſedecim claſſes generales operationum inde conficiuntur, quarum cognitio, ne cauſæ proximæ cum remotis, ſolitariæ cum ſociis, neceſſariæ cum contingentibus confundantur, conducit; unde genuinus uſus & applicatio cauſarũ, quæ maximi in vita humana momenti eſt, unice pendet. Virtutem eſſe electionem bonorum ſecundum rationem rectam inſtitutam, ſedemque habere in voluntate intellectuali: in mediocritate, quod Ariſtotelei volunt, minime neceſſario eam poſitam eſſe, nec diſcrimen verum inter moralem & intellectualem virtutem intercedere: varia nomina a rebus, circa quas verſatur, obtinere poſſe, in ſe eſſe unam: prudentiam, conſtantiam, & amorem, non tam eſſe virtutes, quam ad conſummandam virtutem requiri, & quæ ſunt alia lemmata ad virtutes particulares pertinentia: quæ denique deſinunt in commendationem Creatoris,
c. VIII. qui mentem iſtis omnibus idoneam fecit, iſtis inſtruxit. In vita autem & ratione noſtra cum multæ deprehendantur imperfectiones; in rebus conditis vero quærere fas ſit omnem perfectionem, cujus capaces eas eſſe natura ſua permittat, ob ſummam perfectionem Conditoris; conſequens hinc eſſe, dari mentes ſupra nos poſitas, in quas maximam, quæ in mentem finitam cadere poſſit, perfectionem contulerit Deus, ſicut inter metalla aurum perfectiſſima duratione, inter lapides adamas perfectiſſima puritate polleat; & ſic in cognitionem *mentis*, quam *cœleſtem* appellat, nos deduci.

Iſta vero etiam firmare conſiderationem Mundi ſenſibilis, in quo cum nullum detur vacuum, probabile non eſſe, in intelligibili hiatum quaſi & vacuum, inter mentem humanam imperfectiſſimam, & divinam infinite perfectam, eſſe admittendum: quemadmodum contra probabile ſit, mundi ſenſibilis infinitæ extenſioni, infinita perfectione reſpondere intelligibilem. His vero argumentis diverſos quoque gradus & ordines mentium cœleſtium evinci, de quibus nobis etiam perſuadeant diverſi gradus in ſcala rerum naturalium mundum ſenſibilem componentium, cum eandem in omnibus Dei operibus proportionem obtinere, ratio ſuadeat. Neque obſcure hinc colligi, in quo diſcrimen iſtud conſiſtat: eſſe ſcilicet alias ex mentibus iſtis ſuperioribus corpore veſtitas, alias puras. Quemadmodum enim varii corporum animatorum numerantur ordines,

ordines, antequam ad intellectum perveniamus, ita suadere rationem, ut varii quoque mentium corpore indutarum constituantur ordines, antequam ad intellectum purum fiat progressio. Mentes vero puras etiam omnisque corporis expertes dari, inde liquere, quod sicut perfectio corporis sit, uniri cum mente, ita mentis perfectio sit, esse corporis expertem: unde sequatur, Deum qui fecit mentes ex parte tenebricosas, ut cum corpore tenebricoso valeant conjungi, mentes quoque condidisse purissima luce, suamque imaginem quam proxime referentes. Hinc facultates & operationes mentium istarum facile deduci. Illas nimirum, quæ cum corpore aliquo conjunctæ sunt, sentire: sed ut nos sensus habemus, quibus destituuntur sentientia nobis inferiora, ita mentes illas cœlestes sensibus frui nobis ignotis; utque sensus externi sunt in inferioribus animantium ordinibus magis magisque vegeti, ita in superioribus magis magisque attenuari, ad intelligibilem naturam propius sensim accedentibus. Contra phantasia eas nos excellere, ut nos cetera animantia. Conjunctionem vero intellectus earum cum phantasia, eas perinde ac nos mali moralis capaces reddere, in quantum illud pendet a phantasia imperium in intellectum usurpante. Mentes corporis expertes, hoc non obstante, phantasia etiam pollere. Ut phantasia enim non efficit intellectum, sed ejus tantum est instrumentum, ita sensum quoque phantasiam non efficere, sed usibus ejus inservire. Phantasiam hanc mentium purarum affici triplici modo, per corpus scilicet, per phantasiam & per intellectum. Per corpus; nam licet sensibus destituatur mens pura, analogica quadam tamen ratione eam a corporibus affici posse, eo quod omnes res creatæ mediante vita & motu invicem communicare valeant. Per phantasiam eam affici posse; nihil enim obstare, quo minus imagines phantasiæ unius mentis, cum altera ejusdem facultatis sibi conscia communicentur, pariter ac notiones intellectus. Intelligentiam tamen mentis puræ nostra esse longe excellentiorem, ut quæ directa & immediata intuitione peragatur, (sicuti phantasia in brutis animantibus, quæ instinctu, non acquisitis habitibus agat,) indeque evidentior sit quam nostra, & inclinationi ad malum morale locum non relinquat, cum summa vero delectatione sit conjuncta. Sed hacte-

nus descriptas mentes puras quidem esse, sed tamen compositas: ab iis igitur ad supremum mentium cœlestium ordinem, non corporis tantum, verum & compositionis atque adeo phantasiæ expertem, esse progrediendum. Hujus excellentiam in eo consistere, quod antea commemorata mentium purarum species, libera a corporis umbris, intuitive quidem, sed tamen, ob cognationem cum phantasia, per reminiscentiam vel alium modum, in quo successio quædam sit, nonnulla cognoscat: cum contra perfectissimæ illæ mentes creatæ cognitione forte fruantur, quæ non intuitiva sit tantum, verum successionem etiam excludat. Hujus vero perfectionis in nobis ipsis umbram aliquam deprehendi: dum enim numerum vicenarium v. g. intelligimus, de eo, utut viginti unitatibus absoluto, non viginti tamen, sed unicam notionem nos animo complecti. Eo tamen mentem nostram hic deficere, quod ad hujusmodi conceptus unitatem, non nisi post singulorum cum componentium considerationem deveniamus; quod alia ratione in sublimibus istis mentibus eveniat. Ex istis perfectiones voluntatis manifestas esse, cum id, quod neque cum corpore, neque cum phantasia conjunctum est, purusque adeo est intellectus, nihil habeat in se, quo a veritate & rectitudine averti queat; ex quibus omnibus summa harum mentium felicitas necessario demum consequatur.

Atque hæc sunt, quæ Clarissimus Autor in Libro I de Mundo corporeo, & in L. II de Mundo vitali & utriusque ex Deo originibus summo ingenio disputat. Jam Libro III gubernationem Dei in mundo a se condito ubique conspicuam persequitur; Libro IV & V autem, Veteris æque ac Novi Testamenti scriptis legem Dei positivam contineri, demonstrat. At horum brevem summam, cum nunc quidem primorum duorum librorum recensio paulo diutius nos tenuerit, proximo mensi reservamus.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE &c.

i. e.

BIBLIOTHECÆ NOVÆ AUCTORUM ECCLESIAsticorum Tomus XIII, continens Auctores seculi XVI. Scriptore LUDOV. ELLIES DU PIN, Doctore Theol. Paris. & Profess. Regio.

Parisiis,

Parisiis, apud Andr. Pralard, 1703. in 4. Constat Alph. 1. pl. 9.

NOn defatigatur doctissimi Pinii in penetranda vastissima Historiæ Ecclesiasticæ, & Scriptorum Theologicorum sylva, studium ac solertia præsignis, etsi odio invidiaque non proletaria, ut rumor fert, inter ipsos tribules graviter nunc affligatur. Fuere, qui clarissimum Virum cum seculi XV descriptione finem Bibliothecæ suæ impositurum hariolarentur, ne, quæ ægre Romano cœtui facerent, loquendi nimia ubivis necessitate, veritatis comite, constringeretur. Sed comparuere nihilominus duo Tomi, XIII & XIV, priorem seculi XVI partem dimidiam complectentes. Et Tomo quidem XIII, quem nunc sistimus, Auctor ex more Historiam istorum temporum sacram præmittit, exponens cap. I, quæ ab initio seculi usque ad A. 1517 contigere: utque momenta rerum enarrandarum rectius intelligantur, ex seculo XV originem Pragmaticæ Gallorum Sanctionis accuratius enarrat, quo pacto illa ex Concilii Basileensis decretis paulisper immutatis in conventu Cleri Bituricensi A. 1438 *fuerit* confecta. Quo loco dignum notatu est, quod p. 5. refertur, Clerum Gallicum non approbasse Basileensium Patrum decretum, quo novam Concilio jurisdictionem in Clericos arrogabant, sed huic innovationi non minus ac Pontificis effreni potentiæ se opposuisse. Enarratur porro, quo pacto Pragmatica ista Sanctio a Pio II in Concilio Mantuano damnata sit, atque instinctu Jo. Godofredi Episcopi Atrebatensis & Jo. Ballue, Ebroicensis, Cardinalitia dignitate lactatorum, a Ludovico XI sit suspensa, reclamante semper Parlamento & Academia Parisiensi, paulatim vero vim legis recuperaverit, & a Carolo VIII atque Ludovico XII sit restaurata. Hujus cum Pontifice controversias prolixius recenset, consultumque ipsi a Conventu Clericorum Turonensi refert, ut obedientiam Papæ denegaret, bellumque inferret, ut Tyranno; Maximilianum I quoque Imperatorem Jacobo Wimphelingio negotium dedisse, ut Pragmaticam Germanorum Sanctionem, ad imitationem Gallicæ, conficere tentaret, p. 15 admonet. Hinc Pisani Concilii fata edisserit, quod Imperatoris ac Galliæ Regis instinctu, quatuor Cardinales, Bernardinus Carvajal, Guil. Brisonettus, Renatus de Prye & Amaneus d' Albret, cum trium aliorum absenti-

um procuratoribus indixerant, atque Pisæ A. 1511 inchoatum, A. 1512 Mediolanum transtulerant, in cujus sessione VIII Julius II Pontifex damnatus est, indignusque munere suo judicatus. De Concilio Lateranensi V, quod Julius contra Pisanum A. 1512 habere cœpit, diligenter quoque agit, in quo Galli renunciarunt Pisano decreto, ac Leoni X Julii successori obedientiam præstiterunt, Montesque pietatis approbati sunt. Ibidem de Concordato tractat, quod Franciscus I, abrogata inter Gallos Pragmatica sanctione, ut Pontifici faveret, introduxit, valde obnitentibus Parisiensi Parlamento & Academia, ac libertatem Ecclesiæ ad annum usque 1517 & 1518 defendentibus.

Quæ ab initiis Reformationis ad Concilium usque Tridentinum gesta sunt, cap. II recensentur. Primordia Reformationis Auctor satis bene & cum insigni cura describit, evolutis, ut apparet, plerisque nostratium, præsertim Lutheri, operibus. Quare longe candidius, quam apud Pontificios fieri posse credidissemus, turbas ex indulgentiarum nundinatione natas, primorum Lutheri Antagonistarum res, colloquium Lipsiense, & VVormatiensia comitia depingit. Sed, quæ est humani ingenii imbecillitas, cavere sibi ab hallucinationibus non potuit, præsertim ex ignorantia Germanicæ linguæ ortis, qua factum est, ut Melanchthonem patrio idiomate *Schawiarkerdt* appellatum velit, nisi forte vitium est typographicum; certe *Schwarzerdt* scribi debuit. Jo. Staupitium cognatum Ducum Saxoniæ fuisse, p. 30 contra historicam fidem pronunciat: patrem Lutheri Johannem magistratu urbis Mansfeldensis functum, p. 31 nullo auctore affirmat. Discedit etiam a veritate, quando p. 34, & passim alibi, Lutherum fiducia protectionis Friderici III, Septemviri Saxonici, tantas res molitum, refert. Eckio certissimam in colloquio Lipsiensi victoriam p. 48 adscribit, quam Mosellanus aliique ex Pontificiorum ordine prorsus ipsi denegant, ipseque Eckius, in Epistola a Pinio p. 49 citata, a se amoliri videtur. Georgium Spalatinum a secretis status Electori Saxonum fuisse, qui a concionibus & secretis conscientiæ ipsi erat, p. 49 tradit. Refert p. 66, Lutherum in via, quæ Isenaco Wittebergam ducit, esse captum, qui tamen, quod ab Illustri Seckendorfio abunde probatum est, in via Salzungam deflectente, quo propin-

quos

quos visitatum (quos eo loco complures habebat) Lutherus iverat, abreptus ac Wartburgum ductus est. Sed hæc levicula sunt, si cum Maimburgii, Varillasii ac aliorum in hoc scribendi genere Pontifici litantium erratis conferantur. Non diffitemur, Pinium iniquiori stylo in nostros identidem uti, sed & hic sedatior est furiosis aliorum calumniis, quibus abstinere ne hodie quidem possunt. Deprehendimus apud eundem in rebus nostratium nonnulla, quæ nostris etiam scriptoribus minus comperta sunt, quibus tamen testes non additos, valde dolemus. Sic Tezelium Lutheri theses de indulgentiis Francofurti, & hujus vicissim socios Tezelianas Wittebergæ, vix orta controversia combussisse, p. 34 narratur. Litem inter Cardinales, Anconitanum & Laurentium Puccium, esse exortam, de conficienda Bullæ excommunicationis Lutheri formula, quam provinciam uterque vindicabat, Anconitano tandem victore, p. 56 invenias. His enarratis, Auctor de censura Sorbonæ in Lutherum multis agit, quam etsi laudet, fateri tamen necessum habet, in eadem Dionysii Areopagitæ scripta pro genuinis agnoscendo fuisse erratum. Posthæc Carolstadii turbas, Leonis X mortem, Adriani VI conatus Romanam Ecclesiam emendandi, motus Zvvinglii Tigurinos, & colloquia Helvetiorum, (quos initio Reformationis, campanas etiam & organa pneumatica abrogasse, p. 85 refert) ac comitia Imperii Germanici religionis causa habita, Münzerianos denique motus studiose recenset. De Lutheri conjugio iniquius loquitur p. 97, & minus honestum ipsi fuisse affirmat, quod 45 annos natus uxorem duxerit; cum tamen, si ipsius Pinii computationem sequamur, quadragesimo secundo ætatis Lutheri anno id factum sit. Dehinc quæ Carolo V cum Pontifice intercesserint lites, Lutheranorum & Zvvinglianorum primas disceptationes, Balth. Hubmejeri, C. Schvvenkfeldii, Georgii Blaurokii, Conr. Grebelii & Felicis Manzii, Anabaptistarum Helvetiorum, Melch. Hoffmanni, & Jac. Kauzii fanatici Wormatiensis, eadem ætate viventium res percenset. Colloquium quoque Marburgense, Comitia Augustana & Confessionem in iisdem a Protestantibus exhibitam, pacem religiosam Noribergensem, turbasque Monasterienses Anabaptistarum sigillatim describit, de ultimis quidem p. 126 seqq. multo cum studio agens. Colloquium

Lutheri cum Diabolo de abrogandis Missis privatis, quod tanto cum mendaciorum apparatu nobis objici solet, longe æquius p. 130 enarrat. Multus est in Henrici VIII divortio, & Anglorum a Pontifice discessione describenda, atque a popularium fabulis, ea de re hactenus sparsis, alienum se ostendit, Burnetum tamen, istius Historiæ præcipuum scriptorem, nonnunquam in censuram vocans: tandem suam quoque sententiam interponens, leges Levitici de gradibus prohibitis universales esse fatetur, sed cum juris naturalis non sint, dispensari circa illas, ex sonticis tamen rationibus posse, p. 140 defendit. Notatu dignæ sunt Elisabethæ Barthoniæ res, quæ se vatem cœlitus missam ad dissuadendum Henrico VIII divortium jactabat; hanc Noster miseram corrupta laborantem phantasia mulierculam, & motibus convulsivis interdum exercitam fuisse, p. 145 judicat. Nec indignus diligentiori perlectione est recensus libelli de emendatione Romanæ Ecclesiæ, a quatuor Cardinalibus A. 1538 Pontifici oblatus, quem p. 151 seq. evolvere licet; ut & formulæ Interreligionis, quam Interim vulgo appellant, excerpta, p. 157 seqq. extantia.

Singulari vero cura de originibus Reformatorum Gallorum Pinius agit, magnam culpæ partem in Navarræ Reginam conjiciens, quam sub titulo *Speculi animæ peccatricis* libellum conscripsisse, p. 174 docet. Ludovici Becquini nobilis Flandri fata, qui cum Regi Gallorum a consiliis esset, Lutheri dogmata primus Parisiis publice proposuit, tandemque crematus est, p. 175, 212, 219 exponuntur. Calvini vita p. 176 seq. candide satis delineatur, quem a Volmaro, præceptore in Græcis literis, ad Lutheranorum partes initio perductum Auctor tradit. Tandem mutationem sacrorum ad Septentrionem enarrat, concilia periodi hactenus explicatæ recenset, inter quæ Moguntinum salutaria reformandæ Ecclesiæ consilia suppeditans eminet, tandemque enarratione censurarum per id tempus a Sorbona dictarum concludit.

Speciminis gratia, quæ de Hubmejero fanatico Pinius noster narravit, ut minus nota, sigillatim recensebimus. Balthasar Hubmejerus, Fridbergæ Cattorum natus, Zvinglii amicus, Pastorem apud Waldshutenses agebat. Hunc Munzerus A. 1524, in itinere Basileam versus instituto, Waldshutum transiens, fanaticis opini-

onibus

onibus imbuerat. Hubmeierus auditoribus suis eadem doctrina imbutis, Pontificios omnes ex oppido ejecit, sed brevi post ab iisdem vicinorum auxilio victus, & in exilium actus. Hoc apud Tigurinos commode se transacturum putans, urbem istam clandestinis motibus turbavit. Quare colloquium cum Zvvinglio ipsi indictum est, victoque mandatum, ut palinodiam caneret, ac urbe excederet. Ille formulam palinodiæ in templo Abbatis recitavit, sed cum ab Imperatore ut rebellis in supplicium expeteretur, Tiguri permansit, renovatisque fanaticis doctrinis iterum, & lubens quidem, evitandæ pœnæ causa, palinodiam cecinit, ac Constantiam abiit, quo loco Zvvinglium a se victum disputando jactans, aufugiens, ac vagabundus tandem inter Moravos consedit, parensque Anabaptistarum Helvetiorum habetur.

Inter censuras Sorbonicas multæ etiam occurrunt notatu dignæ, quarum nonnullas enotabimus. A. 1516 die 2 Jun. damnatæ sunt Claudii Cusini Ord. Prædicat. propositiones, qui Ordinem Presbyterorum ordinariorum, quos Curatos vocant, graviter impetierat. A. 1518 die 6 Maji rejecta est, ut falsa ac scandalo plena præconis cujusdam indulgentiarum vox, qui numo in thecam indulgentiarum cadente, animam citra dubium illico ex purgatorio igne liberari, docuerat. A. 1520 decretum a Sorbonicis Doctoribus est, Mariam Magdalenam, Mariam Lazari sororem, & magnam Peccatricem, eandem esse personam, fatente tamen Auctore, aliam nunc esse & saniorem Sorbonæ sententiam. Ejusdem anni die 5 Decembris damnata est Hier. Clichtovæi opinio, qui beneficia Ecclesiastica licite vendi, publice defenderat. Initio A. 1524 obelo notatæ sunt Amedæi Mesgreti, Ord. Prædic. propositiones, quod Pagani rectam rationem sequentes salvi fiant, quod peccatorum confessio specialis cassa sit, quod vota religiosa ultra 10 annos non obligent. A. 1525 d. 7 Septembris condemnatæ sunt Petri Caroli theses, quod Scriptura S. nunc melius quam olim intelligatur, hominesque ad purum Dei amorem perducantur, quod olim fuerit neglectum, quodque in vulgata Versione errores quidam dentur ex fontibus corrigendi. A. 1530 repudiata est quorundam sententia, qui sine Hebrææ Græcæque linguæ notitia S. Scripturam recte explicari posse negaverant. A. 1531 censura no-

tatæ

tatæ sunt Condomensis cujusdam theses, qui quatuor baptismos, (aquæ videlicet, sanguinis, Spiritus S. & sanctificationis, quorum ultimus precibus parentum, deficiente primo, obtineri possit) docuerat, Johannemque Evangelistam mortuum esse negaverat; nec non Algulphi Lamberti propositio, qua Jesum Redemtorem non esse necessario Deum, affirmaverat. Atque hæc de Tomo XIII Bibliothecæ hujus suffecerint.

REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ HISTORIA. Secunda editio, priori longe auctior. Autore JOHANNE BAPTISTA DU HAMEL ejusdem Academiæ Socio.


Parisiis apud Joh. Baptistam Delespine, 1701. 4.
Constat 3 Alph. 10 pl. & 2 fig. æn.


SEcundam hanc utilissimi operis editionem, Illustrissimo Viro J. Paulo Bignon Abbati S. Quintini dedicatam, voluit Autor celeberrimus non solum duobus libris, quinto nempe, qui annorum 1697 & 1698, sextoque, qui annorum 1699 & 1700 gesta complectitur, sed & variis additamentis, prioribus quatuor libris larga manu insertis, auctiorem prodire. Cum vero ipsemet priorum IV librorum summarium confecerit (vid. Acta Erud. A. 1700 p. 108.) nos ultimorum duorum brevem dabimus ideam; quanquam difficile sit compendium facere recensionis, quæ res undiquaque momentosas, & jam in compendio, perque indicis modum exhibitas sistit.


Solita distributione agit Auctor Parte I, Lib. V, Sect. I de rebus Physicis primum, ubi Cap. I. ex *Dn. de la Hire* jam ab octo annis continuatis observationibus, quantum pluviæ solutæque nivis quotannis decidat, (cujus summam A. 1696 ad 19 pollices & 5 lineas altitudinis pervenisse comperit) factoque experimento cum pelvi plumbea, terræ ad 8 pedes effossæ aptata, ad quam hactenus nulla pluvia nixve soluta penetravit, vixque penetrabit, patet, pluviam quantumvis copiosam ad duos usque pedes terram non subire, & vel mediocris altitudinis arboribus nutriendis satis esse non posse, adeoque de fontium origine nihil hinc explorati haberi. Liquores mole augeri in vacuo, matratium angustioris colli & in partes

tes




Fig: 1.


Fig: 2
B
K
N


Fig: 7.
D
A
C
a
d
B
6.

tes æquales per lineas nigras divisi docuit, ubi aqua exhausto aere statim visa est altior semipollice; imo spiritus vini & urinæ sudoris instar stillavere, ut in alembico, quod vi caloris Solaris pariter peregit *Filius D. de la Hire.* Egregium porro *D. Homberg* instrumentum est liquoribus dimetiendis, magis quam ea, quæ vulgariter applicantur, idoneum. Phiala est usitata, cujusvis capacitatis, perinde est: utitur phiala digiti cubici capaci; collum illius est longum sesquipollice, cujus diameter est semilinea, ubique teres nisi in extremo, ubi instar infundibuli dilatatur. Ad radicem colli tubulus assurgit collo ipsi parallelus, 5 lineas altus, cujus diameter etiam est semilinea. Hic exitum præbet aëri incluso, ubi phiala impletur aqua: quo quidem modo tam facile impletur & exinanitur, ac si collum ejus foret latius. (Vid. Figura I.) Usus instrumenti talis est: impletur liquor, donec per capillarem tubulum effluat; tum sistitur in collo ad altitudinem usque tubuli; quod superfluit, per tubulum egreditur; phiala parte exteriore sic detersa, ut nulla remaneat exterior humiditas, exquisitæ bilanci appenditur; deinde eo liquore impletur, qui cum priore est conferendus. Ecce pondera: TAB. II. Fig. 1.

Oleum Vitrioli 11 drachmis & 26 granis appensum est,
Aqua fortis argentum dissolvens 8 dr. 58 gr.
Aqua fortis debilitata ad plumbi solutionem, 7 dr. 46 gr.
Spiritus salis 1 unc. 7 gr.
Aqua fluviatilis 7 dr. 8 gr.
Acetum distill. 7 dr. 10 gr.
Aqua ardentis vini 6 dr. 52 gr.
Spiritus vini 6 dr. 16 gr.
Hydrargyrum 3 unc. 3 dr. 45 gr.

Idem quoque Capite 2 purgationem argenti vel auri, methodo vulgari per cupellam longe faciliori proposuit. Selibram argenti cum cupro permisti in granula comminuti catillo fictili, seu crucibulo imposuit usque ad rubedinem; sulphuris communis tantundem repetitis vicibus sic injecit, ut singulis vicibus expectaret, dum prius injectum omnino incensum & consumtum appareret; tum fusione facta 8 unciæ nitri, & totidem tartari, & 8 unciæ limaturæ ferri, non simul, sed per vices ita sunt adjectæ, ut detonatione facta, nova mistura adderetur; tum per unius horæ quadrantem fusio est

Dd con-

continuata: quod erat in crucibulo argentum,& purum & ductile inventum est. Quæ operatio non amplius quam sesquihoræ spatio, una tantum fusione, & uno in crucibulo fuit absoluta, cum per cupellam facta purgatio alterum tantum temporis & ignis exigat, præter cupellæ apparatum, & follium agitationem. Rationem hujus separationis vide apud Autorem. Ejusdem autem argenti a stanno, item a stibio expurgationem pariter subtilem, silentio prætermittit, prolixitatis evitandæ studio. Ex tentamine ejusdem circa acidos spiritus, an tandem insipidi fieri possint, cum mercurii 12 unciis, totidemque spiritus nitri instituto, tandem patuit, 12 spir. nitri uncias, in 7 aquosi & insipidi liquoris, & in 3 uncias solidæ & pene insipidæ materiæ abiisse, quæ a mercurio secretæ, & in formam liquoris reversæ vix potuerunt semiunciam mercurii dissolvere, cum antea 15 uncias ejus exsolvissent: magno argumento, corrodens acidum in materiam insipidam verti, atque eandem materiam varie modificatam fieri posse aquam insipidam & spiritum acidum.

De salibus plantarum Cap. 3 observat Idem, unum tantummodo esse salium genus, quod citra ignem aut fermentationem ex plantis extrahitur, nempe salem essentialem: sed analysi per ignem facta, tria eliciuntur, lixivialis & fixus, urinosus & volatilis, demum acidus & volatilis. Duo ex his, lixivialis & acidus, alter alterius formam, imo & olei aut spiritus ardentis induere possunt, verum urinosi sales iidem semper manent. Sal urinosus, etsi admodum volatilis, aliquando tamen corporibus tenaciter adhærescit, aliquando mediocri igne potest expediri, ut in sale tartari, ex cujus duabus partibus & una aluminis rupei elicitur urinosus liquor, imo & sal volatilis concretus; quod non fit, ubi aluminis alterum tantum apponitur. Et licet ambo hæc alcali lixiviale & urinosum sibi mutuo obstare videntur, interdum tamen sal urinosus plantæ aliis partibus bene odoratis adeo implicitus est, ut non nisi novi salis lixivialis additione seipsum prodat, ut in moschi cum spiritu vini infusione, addito oleo tartari per deliquium, urinæ fœtor oritur. Sal ex terra multis annis inculta extractus cum natro Ægypti convenire videtur, quod salis marini & salis alcali naturalis mistarum continet. Quæ tandem de hydrargyri sublimati cum æqualibus partibus salis decre-

decrepiti per retortam deſtillatione loco ſublimationis conſuetæ proferuntur, notatu digna ſunt, imprimis, quod cum lutatis omnibus juncturis, magna tamen pars ſublimati per eas erumperet, recipiens prope fundum parvo foramine in ſuperiori parte pertuſum (aëri hoc modo liberum exitum permittens) ſine diſpendio non obturatis juncturis, ſublimatum inſtar butyri antimonii ſtillans exceperit, operatione tota intra 2 horas abſoluta, in 6 libris ſublimati, cum in vulgari modo 3 libræ ſpatio 12 horarum non fuerint ſurſum ſublatæ.

Quæ Cap. 4 plantarum hiſtoriam & analyſin concernunt, ſigillatim recenſere non neceſſarium duxit Autor, quod præcipuæ una cum deſcriptionibus aliquando prodituræ ſint in lucem. Sed id majoris disquiſitionis eſt: utrum ſales fixi e plantis per lixivia extracti in volatiles abire, & in alia principia ſimpliciora reſolvi queant. Res experimento tentata hæc eſt:

2 unciis ſalis abſinthii fixi & recens calcinati, affuſæ ſexiesque per M. B. cohobatæ

4 libræ	aquæ abſinthii recentis	reliquerunt ſalem mulctatum	20 granis,
	ſpiritus vini optimi		2 drachmis, 25 gr.
	aquæ vini ardentis		3 drachm.
	vini albi		$6\frac{1}{2}$ dr. tandem 13 dr. ſaltem 3 dr. remanentibus.

Spiritus itaque ſulphurei ſalis lixivialis partes ſic penetrant, ut earum naturam immutent. Hinc aqua abſinthii & acidi & ſulphurei disſolventis expers, nihil fere ſalis; ſpiritus & aqua ardens vini acidi expertes, parum ex ſale; vinum album utriusque compos multum ſolvit. Sales itaque fixi plantarum ſpiritu ſulphureo vini fiunt volatiles.

Cap. 5 de rebus Anatomicis, uſus illius canalis, per quem in fœtu vena porta cum vena cava in jecore communicat, is ſtatuitur, ut aer, qui a matre per venam umbilicalem ad cor fœtus pervenire debet, ſufficiat circulari in fœtu ſanguinis motui, longo alias itinere nimium de motu ſuo perditurus. Capræ Lybicæ, vulgo *bazelle*, ventriculus accurata anatomia exhibetur, uti & aliorum animalium deſcriptiones. Peculiaris quoque occurrit obſervatio circa quod-

dam hydropis genus, ubi apertione in parte inferiori ventris facta, exiit primum pus valde excoctum, tum corpus mediocris pruni Armeniaci magnitudine, tandem incredibilis multitudo globulorum, nonnullis pilæ palmariæ magnitudinem æquantibus. Hydropicos ſanatos fuiſſe aſſeritur, poſtquam arena operti Sole æſtivo per biduū aut triduum expoſiti fuiſſent ſereno aëri. Podagricis remedia indicantur, ranunculi pratenſis contuſi ſuccus; item ſaponis cum aqua vini ardentis infuſio, circum partem affectam in coronæ modū applicata; porro muſcus Indicus in parte affecta incenſus; demum ſalvia in modum thæi præparata. Anginæ remedium nidus eſt hirundinis, oleo aut recenti butyro imbutus, qui in modum cataplasmatis gutturi applicatur. Chirurgis proderit nota, vulnera rarius curata citius ſanari: aer enim iis infeſtus eſt maxime, & fruſtra tam ſæpe mundantur; nam quædam velut cruſtula aut linimentum detrahitur, quod naturæ utile eſt ad carnes disjunctas conglutinandas. Curioſa tandem eſt obſervatio circa novum erucæ genus, quod quatuor illas mutationes (ubi primum ſunt ova, tum vermes, deinde aureliæ, tandem alis inſtructæ volant, ut muſcæ & papiliones) non ſubit, & viviparum eſt.

Res Mathematicæ Sectione II proponuntur. Ex Aſtronomicis Cap. 1 difficilis alias determinatio ſolſtitiorum habetur. Clariſſimus *Caſſini* altitudines Solis meridianas aliquot ante & poſt ſolſtitia diebus obſervans, & diſcrimina earum in differentias longitudinum convertens, ut erueret partem proportionalem & tempus, quo Sol a Tropico æquis diſtabat intervallis, invenit A. 1696 æſtivum ſolſtitium quidem $\frac{10}{20}$ Junii, 2 hor. 26′, hyemale vero $\frac{10}{20}$ Decemb. 6 hor. 46″. Spatium ab æſtivo ad hyemale eſt 183 d. 4 h. 20′. Cumque annus tropicus ſit 365 d. 5 h. 48′. erit ſpatium ab hyemali ſolſtitio ad æſtivum 182 d. 1 h. 28″. Dimidia ergo anni pars 182 d. 14 h. 54′. minor eſt ſpatio, quod ab æſtivo ad hybernum ſolſtit. currit, & major eſt ſpatio, quod ab hyemali ad æſtivum ſolſtitium labitur, eadem quantitate, nempe 13 h. 26″. Hæc inæqualitas intervallorum oritur ab apogæo Solis, ubi tardior eſt Solis motus, unde & tempus lon-

longius efficit in eo semicirculo, in quo est apogæum, quod ex observatis a verno semicirculo in autumnalem commeasse colligitur.

Animadversionum circa reformationem Calendarii a Viro celeberrimo Erh. Weigelio propositam, summa est: novam de hac re deliberandi curam iis, qui veteri utuntur stylo, relinquendam; illos enim, qui novo observationibus hucusque habitis comprobato utuntur, eo contentos esse, ne rem actam agant, cum ad quamcunque anni solaris, lunarisque mensis magnitudinem rite accommodetur; computum autem cyclicum ab initio Christianæ religionis usurpatum non esse aspernandum, sed emendandum.

Cap. 2 de discrimine inter Cyclos lunares & solares agitur, quod ex Solis & Lunæ inæqualibus motibus oritur; hinc menses lunares, qui a vera Lunæ cum Sole conjunctione ad alteram numerantur, quique naturales sunt & apparentes, non sunt inter se æquales, sed aliquot horis dissident; longissimi ad 29 d. 19 h. produci, brevissimi ad 29 d. 7 h. contrahi possunt, medio loco interjecti sunt menses 29 d. 12 h. & fere 45′, sed ii sunt perrari. Hæc inæqualitas ex diversa ab apogæis aut perigæis distantia, inæquales celeritatis gradus producente, explicari solet. Hinc periodum reliquis accuratiorem excogitavit D. *Cassini*, 4267 mensium, quæ intra 126007 d. 1 h. absolvitur; hæc Solem & Lunam apogæis suis propius admovere ostenditur.

Cap. 3 duæ Lunæ eclipses, prior die 6 Maji, posterior d. 29 Oct. visæ, sed ob nubes vix observatæ describuntur, & ad Calendarii diligentius examen applicantur. De stella in collo Ceti posita Cap. 4 prolixius agitur, & revolutio ejus 330½ d. statuitur; visibilis est, raro per 150 d. nunquam per 165 d. aliquando tantum per 108 d. quod juxta hypothesin, eam (ut & forte plures alias stellas) aliqua tantum sui parte esse lucidam, & circa axem suum sic volvi, ut aliquando partem sui fulgidam, interdum obscuram nobis obvertat, explicatur. Quorsum & phænomenon quinti satellitis Saturni pertinet, qui descendens post conjunctionem suam cum Saturno, in parte circuli supe-

 riore

riore invisibilis est; visibilis autem, quando a parte sui circuli inferiore ad superiorem progreditur. Pari modo quædam phænomena circa Jovis satellites observata explicari possunt.

Mercurium in Sole visum cap. 5 sistit, cujus sexta & postrema d. 3 Nov. a DD. *Cassini* & *de la Hire* maxima cum diligentia facta observatio prolixe subjicitur. Numeri D. *Cassini* sic se habent. Exiit Mercurius hor. 8. 9′. 31″. latitudinem ☿ in exitu invenit 8′. 58″, differentiam longitudinum ☉ & ☿, 13′. 26″ in ipso exitu. Tum Sol erat in 11°. 13′. 19″. Scorpii. Quocirca ☿ h. 8. 9′. 31″. erat in 11°. 25′. 53″ Scorpii, cum hor. 7. 24′, 58″ esset in eodem gradu 11. 28′. 25″, itaque intra 44′, 33″. unius horæ motus ☿ retrogr. fuit 2′. 42″. motus vero ☉ intra idem tempus 1′. 51″. itaque motus ☿ in Sole, intra 44′. 33″ temporis, est 4′. 33″. Jam, ut habeatur conjunctionis ☿ cum ☉ tempus:

ut motus ☿ in ☉, ad tempus: sic differ. longit. ad tempus
4′, 33″. 44′, 33″. :: 13′, 26″ 2°, 11′, 26″.

hæc subduc. sunt ab hor. 8°, 9′, 31″, quod est tempus exitus ☿, fuit tempus Conjunctionis ☿ cum ☉ in longit. hor. 5, 58′, 3″. tempus dimidiæ durationis eclipsis hor. 1°. 58′. 13″, colligit; & intervallum temporis inter conjunct. ☿ cum ☉ habita ratione longitudinis, & adventum illius ad nodum hor. 13. 37′, 10″. Diametrum appar. ☿ 8″ ex ipsis observationibus colligit.

Subjicitur historia observationum ☿ in ☉. *Prima* est *Gassendi* Lutetiæ a *Keplero* ad diem 7 Septembris 1631 prædicta. *Secunda* est *Schakerlei* Angli in Indiar. Orient. insula Suratta 3 Novemb. 1651. *Tertia* Londini facta a D. *Hugenio* & *Mercatore*, item *Hevelio* 3 Maji 1661 Gedani. *Quarta* Avenione a D. *Gallet* & *Beauchamps* 7 Nov. 1677. & in insul. S. Helenæ a D. *Halley*. *Quinta* Cantonii in regno Sinensi a PP. *Fontenay* & *le Comte* 10 Nov.

Nov. 1690. Postrema & *sexta* est 3 Nov. 1696. Nec recurret hoc phænomenon nisi mense Majo 1720.

Indicium quorundam Problem. Geom. & Arithm. cap. 6 facit, inter quæ notari meretur *D. Varignon* solutio de rationibus arcuum & spatiorum omnis generis curvarum similium, cui occasionem Generosiss. D. *Tschirnhaus* inventione sua circa Parabolarum ejusdem foci & axis proprietatem, jam in his Actis A. 1695 mens. Nov. publicata fecit; D. *Bernoully* Bas. extendit ad quodvis aliud communis axis punctum, in curvis omnibus similibusque; D. *Varignon* vero universim ad omnes diametros curvarum similium pertinere comperit. Nempe: *Duas curvas similes, quæcunque illæ sint, quarum diametri similes in eadem sint recta, quæcunque sit earum inter se ratio, in eodem plano, punctum semper in hac recta habere, ex quo omnes rectæ ductæ ad unam item & alteram ex curvis, ubique arcus intercipiunt, qui certam & constantem inter se habent rationem; & similiter, spatia intercepta inter se eam habere rationem, quæ est inter arcuum quadrata. Ex. gr. si curvæ sint sectiones conicæ similes, hæ sectiones erunt inter se ut parametri, & spatia, ut quadrata parametrorum.* Monitum porro D. *de la Hire* circa calculum indefinite parvorum attendendum est, ne suppositiones erroribus ansam præbeant, quod exemplo duorum pendulorum 15 & $7\frac{1}{2}$ ped. longorum, perque chordam seu arcum infinite parvum vibrantium declarat.

Ultimo 7 cap. de rebus dioptricis & mechanicis monetur, ante annum 1630 Telescopia ex duobus & quatuor convexis vitris non fuisse in usu, licet *Scheinerus* in *Rosa Ursina* hoc modo Tubum parari posse monuerit; P. *Rheita* Capucinus primus eam connexionem vitrorum in usum deduxit, quam in libro, *Oculus Eliæ & Enoch*, describit. Circa rationem contrahendi Telescopia, (interjectione nempe vitri cavi in focum inter objectivum & oculare,) aliquid desiderari, ut & in machina, cujus ope navigium adverso flumine promoveatur, ingenue indicatur.

Pars altera libr. V. Acta anni 1698 complectitur, ubi sect. 1 cap. 1 de rebus physicis, quantitas pluviæ collectæ præterito

anno

anno ad $20\frac{1}{4}$ digit. altitudinem perveniſſe obſervatur; ut & ex Thermometro, æſtum maximum fuiſſe 14 Maij, & maximam altitudinem Barometri die 31 Januar. 28 dig. $4\frac{1}{10}$ lin., minimam vero 26 dig. 10 lin. Diverſum eſſe aëris pondus, globus vitreus diametri 20 pollicum exhauſtus & bilanci appenſus, tum ſubeunte aëre iterum ponderatus oſtendit; æſtivo enim tempore, flante Euroborea, 2 unciis $\frac{1}{2}$ drachma inventus eſt gravior; poſt 2 menſes humidiore cœlo, flante Circio, $2\frac{1}{2}$ drachmis, adeoque aër $\frac{5}{33}$ gravior viſus eſt, quam prius, Barometro in eadem fere altitudine utrinque perſiſtente; ſic preſſio aëris in Barometro æqualis fuit, ſed in bilance pondus inæquale, quod vento aërem humoribus replenti adſcribitur. Sub Januarii initium humido cœlo, nec tamen pluvioſo, poſt acrius gelu, globus aëre impletus 3 dr. gravior eſt factus; ineunte Februario & pluvioſo & temperato, 3 dr. levior factus eſt. Exeunte Januario, ſæviente frigore, $4\frac{1}{4}$ unciis gravior inventus eſt; duplo itaque gravior quam in Junio experimento factus eſt. Anguſtiſſimorum tubulorum phænomena, quæ conſuetis ſiphonibus, & receptæ ſententiæ, continuum aquæ fluxum ex aëris gravitate provenire, adverſari videntur, explicantur ita, ut illi anguſtiores tubuli, non ut veri ſiphones, ſatis patentes ſint conſiderandi; non enim egent aëris externi gravitate, ſed aqua ſibi & parietibus mutuo glutine ſic adhæreſcit, ut tubus ſemper plenus remaneat, nec aqua niſi proprio pondere guttatim decidat.

Utilis cap. 2 occurrit obſervatio de plexu quodam radicum ſalicis, vulpis cauda dicto, quo aquæductus obſtruuntur; penetrant enim radices glutinem tuborum, & ita excreſcunt, ut tubos occludant, & motum aquæ intercipiant; facile autem deprehenditur, quænam ſalix caudam vulpinam emiſerit, nempe ea, quæ præ aliis vegeta virensque advertitur. Phoſphoro conficiendo urinam cereviſiam bibentium aptiorem eſſe, quam qui vinum potant, aſſeritur; ut & circa lapidis Bononienſis naturam mineralem quædam ſubjiciuntur, pariter quoque de conchyliis in lapides converſis; & notatu dignum, foſſilia inſulæ Melitenſis eſſe aut corpora organica, aut ſtirpes in lapides verſas

versas, e. g. serpentum dentes vulgo dicti carchariæ piscis aut lamiæ dentes censentur, qui una cum argilla alba, ex qua tota insula coaluit, in lapidem sint conversi. In reliquis autem locis terræ, maris libella altioribus, ejusmodi mutationes ex diluvio universali derivantur. Duo parhelia 2 April. observata sunt, Sole 7 grad. supra horizontem extante; centrum veri Solis distabat 24 gr. a centro spurii.

Varias atramenti vulgo sympathiæ dicti (quo nomine liquor omnis, qui in charta nullum relinquit vestigium colore tinctum, artificio tamen, eoque quadruplici, ope liquoris novi, vel aeris, vel ignis, vel terrenæ materiæ manifestandum, designatur,) præparationes docet Cap. 3. Nempe 4 unciæ lithargyrii in pulverem comminuti, aceti distill. 2 libræ imponantur vasi fictili, moderato igne bulliant per $\frac{1}{4}$ horæ, ligno semper agitatæ; filtratum liquorem in vase vitreo bene occluso serva. Pariter procedendum cum 2 unciis auripigmenti mixti cum 4 unciis calcis vivæ, & 4 libris aquæ communis. Priore liquore scriptura exarata & exsiccata, posteriore illinitur. Alius modus: Calci auri in aqua regali ad satietatem solutæ 6 aquæ communis partes affunde, serva in phiala: tum stanni puri rasuram pari modo in aqua regali solve, 2 aquæ comm. partes affunde, & separatim serva: priore liquore scribitur, exsiccata charta perfunditur madefactis in solutione stanni plumulis calami. Præparatio ex scoriis reguli antimonii & ex vitro ejusdem mineralis per duo menstrua omittitur. Ex vegetabilibus rosæ pallidæ & recentes contusæ spiritu vini rectificato affuso in pultem rediguntur, in Sole digeruntur, donec omni colore suo exuantur; liquor per linteum expressus phiala bene occlusa servatur. Scriptura hoc liquore exarata aceto distillato aut spiritu vitrioli debilitato manifestatur colore roseo. Aeri *exposita scriptura* ex solutione auri in aqua regali ad satietatem, (quæ aqua fluviatili diluitur, dum maculas flavas chartæ non inurat,) post horæ spatium diurno lumini exposita apparet; in arca vero asservata per 2 aut 3 menses citra colorem manet. Alii modi per solutionẽ argenti in aqua forti, adjecta aqua fluviatili; aut per amalgama ex æquis partibus argenti & mercurii, aquæ communis adjectione debilitati; aut per dissolutionem bismuthi; vel demum per minium aceto distil. solutum, omittuntur. Omnia hæc

Ee atra-

atramenta igni exposita in conspectum prodeunt. Majoris est usus, quam prima fronte videri queat, cisternarum in quibusvis privatis domibus applicatio ad aquas cœlestes pluviarum, saluberrimas, nec ita putredini, ut fere omnes terrestres aquæ, obnoxias, quotidianæ necessitati suppeditandas. Plumbeo nempe receptaculo opus est 1 hexapedæ cubicæ, quod 27 modios Paris. capit, cum cisternula purgandæ aquæ destinata, & ad receptaculi latus collocata, quæque fluviatili arena repleatur. Hoc receptaculum in loco bene occluso, ne aqua in glaciem concrescat, tuto collocari poterit; quo autem aqua e cisternula in cisternam derivetur, *D. de la Hire* censet, cisternulam non ex infima parte, ne forte sordes, aut terrestres pluviæ particulæ simul cum aqua exeant, & arenam cisternæ penetrantes eam subeant, sed tubulum plumbeum & instar siphonis inflexum sic aptandum putat, ut per receptaculi marginem pertranseat, cujus crus unum sabulum pervadens ad fundum usque cisternulæ pertingat, alterum cisternam subeat, ejusque orificium paulo sit depressius, quam alterius cruris orificium. Sic siphone semel impleto, aquæ cisternulæ & receptaculi inter se communicabunt, semper ad libellam positæ. Non eosdem effectus prodire ex quibusvis acidis vel alcali, colligitur ex liquore, qui e calce vel cum sale communi, vel ammoniaco fusa extrahitur: solutio per aquam communem per filtrum trajicitur, exhalatur leni igne, sal remanens in cella vinaria dissolvitur. Hic liquor tam oleo tartari per deliquium, quam spiritu vitrioli cogitur in coagulum album & firmum: spiritus salis ammoniaci paulo fluidiorem eum reddit. Hæc ad sanguinis humani fluiditatem per alcalia volatilia, & coagulationem per acida, imprimis terrestria, demonstrandam applicantur.

Continuantur Cap. 4 & 5 Chymica, ubi quantitas salis acidi in aceti distillati 27 unciis, inventa est 7 drachmarum, ope retinentis eam salis tartari, & ex 30½ unciis una uncia salis acidi prodiit. Observationes circa salem calculi humani; item nitri spiritum cum oleo sassaphræ, rubrum fumum emittentem; marcasitam quandam mercurio divitem; fixationem spiritus vini per sales fixos lixiviales; acidorum liquorum mitigationem per digestionem 4 annorum frustra tentatam, indicasse sufficiat. In Botanicis Cap. 6.

pi-

pigmenti celebris *cochenille* origo proditur ex arbore opuntia, in regione Americæ Guatemala, fructus proferente, qui ubi maturuorunt, finduntur, atque ex iis innumera exeunt insecta, quæ excussa linteis excipiuntur; ex iis obtritis fit pigmentum *cochenilla* dictum. Insecti dein in sycomoro inventi descriptio subjicitur. Discrimen quoque resinarum (quæ succi aut lacrymæ plantarum sunt, menstruo pingui &oleoso dissolubiles,cum aqua non facile miscentur,& flammam concipiunt) & gummi (quo nomine succus intelligitur coagulatus solidior, in aqua facile dissolubilis, nec facile inflammabilis) ex differentia salium, quibus utriusque succi olea, (resinæ quidem acidis, gummi vero alcali) concrescunt, petitur.

Inter Anatomica Cap.7. notabilis est defuncti cujusdam auricula dextra cordis adeo dilatata, ut caput infantis recens nati æquaret, & $1\frac{1}{2}$ libram sanguinis caperet. Ex ira vehementi, sed magno conatu inhibita, morbus ante 12 annos cœptus est. Dentium formatio,juxta naturæ consuetos progressus,compendio exhibetur; ut & explicatio aphorismi Hippocratis: *concocta, non vero cruda medicari oportet, ac movere, nisi materia turgeat; utplurimum vero non turget*, traditur. Vermis in rene canis inventus $2\frac{1}{3}$ pedes longus describitur. Ovaria mulieris in tumorem (qui graviditatis conjecturam diu fecerat) excrescentia, postque mortem 35 librarum pondus æquantia referuntur. Tandem membrana quædam in avium oculis, nigrum marsupium a *D.Perrault* vocata, describitur & figura æri incisa oculis sistitur.

Mathematica Sectione 2 tractantur. Ex Astronomicis, C. 1. & 2 collatio occurrit observationum Mercurii in Sole visi, ad longitudinum differentiam constituendam,inter Lutetiam & Cantonium in Sina 7 hor. 23′, Roterodamum 10′. 46″, Noribergam 34′. 41″, quam *D. Wurzelbauer* 32′. 20″, *D. Eisenschmid* ex variis Lunæ eclipsibus collatis 35′ definit. Determinatur dein medius motus primi Satellitum ♃; periodus quæ eclipses illius ad idem punctum temporis revocat, 1 d. 18 h. 28′. 36″ inventa est. Conjunctio demum 4 Planetarum, Lunæ cum ☉, dein ♂, ♀ & ♄ die 1 Januar. 1699 contingens, ad Epa-

ctarum Gregorianarum accuratam rationem monstrandam applicatur. Altitudinem poli *D. Cassinus* invenit Lugduni Batavorum $51^{\circ}.\ 9'.\ 45''$, Alcmari $52^{\circ}.\ 38'.\ 30''$. Hypothesis ab eodem ad faciliorem intellectum motuum Satellitum Jovis figura lineari exhibetur, ubi principii loco ponit, temporum intervalla inter eclipses cujusque Satellitis breviora esse, cum Jupiter ad suum aphelium pervenit, ubi motus Jovis tardior est, quam ubi in perihelio versatur, ac motus illius est velocior; variare illam inæqualitatem intervallorum penes diversas ab aphelio, aut perihelio distantias. Eclipses primi Satellitis contingunt intra unam Jovis revolutionem numero 2448; Jupiter autem ad suum redit aphelium intra 12 annos Julianos, minus 50 d. 9 hor. $10'$. hoc est, intra 4333 d. 14 h. $50'$.

Cometam die 2, 4 & 6 Sept. in Cassiopea visum Cap. 3 *sistit*. Motus ejus contra signorum ordinem in lineam rectam porrectus, a 1 observatione ad 3 usque, fuit $23^{\circ}.10'$; ad polum mundi propius 26° accessit. *D. Cassinus* eundem esse judicavit, qui A. 1652 visus est, prouti Cometam A. 1680 cum Cometa A. 1571 contulit: non longius enim a prioris Cometæ tramite digressus est, quam Luna in sua revolutione a superiori deflectit. Hinc licet primum in ea opinione fuisset, Cometas esse novos cœli fœtus, ex certa tamen æqualitate motus illius inæqualis, addubitare cœpit, annon forte Cometæ inter veros Planetas essent adscribendi, visibiles cum terræ sunt propiores, non item, cum a nobis longius removentur; prouti & cometarum planetarumque motus consimiles arguunt: respectu ad stellas fixas habito nodi variantes; celeritas major cum terræ sunt propiores, in æquis a perigæo distantiis æqualis; & peculiaris angulus quo orbitæ eclipticam intersecant. Quod si in his tribus duo diversis temporibus visi Cometæ conveniant, non abhorret a vero, unum & eundem esse Cometam.

Breve solum indicium Cap. 4 de Geometricis facit Autor problematum solutorum circa sectiones conicas, novam curvam in folii modum formatam, spirales, cycloides, superficies conorum obliquorum hactenus nondum inventas, divisionem anguli in quot libuerit partes æquales, resolutionem triangulorum citra opem tabula-

bularum finuum, lineas defcenfus gravium, dimenfionem diftantiarum inacceffarum, reflexionem radiorum. Prouti & Cap. 5 paucis notat, *D. Varignon* methodum generalem demonftraffe, qua curvæ ifochronæ juxta quamlibet hypothefin accelerationis motus in gravium defcenfu inveniuntur, adeo ut æquis temporibus diverfos arcus defcribant, in quacunque ratione (non folummodo Galilæana) ponatur acceleratio. Inæqualitas elateriorum, quæ varie in horologiis intenduntur, nota eft. Eam emendare liceret optime, fi fufus inveniretur, cujus radii, feu ab axe diftantiæ, effent in reciproca ratione cum elaterii viribus, hoc eft, fi in fufo radii per vires aut potentias elaterii in fufum agentis multiplicati ubique æquales fummas efficerent. Fufum in medio nonnihil excavatum effe oportere, compertum eft; quæ autem debeat effe illa cavitas, feu, quæ fit natura illius curvæ, quæ circa fuum axem rotata eum producat fufum, digna res vifa eft *D. Varignon* quæ perpendatur. Determinationes temporis a gravi corpore in defcenfu per quamcunque curvam impenfi; virium aquæ profluentis penes diverfas fluminis altitudines per machinam; motus Solis apparentis non medii, per novum penduli genus; celeritatis aquæ currentis, aut venti, per inftrumentum; diftantiæ loci ubi fulmen cuditur, vel tormentum exploditur, ex fonitu tardius audito & flamma citius confpecta, cum fonus uno minuto fecundo temporis 180 hexapedas percurrat; indicantur breviffime. Rotunditatem guttarũ liquoris ex æquali preffione fluidi, in quo gutta natat, provenire traditur; ceffante æquali preffione, rotundam effe definere. Si tubus capillaris conicæ fit figuræ & impleatur per anguftius ofculum, idq; inverfum ad perpendiculum horizontis erigatur, aqua defcendet; paulum inclinato tubulo, afcendet, quod aeris inferioris furfum enitentis major fit preffio in aquam inclinati plani, quam aeris fuperioris per arctius orificium tam facile fubire non valentis. Panem non fermentatum aqua dilui in pultis modum, fpiritu vini comminui in particulas duras inftar arenæ, quod ex particularum minutiorum per fuperficies terfas contactu provenit.

CIRCULARIS HUMORUM OCULARIUM MOTUS detectus a JACOBO HOVIO.

Non facile prætermittimus in his Eruditorum Actis observationes ac inventa nova, quæ cum Orbe Literato communicari operæ pretium censemus. Itaque cum forte incideremus nuper in Viri Clarissimi, *Jacobi Hovii*, Dissertationem inauguralem, pro gradu Doctorali in Academia Ultrajectina die 13 Julii anni superioris solenni examini submissam, ac deprehenderemus, circularem humorum ocularium motum, qui hactenus publice non innotuit, feliciter in ea detectum, tametsi Academicas ejusmodi Dissertationes in Actis his recensere non consueverimus, temperare tamen nobis non potuimus, quominus novi istius inventi cunctos harum rerum cupidos participes redderemus. Cum enim sanguinis circulatio, postquam detecta esset, & rationibus atque experimentis confirmata, tanto cum applausu excepta olim fuerit, nunc quoque jucundum erit ac utile cognovisse, quod humores oculares neque stagnent, neque per poros intro-foras spectantes dissipentur, sed continuo fluxu refluxuque, sanguinis ad instar, indesinenter in orbem vertantur, ut oculi vigor perpetuo conservetur, visusque rectius peragatur. Exhibebimus vero præcipuas, quæ ad rem spectant, figuras, e quibus & vasa circulationi illi humorum ocularium destinata, & circulationis modum facili negotio, qui rerum harum periti sunt, deprehendent.

TAB. II. Figura 2. Fig. 2. Caput Vitulinum exhibet, in quo ab una parte, rete novum arteriosum parenchymate denudatum, una cum vasorum excursu naturali; ab altera rete idem in situ conspicitur.

A. A. A. *Arteriæ carotidis intra orbitam ramificatio.*
B. *Rete nostrum novum, parumper e situ remotum.*
C. *Ductus novus e reti proveniens, supraque*
D. D. D. *nervum opticum flexus, in*
E. *a latere nervi prædicti incedit.*
a. *Divisio ejus in duos ductus: quorum*
F. *alter parum a latere nervi optici sejunctus, scleroticam adit, ac fontem efformat: qui in*
G. *divisus, eandem perforat.*
b b. *Ductuli, ex eodem fonte, in progressu per scleroticam, contorquentes.*

H. H.

H. H. *Ductus alter, supra opticum flexus, ac fontem in opposita parte constituens, cujus progressus tamen desideratur.*

e. e. e. *Ramificationes e surculo pranominati fontis.*

I. *Vas Nuckianum, ex*

K. *arteria carotidis ramo, intra cranium, procedens.*

L. *Vasis sympathetici (utriusque oculi arterias connectentis) portio.*

M. *Rete novum nostrum in situ naturali.*

N.N.N. *Musculi, retis aspectum inhibentes, separati.*

O. *Ductus novus in situ, prout ad*

P. *oculum tendit.*

Fig. 3. Caput Vitulinum monstrat: in quo tum abducentia vasa cum venoso reti in situ; tum adducentia, abducentia, duo retia sibi invicem intertexta, excarnata, oculis proponuntur. TAB. II. Fig. 3.

a. a. *Circulus venosus.*

b. b. b. b. *Ductus oculorum aquosi, crystallini, &*

c. c. *vitrei abducentes, humores circulo prædicto infundentes.*

d. d. *Ductus oculorum abducentes, qui e circulo venoso orti,*

A. *scleroticam ubi abscissa perforant, & juxta*

B. B. *progressi,*

C. *rete venosum in situ naturali, una cum aliis*

D. D. D. *vasis venosis, efformant.*

E. E. E. E. *Musculi, ne subjacentium aspectum inhiberent, suo loco remoti.*

F. *Portio arteriæ carotidis rete arteriosum emittens.*

e. e. e. *Rete arteriosum & venosum, sibi invicem intertexta.*

g. *Ductus e reti arterioso, a latere nervi optici incedens, cum ulteriori ad oculum excursu, ut in Fig. II. notatum.*

h. h. h. *Ductus tres oculorum abducentes; quartum tegit nervus.*

G. G. G. *Vasa venosa, rete partim constituentia.*

Fig. 4. Caput Caninum ostendit. Figura IV.

A. *Arteria carotis.*

B. *Ramus nervum paris quinti concomitans.*

C. *Alter*

C. *Alter in duos divisus; quorum*
D. *prior*,
E. *emisso*,
F. *nervum opticum percurrit, ac in duos divisus ramulos; quorum*
G. *unus a latere nervi prædicti incedens*,
H. *fontem in sclerotica constituit:*
I. *alter infra opticum flexus ab opposito nervi latere, pro*
K. *fonte tendit.*
L. *Ductus e fonte in progressu ortus, cum*
a. a. *ramificationibus suis intra duplicaturam sclerotidis.*
M.M *Circulus arteriosus.*
b. *Ductus oculorum aquosi adducentes.*
cc.— *e sclerotica circumferentia, hunc circulum ingredientes, Cl. Nuckio pro ductibus oculorum aquosis demonstrati.*
N.N. *Posterior cranium ingrediens cerebrum alluit, e quo*
d. *vas Nuckianum, a latere nervi optici, intra cranium incedit.*
e. *Vas sympatheticum, prout a*
B. *nervo optico ad alterum latus deflectit.*
f. *Portio vasis Nuckiani, ubi in vas nostrum sympatheticum incidit.*
O O. *Duo ductus oculorum abducentes, qui in*
Q. *coaliti, in*
R. *sinum venosum, ex*
S S S. *vasis venosis efformatum incidunt.*

TAB. II. Figura V. Fig. 5. Fontes supra scleroticam, cum gyris ac anfractibus, ductusque ad vitreum, ad aqueum, cum circulo arterioso ad vivum depingit.

A. *Ductus noster novus in*
B.B. *duos fontes divisus, supra*
C.C. *sclerotidis portionem,*
D.D.D. *variis gyris ac anfractibus flectitur.*
a. *Ramusculi duo, ex fonte uno prorumpentes.*
F.F. *Divisio fontium, qui in*
b. b. *scleroticam perforantes*

F.F. *che-*

F. F. *choroideam pro*

G. G. G. *circuli arteriosi efformatione percurrunt.*

c, c, c, c, c, c. *Ductus oculorum aquosi adducentes.*

d. d. d. d. d. d. *Ductuli laterales e fontibus mirabiliter, ac instar Meandri artificiosissimi, per scleroticam se contorquentes.*

e. e. e. e. e. e. *Ductuli e prædictis gyris producti, pro vitrei re-*

f. f. f. *stauratione choroideam densa serie percurrentes.* TAB. II.

Fig. 6. Humorem vitreum, in cellulas divisum, oculis spectandum subjicit. Figura VI.

Fig. 7. Tunicam choroideam explanatam & revolutam exprimit. Figura VII.

A. A. A. A. *Choroidea tunica ac uvea.*

B. B. *Fontium portiones.*

C. C. C. *Circulus arteriosus, ob*

a. a. *tunicam uveam revolutam, ut*

b. b. b. b. *ductus crystallini adducentes cum divisionibus, ex posterioribus circuli anfractibus prorumpentes exhiberentur, nudus.*

D. *Calculus circulum arteriosum obstruens.*

c. c. c. c. c. *Ductus humorem vitreum advehentes, Figura V demonstrati.*

d. d. d. d. *Ductus aquosi adducentes ex anterioribus circuli anfractibus.*

Fig. 8: Vasa abducentia per choroideam explanat. Figura VIII.

A. A. A. A. *Tunica choroidea ac uvea.*

a. a. a. a. a. a. *Ductus vitrei* } *humores in*
b. b. b. b. b. b. — *aquosi cum suis osculis* }
c. c. c. c. c. c. —— *crystallini* }

C. C. C. *circulum venosum abducentes.*

D. *Circuli venosi duplicatura.*

B. B. B. B. *Ductuum oculorum abducentium portiones.*

E. E. E. *Tres calculi diversæ magnitudinis, in ductibus aquosis abducentibus reperti ac conservati.*

F. *Frustulum cataractæ perfectæ, quo oculus laborabat, in situ relictum.*

SECTIONUM CONICARUM ELEMENTA NOVA *methodo demonstrata, Autore JACOBO MILNES, Rectore de Ingestre in agro Staffordiensi.*

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, impensis Antonii Peisley, 1702. in 8.

Constat 12 plagulis & 19 ære expressis.

AUtor in his Elementis concinnandis id potissimum egit, ut præcipuas sectionum conicarum proprietates, quam posset, breviter & dilucide demonstratas daret. Hunc in finem proprietates cognatas conatus est generalibus ut plurimum theorematis complecti, & resectis multis, quæ aliarum demonstrationibus præmitti solent, tantum usu commendatas, aut e quibus penitior natura sectionum perspecta sit, inseruit; has denique eo ordine disposuit, ut posteriora a prioribus facili continuo nexu pendeant. In principalioribus sectionum affectionibus eliciendis, pro instituti ratione, methodo peculiari usus est, operis compendio prospecturus, simulque effecturus, ut proprietates haud paucas, alias schematibus intricatis laborantes, in plano demonstrare concessum sit. In cæteris maluit trita via incedere, quam nova ubique demonstrandi media conquirere, fateturque in præfatione ipse, quod Philippi de la Hire (alio librorum subsidio destitutus) demonstrationes plerumque adhibuerit: ex quo etiam propositiones lemmaticas, quotquot usui erant, huc transtulit. Ipsam tractationem in quinque partes divisit.

Pars prima duas habet sectiones. In *priori sectione* præmissis definitionibus superficiei conicæ, & oppositæ, nec non verticis atque baseos & axis coni, ut & solidi conici, factaque partitione coni in rectum & scalenum, generale sectionis conicæ nomen explicat, non omissis pronunciatis, quæ ex definitionibus tanquam corollaria sequebantur. Quibus subjungit theoremata generaliora & simpliciora conica, ita quidem, ut non solum multas cognatæ demonstrationis propositiones inde tanquam corollaria deducat, sed etiam specialioribus proprietatibus viam pedetentim præparet. *Propositio prima*, quæ e genesi & definitione superficiei conicæ clara est, hæc est: rectam per quodvis superficiei punctum

a ver-

a vertice ductam, totam contineri in superficie. *Propositio secunda:* Si per duas tales rectas a vertice ductas lineas planum transire concipiatur, id superficiei tantum in duabus dictis lineis occurrere; ergo planum illud inter dictas lineas contentum intra superficiem conicam contineri, atque, si pariter secet basin coni, esse triangulum. *Propositio tertia:* Rectam, quæ connectat bina puncta in eadem superficie, cadere intra conum; sed quæ connectat duo puncta in oppositis superficiebus, cadere extra conum. *Propositio quarta* theorema tale futuris usibus præmittit: Si basi circulari detur contingens, planum superficiei conicæ juxta hanc contingentem applicatum contingere superficiem conicam in linea a vertice ad punctum contactus ducta; neque aliud planum præter dictum juxta hanc dictam contingere conum: ut adeo (quod *Propositio quinta* peculiariter monstrat) facile sit, data linea basin contingente, planum contingens superficiei conicæ adaptare. *Propositio sexta* docet lineam quamvis, quæ parallela est lineæ a vertice ad punctum contactus in basi ductæ, (modo non sit in plano contingente) necessario oppositæ uni superficiei unico in puncto tantum occurrere, & partem unam ejus totam extra, partem alteram totam intra conum reperiri. *Propositio septima:* Rectam a quovis superficiei puncto parallelam rectæ per verticem intra conum ductæ oppositæ superficiei in unico puncto occurrere, atque sic planum per hanc rectam utrique superficiei occurrere, & vice versa. *Propositio octava, nona, decima* agunt de sectione basi parallela & subcontraria. Subnectit hisce definitiones speciaiores sectionum hyperbolicæ, ellipticæ, parabolicæ, pro subsequuturis theorematibus, quæ multo planiores sunt Apollonianis, præsertim si præcedentia theoremata habeat quispiam perspecta, & faciliorem affectionum demonstrationem suppeditant. Hyperbolen definit esse, si planum plano per verticem intra conum transeunti parallelum secet superficiem conicam: idemque si secet oppositas superficies, vocari sectionem oppositam. Ellipsin esse sectionem plano per verticem, sed extra conum transeunti parallelam. Parabolam vero sectionem esse plano conicam superficiem contingenti parallelam. Unde absque demonstratione sequebatur, parabolam & hyperbolam non concludere spatium, ellipsin vero id facere, circulum ellipsibus annume-

randum esse, rectam quæ connectit quævis duo sectionis puncta totam esse intra sectionem, eam vero quæ connectit duo sectionum oppositarum puncta extra sectionem esse, per tertiam propositionem præcedentem. His subjungit theoremata illis definitionibus innixa, & ex planorum tangentium & secantium natura explicanda. *Propositio undecima* est: communem inter sectionem planorum tangentis & secantis conum, contingere sectionem, neque aliam præter hanc unam in eodem puncto sectionem tangere: tangentes vero plures tales in hyperbole & parabola necessario concurrere, in ellipsi autem & sectionibus oppositis posse esse parallelas, & quæ tangat hyperbolen, non occurrere sectioni oppositæ. *Propositio decima quarta* ita explicat naturam asymptotων, ut ea ex nuda inspectione figuræ & schematis deprehendatur, nempe si secundum rectas in superficie, quæ triangulum intra conum illud, cui hyperbolica sectio parallela est, continent, duo plana applicentur contingentia, illa a plano sectionis extra conum producto ita secari, ut nunquam tamen sectionem contingant. Ex quo sequebatur larga consectariorum series, imprimis vero hoc, quod quamvis asymptoti, utut in infinitum continuatæ, non contingant hyperbolen, semper tamen propius propiusque ad eandem accedant. Subnectit hisce lemma, quo demonstrat, rectangula ex segmentis lineæ basi coni parallelæ, inter quodvis sectionis punctum & asymptoτες interceptis, tum inter se æquari, tum cum quadrato dimidiæ inter asymptoτες verticem contingentis; cujus demonstrationis fundamentum ex 36. tertii Euclid. cum definitione hyperbolæ collata desumtum est. *Propositio decima quinta* generalius demonstrat, si binæ parallelæ sive oppositis sectionibus, sive eidem sectioni, & asymptotis in duobus punctis occurrant, rectangula ex segmentis dicto modo facta esse inter se æqualia. Præmisso deinceps facili lemmate *Propositione 16.* subjungit: in hyperbole, & sectionibus oppositis, si binæ quælibet rectæ, vel utraq; ad eandem, vel utraq; ad oppositas, vel singulæ ad singulas, vel altera ad unã, altera ad oppositas sectiones utrinq; terminatæ, & (si opus est productæ) sibi mutuo occurrant in aliquo puncto, & utrique asymptoτων, adeoque occursus unius lineæ fiat in quatuor punctis; rectangulum unius lineæ ex segmento majore; quod est inter punctum asymptoti, & punctum se-

ctio-

ctionis,& segmento minori inter talia puncta ad rectangulum ejusd. lineæ ex segmentis inter punctum communis occursus & puncta sectionũ interjectis habere eandẽ proportionem inter sese, quam rectangula alterius lineæ a similibus segmentis facta. Quid in hoc casu porro fiat, si binæ parallelæ a quacunq; linea vel parallelis binis intersecentur, docet *Propositio decima septima.* Eademque ad parabolam, ut & ad ellipsin *Propositio decima octava* accommodat.

Subsequitur hanc in sectione *Partis I. secunda Propositio decima nona*, quæ generaliter ex natura asymptoτων, propositione decima quarta expensa demonstrat, quod si contingentes vel concurrant vel parallelæ sint, puncta vero contactus linea recta connectantur, quamlibet rectam huic parallelam ita sectionem secare, ut spatia inter sectionem & contingentes sint æqualia. *Propositio vigesima* demonstrat, per punctum concursus & rectæ contactus connectentis medium (aut si contingentes sint parallelæ per medium dictæ lineæ, contingenti parallelam) ductam rectam omnes lineas intra sectionem parallelas bifariam secare. Lineam hanc subjungit vocari diametrum, parallelas bifariam sectas vocari ordinatas, diametri partem inter vertices (hoc est sectionum punctis, quibus occurrit) interceptam vocari diametrum transversam, partem vero inter verticem & ordinatam vocari abscissam; quibus definitionibus per corollarium ex Propositione 17 & 18 subjungitur, rectangula in { ellipsi / hyperbole } ex { differentia / summa } lateris transversi & abscissæ in abscissam, habere eandem proportionem, quam quadrata semiordinatarum: in parabola vero quadrata semiordinatarum habere proportionem inter sese eandem, quam abscissæ. *Propositio vigesima prima & secunda* monstrat, lineas in oppositis sectionibus & ellipsi per medium punctum diametri transversæ duobus sectionis punctis occurrentes bifariam secari; atque omnes diametros per hoc punctum intersectionis transire, vocari vero punctum illud sectionis Centrum. Quare *Propositio vigesima tertia* demonstrare poterat, quod linea per centrum ordinatis parallela bisecet omnes diametro parallelas lineas: lineam hanc annotat vocari diametro conjugatam, & in specie si æqualis sit contingenti verticem inter asymptoτως (oppos. section.) interceptæ, vocari diametrum secundam. Ergo inter qua-

quadrata lateris transversi, & diametri secundæ sive conjugatæ, per propositionem 16 esse talem proportionem, qualis in {hyperbole / ellipsi} inter rectangulum ex {summa / differentia} diametri transversæ & abscissæ in abscissam, & quadratum semiordinatæ. Unde ulterius *Propositio vigesima quarta* ostendit, quod quadratum semiordinatæ in {hyperbole / ellipsi} æquetur rectangulo ex {summa / differentia} diametri transversæ & abscissæ in tertiam proportionalem ad diametrum transversam & secundam, {addita / demta} quarta ad has tres proportionali. Tertiam modo dictam proportionalem parametrum sive latus rectum vocari, & rectangulum ex quavis diametro (*transversa*) & parametro vocari figuram. Si angulus asymptotων sit rectus, parametrum diametro utrique æquari, & hyperbolen vocari æquilateram: porro inter rectangulum ex {summa / differentia} diametri transversæ & abscissæ in abscissam, & quadratum semiordinatæ esse eandem proportionem, quæ est inter diametrum transversam & parametrum. *Propositio vigesima quinta* ex corollario proposit. vigesimæ docet, quadratum semiordinatæ æquari rectangulo ex abscissa in tertiam ad abscissam & semiordinatam proportionalem, hancque tertiam proportionalem esse ipsissimam parametrum sive latus rectum. *Propositio vigesima sexta* demonstrat, quod, si in parabola binæ sint diametri occurrentes rectæ cuidam sectionem utrinque contingenti, rectangula hujus lineæ ex segmentis ab occursibus diametrorum factis habeant proportionem, quam portiones inter occursus & sectionem interceptæ. *Propositio vigesima octava:* si in hyperbola & sectionibus oppositis ducantur a duobus sectionis punctis binæ binis parallelæ ad asymptotους terminatæ, rectangula linearum ab uno puncto procedentium esse inter se æqualia. Hisce subjungit problemata generalia, quomodo in singulis sectionibus inveniatur diameter, (in sectionibus oppositis & ellipsi etiam centrum) quomodo ordinatæ ad datam diametrum appli-

applicentur, quomodo, dato quovis puncto, applicetur contingens, quomodo asymptoti, & tandem parameter inveniatur.

Pars altera occupata est circa proportiones segmentorum in lineis intra vel extra sectiones sese intersecantium, & circa affectiones inde profluentes. Præmittit unicam definitionem divisionis harmonicæ; hanc nempe vocat, quando linea per tria puncta ita dividitur, ut qualis proportio inter totam lineam & alteram extremam partem, talis quoque sit inter alteram extremam partem & mediam. Puncta divisionis vocat puncta harmonicalia. Huic definitioni subjungit corollaria, quæ uti usum haud spernendum habent, ita facilia sunt, dummodo quispiam doctrinam de proportionibus ex elementis habeat cognitam. Præmittit porro lemmata ex corollariis fere deducta, nempe si linea sit harmonice secta, & quævis pars extrema cum media pro una tota linea sumta bisecetur, (1) bisectionem esse mediam proportionalem inter differentiam partis mediæ & bisectionis, & inter summam partis extremæ & bisectionis; (2) differentiam bisectionis & partis mediæ mediam esse proportionalem inter bisectionem & alteram partem extremam; (3) alteram extremam ad eandem cum media, ut eadem cum bisectione ad totam esse; (4) ut alterum extremum ad mediam cum ipso hoc extremo, sic bisectio ad alterum extremum, bisectionis punctum habens; (5) ut tota ad alteram extremam cum media, sic bisectio ad mediam partē. His interserit definitionē linearū harmonicaliū, quas vocat lineas per puncta harmonicalia ductas, vel parallelas inter sese, vel ad unum punctum concurrentes, (6) & (7) cuivis harmonicalium parallelam ductam per tres reliquas secari bifariam & vice versa. (8) Si recta quædam quatuor harmonicalibus quomodocunque occurrat, hanc secari harmonice. (9) Si duæ harmonice divisæ, habeant unum punctum harmonicale commune, harmonicales per puncta reliqua ductas esse vel parallelas, vel concurrere in puncto communi &c. Sequitur *Propositio prima:* si quamvis sectionem, etiam oppositas, contingant duæ rectæ, & contactibus connexis e puncto concursus contingentium ducatur alia recta in duobus punctis sectioni occurrens, ut & lineæ contactus connectenti, hanc harmonice secari a punctis occursus: per corollaria vero specialiter deducit, quid tum fiat, si quando punctum concursus contingentium reperiatur in diametro, vel linea a puncto

con-

concursus ducta sit asymptotis parallela. *Propositione secunda*, in parabola puncti concursus duarum contingentium distantiam a vertice æquari abscissæ, pulchra admodum methodo demonstrat denuo, cum ex præcedente jam tum per consectarium innotuerit. *Propositio tertia*, si sectionem contingant duæ rectæ, & puncta contactuum connectenti per concursus punctum agatur parallela, rectam a quovis hujus actæ puncto per mediam connectentis ductam, occurrentemque duobus sectionis punctis, secari harmonice ex propositione prima, & sexto septimoque lemmate demonstrat. Ex his *Propositio quarta* a quovis puncto contingentes ducere docet. *Propositio quinta*; si a linea quadam in plano sectionis nec sectioni, nec centro occurrente demittatur diameter, & ab eodem puncto duæ contingentes contactibus per rectam a diametro intersectam connexis, demonstrat ex propositione tertia, quamvis lineam, quæ connectat quarumlibet contingentium contactus, in anteducta lineam transire per intersectionis diametri punctum. *Propositio septima:* si linea recta non transiens per centrum occurrat sectioni (sectionibus oppositis) in duobus punctis a puncto vero hujus lineæ extra sectionem sumto, ducantur duæ contingentes, quarum contactus recta connectantur, docet in hac recta connectente extrinsecus protensa reperiri punctum, in quo conveniant tangentes ad primæ lineæ occursus applicatæ. Septimæ conversam *octava Propositio* continet. Ex septima demonstrat *Propositio nona*, quod, si duæ tangant sectionem, & in linea tactus connectente sumatur punctum extra sectionem, a quo aliæ duæ lineæ tangentes ducantur, hasce illis occurrentes mutuo se harmonice secent. *Propositio decima:* si in ellipsi & sectionibus oppositis ad terminos diametri applicentur contingentes, quæ occurrant alii cuivis tangenti, rectangulum ex tangentibus prædictis æquari quartæ parti figuræ. Quartæ ergo parti figuræ etiam æquari quadratum dimidii diametri secundæ: huic vero proprietati in parabola respondere, quod quadratum lineæ, quæ inter verticem & quamvis tangentem interjacet, æquetur parti quartæ rectanguli ex abscissa & parametro.

Pars tertia proponit eas affectiones, quæ sectionibus quam maxime competunt propter occursum circuli & sectionis. Præmittit unica definitione, circulum tum dici sectionem quamvis tangere,

gere,

gere, quando per punctum concursus duci possit recta utramque curvam tangens. *Propositio prima:* Circulum sectioni conicæ non circulari ad summum occurrere in quatuor punctis, vel in tribus, si unum sit contactus punctum, vel in duobus tantum, si duo sint contactus puncta. Demonstrat hoc εἰς ἀδύνατον ex doctrina sectionis harmonicæ. *Propositio secunda & tertia* docent invenire axes. *Propositio quinta* docet ducere diametros, quæ ordinatas intersecent ad angulũ dato angulo (qui tamen in ellipsi nec major majori, nec minor minori inter binas axem utrumq; connectentes contento esse debet) æqualem. *Propositio sexta* docet idem in parabola facere. *Propositio septima* demonstrat, diametrum in hyperbole secundam minorem esse quavis alia intra asymptotos sectionem contingente. *Propositio octava:* si in parabola ducantur duæ contingentes, tangens a puncto quod proximius est vertici, est brevior altera. *Propositio nona:* Circulus, qui in duobus punctis sectionem tangit; quoad reliqua peripheriæ puncta totus est intra sectionem, vel, si centrum circuli sit in minori ellipseos axe, totus extra sectionem. *Propositio decima*: si in quavis sectione conica axi applicetur ordinata, & puncto occursus ducantur tangentes concurrentes in axi prolongato, & ab uno ordinatæ extremo ducatur diameter, huicque ab altero extremo applicetur ordinata nova, circulus, qui novæ ordinatæ in utroque extremo occurrit, & præterea tangentem tangit, ex altera parte intra, ex altera parte extra sectionem erit. *Propositio undecima:* iisdem positis, si nova diameter ab eo puncto, a quo nova ordinata ducta erat, ducatur occurrens circulo, hæc linea erit æqualis parametro hujus novæ diametri. *Propositio duodecima:* si parabolam tangat linea, eidemque ducatur parallela duobus sectionis punctis occurrens, & a punctis contactus & occursuum applicentur ad quamvis diametrum ordinatæ, a puncto tactus ductæ, duplum æquabitur summæ reliquarum, si sint ad eandem diametri partem, alias earum differentia. *Propositio decima tertia* ex præcedenti infert, si circulus in quatuor punctis occurrat sectioni, semiordinatas ex una parte æquari semiordinatis ex altera parte: si tribus, semiordinatam ex contactu bis sumtam æquari reliquis: si in duobus, semiordinatam ex contactu ter sumtam æquari reliquæ, ex sectione ductæ. *Propositio decima quarta:*

Gg si pa-

si parabolam linea tangat, & e contactu dimittatur in axem semiordinata, & alia perpendiculariter tangenti insistens, pars diametri inter perpendicularem & semiordinatam intercepta, æquabitur dimidiæ parametro. *Propositio decima quinta:* si in parabola sit axis, & applicetur semiordinata, & per punctum ordinatæ ducatur alia diameter, hujus parameter quadruplo abscissæ superabit axis parametrum.

Pars quarta continet theoremata, quæ ad focum focique distantiam pertinent. *Propositio prima:* si circulus sit descriptus super diametro majori ellipseos, vel sectionum oppositarum, & a quavis sectionum tangente intersecetur, a punctis vero intersectionum utrinque excitentur perpendiculares usque ad axem, rectangulum ex dictis perpendicularibus æquari (1) figuræ quartæ parti, (2) rectangulo, ex portione axis inter occursum perpendicularis & verticem intercepta in { summam / differentiam } diametri, & dictæ portionis in { oppos. sectionibus / ellipsi } demonstratio desumta est ex propos. 10 part. 2. *Propositio secunda:* si ad parabolam quævis tangens ducatur, ex vertice vero axi perpendicularis excitetur, occurrens tangenti, & ex puncto occursus hujus excitetur perpendicularis, occurrens axi, portionem axis inter occursum & verticis punctum æquari $\frac{1}{4}$ parametro, puncta occursus, in utraque propos. præced. notata, vocari focos. Subjicitur his commune corollarium: semiordinatam applicatam ad focum æquari $\frac{1}{2}$ parametro, connexam vero, hoc est lineam, quæ ab extremitate diametri secundæ, aut axis conjugati ad focum ducitur, in ellipsi semidiametro majori, in hyperbole vero connexam, hoc est, quæ a centro ad extremitatem diametri conjugatæ vertici applicatæ ducitur, distantiæ foci & centri æquari. *Propositio tertia:* si in sectionibus oppositis & ellipsi ab utroque foco ad quodvis unicum ejusdem sectionis punctum ducantur rectæ, per idem vero punctum ducatur tangens sectionem, angulos inter tangentem utrinque & dictas rectas interceptos inter se esse æquales. *Propositio quarta:* si in parabola ad quodvis sectionis punctum a foco linea ducatur, & per idem punctum tan-

tangens & alia axi parallela ducatur, duas istas lineas utrinque super tangentem facere angulos æquales; porro tangentes binas parabolæ concurrentes continere angulum dimidium ejus, qui continetur inter rectas e foco contactibus occurrentes. *Propositio quinta* per tertiam hujus partis & secundam sexti elementorum Euclid. expedite demonstrat, quod in { ellipsi summa / hyperbole differentia } rectarum ab utroque foco ad idem sectionis punctum ductarum æquetur axi, sive diametro transversæ. *Propositio sexta:* si ab utroque foco ducantur rectæ ad idem sectionis punctum in hyperbola & ellipsi, & per idem punctum tangenti excitetur perpendicularis occurrens axi, ab occursus puncto demittatur perpendicularis in utramque a focis lineam, resecabunt illæ portiones tum inter se, tum dimidio parametro æquales, idque ex præcedente demonstratur. *Propositio septima:* distantiam foci esse in { hyperbole / ellipsi } mediam proportionalem inter semiaxem majorem, & ejusdem ac semiparametri { summam / differentiam }. *Propositio octava:* in omni sectione conica, si linea transeat per focum, & in extremis ejusdem sectioni applicentur tangentes { concurrentes / parallelæ } recta per focum { & concursum / tangenti parallela } faciet ad focum angulos rectos. *Propositio nona:* si in sectionibus oppositis & ellipsi detur uterque focus, & in axe majori (in ellipsi extra sectionem continuato) sumatur punctum, cujus distantia a vertice sit quarta proportionalis ad distantiam focorum, axem & distantiam foci a vertice, per punctum vero illud agatur linea recta axi ad angulos rectos, & a quovis sectionis puncto ducatur in prædictam recta axi parallela, & alia ad focum, inter has duas esse talem proportionalem, qualis est inter axem & distantiam focorum. *Propositio decima:* si in parabolæ axe prolongato sumatur punctum, cujus distantia a vertice sit æqualis distantiæ foci a vertice, per illud vero agatur linea ad angulos rectos, linea a quovis sectionis puncto ad focum æquabitur lineæ ab eodem puncto ad prædictam lineam axi παραλλήλως ductæ. *Propositio undecima:* si in parabola foco applicetur semiordinata etiam extra sectionem continuata,

& a puncto quovis sectionis in ordinatam demittatur perpendicularis, aliaq; ab eodē puncto ad focum ducatur, harum { summa / differentia } si perpendicularis { intra / extra } sectionem ordinatæ occurrat, semiordinatæ isti h. e. semiparametro æquatur. Adjungitur huicce, *Propositione duodecima*, unicum problema, quomodo juxta prædictas affectiones in quavis sectione focus debeat inveniri.

Pars quinta continet quinque problemata, (1) per datum intra asymptotos punctum describere hyperbolen. (2) Datis quibuscunque diametris conjugatis & se mutuo bifariam secantibus describere ellipsin. (3) Data diametro & vertice, lineaque verticem contingente, & alio quovis, per quod sectio transeat, puncto, parabolam describere. (4) Dato axe & utroque foco, describere hyperbolen & ellipsin. (5) Datis parabolæ axe, vertice & foco, describere sectionem. In quibus omnibus Auctor suæ sibi constitutæ methodi memor procedit, & figuris æneis mira facilitate discentium studia excitat.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII THEORIA *Saporum Medica.*

Jenæ, sumptibus Joh. Bielckii, 1703, in 4.
Alphab. 2.

RAri & pauci sunt autores, qui de Saporibus ex professo scripsere, si unum & alterum exceperis, qui particulatim hunc illum delibarunt, ut instar omnium *Laurentius Gryllus*, libro *de dulci & amaro.* Et licet tum Physici, tum Medici eosdem exquisiverint, parcius tamen fere & leviori brachio videas tractatos, inprimis quoad agendi modum, & usus ex illorum κράσει fluentes.

Annisus ergo est Illustris totoque literato orbe Celeberrimus Autor, primum distinctim scrutari, hinc conjunctim jam examinatos publicæ luci exhibere; veterum sapientiam novis coæquans dogmatibus, simplici via ad usum & theoriam directa. Tota hæc experimentis, rationibus & axiomatibus superstructa SECTIONIBUS XI ordine absolvitur, conformi in singulis methodo, tribus summis capitibus absoluta. Agit

Agit enim Cap. I. de *Natura* cujusvis, ubi (1) præmissis distinctionibus specialibus, (2) subjungitur definitio, (3) phænomena, effectus mechanici, experimenta chimica & practica, adeoque originem & causam saporum omnium ad principia Chimica potissimum redigens, indeque illustrans particulas, figuras, mechanicam genuinam, quod singula præstare nesciunt, a sociatis expectat.

Sal primum sapidum in omnibus asserit, & sal geminum in omnibus mixtis agnoscit, cum sulphure & mercurio, quorum modificatione, textura, prædominio, mixtura, non omisso seminario, ut ipse *Gryllus* fatetur, & fermento diverso hæc omnia absolvuntur.

Applicat hoc seorsim *Sect. I* Acido, a salis acidi eminentia, & expansione;

Sect. II Amaro, e sulphuris & alcali modulis enato;

Sect. III Dulcibus, ab acido cum sulphure æquabiliter remixto, quod experimentis debitis demonstrat;

Sect. IV Aromaticis, a sale volatili oleoso grato expanso;

Sect. V Acribus, a salis expliciti eminentia;

Sect. VI Corrosivis, a sale magis vel minus acri, & gustu & tactu deprehendendo;

Sect. VII Austeris & Acerbis, ab acido terreo coadunito;

Sect. VIII Oleosis, a principio sulphureo-aqueo;

Sect. IX Terreis, a terræ varie mixtæ, explicitæ & laxioris, eminentia;

Sect. X Aqueis, ex aquæ varie mixtæ prædominio, & tandem

Sect. XI Salsis, a salis medii potissimum, hine & alcalici ἐξοχῇ oriundis; ubi & τῶν καλεμένων ἅλων, seu *appellatarum Halarum*, præter alia plura meminit.

Ubivis vero junctas offendas differentias specificas, a modulo afficiendi & effectu desumptas; ut acida stringant & pungant: amara laxent & stringant; dulcia laxent ac demulceant: aromatica calefaciant, stimulent & reficiant: acria laxent & pungant: corrosiva absumant & destruant: austera & acerba stringant & asperent:

 oleo-

oleosa laxent, lævigent ac demulceant: terrea stringant ac demulceant: aquea refrigerent, humectent & laxent: salsa abstergant.

Hinc CAP. II in recensendo *Usu* occupatus, distinctis notionibus & positionibus, progreditur a qualitatibus, (quæ quid sint, non minus, ac principiorum hinc inde originationem, & terminos usitatos, passim dilucidat) primis ad secundas & tertias, communes, specificas, internas & externas, omnium & singulorum uberrimas.

Tandem CAP. III *Abusum*, nocumenta & cautelas debitas, in generibus quibusvis, accurate investigat, non omissis effectibus morbosis, in partibus corporis variis occurrentibus & applicatis, ut prosint, non noceant, filo Ariadneo manuducens.

Summatim vires medicamentorum, velut per *σύγκρισιν* e saporibus enatas cognoscendas & applicandas, juxta laudata eorum genera, aliis contra eruere & exhaurire satagit, experientia multorum annorum propria confirmat, stabilitque, quot axiomata, tot, imo plura experimenta dilaudans, ut in via regia progressuris ex praxi theoriam saporum medicam succinctam formatam abunde liceat perspicere & æstimare.

CONCORDIA. Christliche wiederholte einmüthige Bekäntniß / ꝛc.

hoc est:

CONCORDIA. PIA ET UNANIMI CONSENSU repetita Confessio fidei & doctrinæ Electorum, Principum & Ordinum Imperii, atque eorundem Theologorum, qui Augustanam Confessionem amplectuntur. Editio nova, Articulis Visitatoriis aucta. Appendicis vice Historico-Theologicam Introductionem in Libros Ecclesiarum Lutheranarum Symbolicos addidit M. HENRICUS PIPPING, Ecclesiastes ad D. Thomæ Vespertinus Lipsiensis.

Lipsiæ, apud Joh. Ludov. Gleditschium, 1703. in 4.
Constat Alphab. sex cum dimid.

QUi D. AUGUSTI, Electoris Saxoniæ, auspiciis A. 1580 primum idiomate vernaculo prodiit, Christianæ Concordiæ Liber,

ber, Auguſtanam Confeſſionem ejusdemque Apologiam, Articulos Schmalcaldicos, utrumque Catechiſmum Lutheri, & denique Formulam Concordiæ ſtricte ſic dictam complectitur, merosque adeo tractatus exhibet, qui ſcriptorum Symbolicorum auctoritate in Eccleſia Lutherana pollent, ac, cum inſuper dicto ſolenni ſacramento doctrinæ in iis poſitæ ſe adſtringant ii, qui publicis officiis, & Eccleſiaſticis imprimis Scholaſticisque, in his oris defunguntur, ſuo merito omnium manibus terendi ſunt. Sed cum inde ab anno 1622 bibliopolarum nullus Germanicam eorum editionem denuo ſuſceperit, iſtius vero ultimæ exempla dudum diſtracta fuerint, ſolertiſſimus Gleditſchius laudabili inſtituto hanc operam in ſe ſuſcepit, & ut primæ illi per omnia conformis redderetur hæc, ſolicite curavit. Addi quoque curavit Articulos Viſitatorios, A. 1592 in Electoratu & provinciis ſuperioris Saxoniæ publicatos, quibus aliæ editiones Germanicæ haud inſtruuntur. Ut autem ſcriptorum modo memoratorum hiſtoria illis, quibus ea aliunde nondum innotuit, pateſieret, Introductionem peculiarem in notitiam eorundem ſubnexuit Plur. Rev. *Pippingius* noſter, & (ad eum fere modum, quo in Parte prima Appendicis tripartitæ, editioni librorum Symbolicorum Latinæ A. 1677 primum ſubjunctæ, proceſſit Celeberrimus Rechenbergius,) poſt generalem de ſcriptis Symbolicis, ac de libris, quos Papæi, Calviniani, Sociniani, Arminiani & Anabaptiſtæ hunc in cenſum referunt, tractationem, ſtatim ad ſcripta Lutheranorum Symbolica pergit, & præter tria Symbola Oecumenica, unumquodque in Concordiæ libro ulterius comparens ſpeciatim deſcribit, nec ſub finem tractatus quosdam alios publica autoritate ſcriptos indicare omittit.

JOH. BARTHOLDI NIEMEIERI, PHILOS. ET SS. Theol. D. utriusque in Acad. Julia Profeſſoris Publ. Ordinar. Facult. Philoſoph. Senioris, Theologia Dogmatum Fidei, in uſum exercitiorum Academicorum adornata, & XXVII Diſputationibus publicis propoſita.

Helmeſtadii, 1702. in 4. Conſtat 1 alph. 6 plag.

QUi divinas humanasque ſcientias in florentiſſima Julia per annos plurimos eximie ornavit & ornat, Maxime Reverendus Auctor,

Auctor, novum sacræ eruditionis & industriæ non vulgaris specimen publici juris fecit. Theologiam dogmatum fidei intelligimus, quam nervose admodum & concinne, qua est accuratione, conscripsit, annoque elapso typis mandavit. Ipse laudat, nec immerito, Calixti, Hornei, Titii, Hildebrandi, de illustri Academia Julia & erudita pietate immortaliter meritorum virorum scripta, quæ in eundem finem ediderunt. Ad horum exemplum non abs re fore arbitratus est, si in gratiam auditorum suorum, qui sanctissimæ disciplinarum Theologiæ operam navant, in summam contraheret, quæ vel ad difficiliorum sacræ Scripturæ locorum explicationem, vel ad fidei dogmatum confirmationem, vel ad controversiarum decisionem pertinere visa sunt. Eo magis autem opera hæc laudari meretur, utilisque juventuti esse potest, quod sacram morum Theologiam eadem methodo celeberrimus Auctor ante annos aliquot exhibuerit, & in usum exercitiorum Academicorum adornaverit. In Theologia hac dogmatum fidei rem omnem ita prosecutus est, ut a natura Theologiæ exorsus, postquam de Religione, de Scriptura sacra, de Deo ac Trinitatis mysterio actum fuit, quoad reliqua, earum partium, quæ in disciplinis practicis considerari solent, ita rationem habeat, ut parte generali absoluta, in speciali parte de Ecclesia, de verbo Dei, nec non de Sacramentis considerationem instituat. In toto hoc negotio in id præcipue est annisus, ut sacræ Scripturæ, sanctorum Ecclesiæ Patrum, quin & orthodoxorum Doctorum verbis subinde rem eloqueretur. Cumque examinibus atque exercitationibus, quibus in scientia studii Theologici firmiores redduntur juvenes, librum hunc apprime inservire certum sit, liberalibus ingeniorum certaminibus & viginti septem disputationibus publicis a sæpe laudato Autore fuit subjectus.

LIBRI NOVI.

Codex Apocryphus Novi Testamenti, animadversionibus illustratus a Jo. Alberto Fabricio. Hamb. apud Benj. Schiller, 1703. 8.

Sacra Themidis Hispanæ Arcana. Auctore D. Gerardo Ernesto de Frankenau. Hannoveræ, apud Nic. Forsterum, 1703. 8.

Burcardi Gotthelffii Struvii Bibliotheca Juris selecta. Jenæ apud E. Cl. Bailliar, 1703. 8.

* * * * *

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno MDCC III.

COSMOLOGIÆ SACRÆ A NEHEMIA GREW edita Lib. III. IV. & V.

Londini, 1701. fol.

Cosmologiæ Grewianæ, cujus primum atque secundum librum mense proxime elapso recensuimus, liber tertius providentia sua Deum gubernare hoc, cujus Autor extitit, universum, demonstrat, occultasque sapientiæ divinæ in mundi administratione semitas rimatur. Ostenditur hic ante omnia, providentiam dari, *ex perfectionibus Dei*, qui cum rebus, ut existerent, curam impenderit, operationibus earum, quæ sunt finis existentiæ illius, non intendere non possit, quippe cujus sapientia sit indignum finem negligere, cum mediis animum advertat: quæ etiam non ferat, ut faciat opus, quod factum cura sua atque sapientia indignum putet. Potentiam vero providendi Deo negari non posse, nisi testes impotentiæ suæ eum condidisse statuere velimus. Idem simili ratione ex rerum creatarum imperfectione, & hujus universi structura evincitur. In hoc enim evidens esse, semper inferiora a superioribus, materiam a motu, motum a vita, sensu & phantasia, hæc a ratione pendere; unde ad varios gradus cœlestium mentium, & denique ad primam causam omnibus prospicientem, necessario deveniatur. Hanc vero providentiam primo quidem esse universalem, idque patere rursus ex perfectione divina cum fine creationis comparata, eodem modo, quo existentia providentiæ in genere exinde elucebat. Deinde esse CAP. I.

ordinis & decori obſervantiſſimam, idque patere tum ex ſubordinatione cauſarum ſecundarum, ſine quibus Deus nihil omnino agat, tum ex ordine, quo munia ſua illæ obire deprehendantur, qui exemplis ex omni genere rerum creatarum

c. II. petitis demonſtratur. Fines providentiæ ſemper certos eſſe, nobis licet ob immenſam eorum varietatem, multivariam ſubordinationem, diſtantiam a ſuis cauſis, occultas rerum ad quas pertinent naturas, noſtramque imbecillitatem, plerumque ignotos. Hanc ipſam vero ignorantiam, pro hominum ingeniis majorem atque minorem, venerationem Dei in operibus ejus augere, ſiquidem artifex, etiam in humanis rebus, eo majorem apud omnes laudem conſequatur, quo longius opus ejus omnium captum ſuperare fuerit deprehenſum. Hinc interea concludendum, nihil dari, quod proprie loquendo ſit mere contingens: talia enim quædam reſpectu ad homines, non vero ad Deum, habito dari poſſe, qui ſi agat non concurrente conſilio humano, *Fortunam*, ſi ſuſpendat etiam atque occœcet humanam prudentiam, *Fatum* id appellare mortales conſueviſſe. Ad hanc providentiam divinam pertinere omnes rerum effectus naturales, variasque rerum ſecum invicem conjunctarum facies & reſpectus: v. g. quod cometæ & eclipſes aliaque, quæ ominum prodigiorumque nomine veniunt, magnos eventus rerumque mutationes non producant quidem, ſed tamen præcedant. Omnes autem univerſi partes, apte adeo ſibi invicem reſpondentes, providentiæ eas continentis bonitatem loqui & juſtitiam; quam magis etiam firmet humana natura terminos juſti & injuſti complexa, quam Deus ita, ut ſuæ injuſtitiæ teſtis ſit, condere non potuerit. Neque juſtitiam Dei providentis infringi malorum permiſſione; malum enim culpæ permittendum, niſi ſibi ipſi contrarius eſſe, & cum voluntatem rationalem conceſſerit homini, uſum ejus tollere velit. Malum vero pœnæ, majeſtatis & juſtitiæ ſuæ tuendæ gratia, in cauſis ſuis ſapienter a Deo conſtitutum fuiſſe, malum culpæ diu antea prævidente, quamvis & ipſi ſibi mali pœnæ plerumque cauſa mortales exiſtant: proportione interea inter culpam & pœnam egregie ſemper, quod exemplis oſtenditur, juſtitiam providentiæ illuſtran-

ſtrante, bonitate ejus ex eo, quod ita ſemper bona malis mixta deprehendantur, ut illa tamen prævaleant, eluceſcente; quemadmodum, ut alia ejus rei argumenta taceamus, in morbis plerisque, quibus ipſa natura medicinam utplurimum invenit: imo & exinde, quod vel ea etiam, quæ noxia maxime videntur, ſuum tamen etiam uſum, quo damna quaſi compenſent, habeant. Imprimis vero providentiam divinam circa reſpublicas conſpicuam eſſe. Cum iis eam verſari ſicut cum ſingulis perſonis, quarum membra ſeſe afficiant mutuo; unde mirum non ſit, majorum virtutes & vitia poſteris ſæpe vel emolumento eſſe, vel damno. Ita autem hic providentiam ſeſe exerere, ut maniſeſtiſſimum ſit, per ipſam regnare Reges: Deumque nequicquam obſtantibus humanis conſiliis, cui viſum fuerit, reipublicæ habenas permittere; quod ex profanis monumentis, Romanæ tamen imprimis Hiſtoriæ, prolixe demonſtratur. At & vitam futuram atque cœleſtem providentiam reſpicere, de cujus exiſtentia nos dubitare non ſinat corporei & vitalis, quem appellat, mundi conditio. In eo enim cum eadem materiæ & motus ſervetur perpetuo quantitas, cum ipſa quoque rerum principia naturaque motus non mutentur, omnibus quippe generationibus alterationibusque ſola eorundem principiorum diverſa miſtura perfici ſolitis; abſurdum fore, ullam diminutionem in mundo vitali, vel alterationem minimam, ſive in ſubſtantiis principiorum vitalium, nedum nobiliſſimæ eorum ſpeciei, mentis intelligentis, ſive in operationibus earum eſſentialibus admittere. Idem confirmari firma hominum de ſenſu poſt fata perſuaſione, quam prodat abunde famæ perennaturæ ſtudium. Vitam iſtam cœleſtem præſenti eſſe nobiliorem, ſuadere id, quod per gradus in hac vita proficiamus, ſecus quam bruta animantia, indicio non obſcuro, nos ſenſim ſenſimque ad ſublimiorem vitam componi. In corpore vero vitam iſtam cœleſtem eſſe degendam, inde evinci, quod per ſaltum non ſimus perficiendi, inter nos vero & puros ſpiritus alii interpoſiti ſint, quod in parte ſecunda oſtenſum, corporibus, ſed nobilioribus induti. Corpora iſta hisce, quibus nunc utimur, nec ſimilia, nec eadem cum iis fore; namque in omnibus generationibus a minus excellente

c. III.

c. IV.

corpore ad excellentius, a femine ad plantam fieri progreffionem: corpora item ifta noftra cibum requirere atque potum aliaque, vitæ illi cœlefti minime convenientia. Mentes itaque noftras ad fublimiora evolantes, proprii fui corporis embryonem fecum auferre, corpore hoc noftro, quod fepulcro relinquimus, uteri cujusdam vices obeunte, ex quo ad alteram illam vitam nafcamur. Corpus hoc fenfu & phantafia præditum effe; id quod eodem modo, quo libro II de fpiritibus inferiobus, probatur. Cumque, ut antea monftratum, fubftantialis mutatio, neque corporeæ, neque vitali parti fuperveniat, easdem quoque inclinationes in alterum mundum nos comitari, fed ob phantafiæ majores vires, ipfas quoque vehementiores: proque earum ratione bona malaque a Creatoris providentia nobis neceffario evenire. Illudque judicium neceffario competere ei, qui exacte boni & mali limites perfpectos habeat, coram omnibus exercendum, ut omnibus de Judicis æquitate rectius conftet, actiones fingulorum, earumque cum aliorum geftis relationem manifeftantis. Præmiorum & pœnarum naturam facile concipere, qui facultatum feu corporis feu mentis in illa vita naturam expenderit; quibus proinde fufius exponendis in iftis an-

Cap. V. guftiis fuperfedemus. Sed ifta, quid faciat providentia divina creaturis, declarant; jam quid exigat ab iisdem, & quæ fit, ad quam componi illas velit, regula difpiciendum. Geminam illam Autor ftatuit, legem naturæ, & legem pofitivam. Legem naturæ effe legem rationis, quæ licet fit imperfecta, certa tamen fit, quousque quidem ejus comprehenfio extenditur. Senfu eam fuperiorem effe & phantafia, eique imperare debere, cum ipfa de fenfu, non autem viciffim de ea fenfus ferat judicium. Hinc vero confequens effe, legem naturæ feu rationem exigere, ne ad nos tantum, fed ad Deum omnia referamus: hoc vero facere, virtutem, obligationem ad faciendum agnofcere, naturalem religionem effe. Sane enim nihil magis naturæ, h. e. rationi, convenire, quam ut temperantiæ, per quam cum corpore animus vigeat, operam navemus, ut Deum cognitum amemus, atque fic de ceteris virtutibus, quibus, vel ad nos vel ad Deum, cetera

C. VI. referuntur. Et hæc de lege naturæ. Præter eam vero legis pofi-

positivæ etiam necessitatem suadere corruptum hominum statum, cui corrigendo lex naturæ non sufficiat (quod ex legibus moribusque cultissimarum etiam gentium demonstratur) Deique perfectionem, quem, ut Dominum, leges condere par sit, quarum præcise ratio subditis, qui iisdem obligantur, non constet: quid quod creaturam obsequio idoneam eum condidisse, probabile non sit, quam deinde legi positivæ, ad quam aliunde, quam ex propriæ rationis dictamine obligetur, non alligaverit? ut ceteras ejus rationes taceamus. Hanc vero legem Dei positivam primo contineri in Ebraico veteris Testamenti codice, cujus ante omnia fides & integritas pro indubitata sit supponenda. Hanc ut extra omne dubium ponat, curiosam codicum V. T. inter Judæos asservationem in suis archivis, assiduam in templis & synagogis temporibus solennibus lectionem, descriptionem frequentem legibus quoque sancitam, variorum codicum & versionum antiquarum consensum, & diligentiam Masoretharum maxime urget. Diversitates vero si hinc inde nonnullæ deprehendantur, amanuensium illas deberi oscitantiæ, & orthographiam sæpius quam sensum spectare, vel alias momenti esse perexigui. Neque esse existimandum, punctorum vocalium in antiquissimis codicibus defectum, summæ in legendo & interpretando licentiæ, infinitæque adeo lectionum varietati occasionem dedisse; eorum enim officium Matres, quas vocant, lectionum supplevisse. Multo minus Judæorum malitiam suspectam nobis integritatem sacrorum codicum reddere debere, ut quibus & voluntatem corrumpendi sua in eos religio, & facultatem ante Christi natales ignorantia conditionis regni Christi, post eos exemplarium per orbem dispersorum multitudo ademerit. Ast non integritatem tantum suam scripturis V. T. sed veritatem etiam summamque excellentiam constare: quod post Eusebium, Grotium, Huetium aliosque religionis Christianæ defensores, prolixa eorum, quæ profani scriptores memoriæ prodiderunt, cum sacra V. T. historia instituta comparatione, & præclaris eorum de sacrorum monumentorum præstantia testimoniis evincitur, eaque occasione, quid Plato imprimis ex illis profecerit, diligenter pervestigatur. At & ex insitis argumentis ve-

Lib. IV.

c. II.

c. III.

ritas illa atque excellentia firmatur: ipsa ante omnia scriptorum antiquitate, quæ longo intervallo, quicquid habemus profanorum monumentorum, post se relinquat, & quæ fidem rebus expositis non conciliare non possit, cum sacri scriptores vel res gestas a sua memoria non valde remotas, vel quarum pars ipsi extiterint, describant. Sic Mosen a mundi originibus vix quinque atque viginti generationibus abfuisse, quas a majoribus divinitus inspiratis, literis haud dubie etiam consignatas acceperit, propius etiam a reliquorum, quorum gesta exposuit, Patriarcharum temporibus absuisse, ipsum interfuisse reliquis. At certe verum ipsum atque unicum partis Pentateuchi leges complexæ autorem existere, cætera historica, si non ab ipso, auspiciis certe ejus consignata fuisse; quod aliquot contra Spinosam argumentis evincitur. Simili ratione reliquorum librorum V. T. autores plerosque, & notos nobis, & valde antiquos esse. Si qui vero librorum sacrorum vel partium eorundem autores nos lateant, hoc saltem constare, ex publicis Judæorum monumentis, quibus conficiendis Sacerdotes & Prophetæ præerant, eos sua depromsisse, adeoque ad autores, de quorum veritate dubitari nequeat, denique rediri. Hanc vero porro curiosa temporum notatione, solicita genealogiarum textura, accurata minutarum etiam rerum, ubi opus fuerit, observatione, simplicitate summa, majestate imcomparabili, consensu perpetuo non nisi apparentibus contradictionibus (quarum oppido multæ, a Spinosa atque aliis veritati Scripturarum oppositæ, solvuntur) laborante egregie firmari: quibus omnibus argumentis summum denique pondus addat, Scriptorum N. T.

C. IV. de veritate scriptorum antiqui fœderis testimonium. Contineri autem scriptis istis rerum gestarum & miraculorum variorum historiam, vaticinia item & leges varias. Historiam rerum gestarum, non nisi relatu digna cognituque maxime necessaria, & quæ alibi vel non inveniantur omnino, vel ex sacris istis monumentis repetantur, complecti: qualia sint, quæ de primigenia generis humani perfectione & lapsu habemus, & quæ Sanchoniathon ac Herodotus de rebus antediluvianis ex sacris accepere: alia enim nunc prætermittimus, pariter ac exempla narrationum

tionum, in quibus Autor, cum triviales primum eas intuenti videantur, maxima rerum momenta animadvertit. Quantum ad miracula, eorum veritatem ex ipsa narrationis ratione aliisque eo pertinentibus argumentis patere, uberius Autor commonstrat. c. V. Huc spectare ait, ut miraculi natura nobis sit cognita. Esse igitur miraculum extraordinarium quendam effectum cujusdam nobis ignotæ in natura potentiæ, divina autoritate in circumstantiis suis limitatum, finis cujusdam convenientis obtinendi gratia. Hanc definitionem insignioribus V. T. miraculis convenire docet, de quibus varia curiosius annotavit. Mosis & Magorum baculos in serpentes veros transmutatos neutiquam fuisse, siquidem indignum futurum sapientia divina fuisset, animam cum omnibus externis internisque organis condere, quam mox destrueret rursus, sed phantasticam tantum serpentum induisse speciem. Fini vero, quem intendebat Deus, hoc suffecisse, cum imitabile Satanæ id fuerit, cujus tamen potentia a Deo ita limitata, ut ex Mosis baculo factus serpens reliquos deglutiret, & indurationi cordis Pharaonis, & confirmationi Mosis occasionem dederit. Miraculum pediculorum, a Mose productorum, ex definitione data ita fere esse explicandum: Scilicet ovula forsan insecti illius, pulveri ubique majori copia quam aliis annis admista, & subito animalcula ista edentia, hominum corpora illis perfudisse. Utcunque autem & undecunque illa advenerint, adventum eorum ad tempus istud a Deo, finis sui consequendi gratia, fuisse adstrictum, quo pulverem virga Aaronis percutiebat. Sic ranas, sic locustas naturalem causam advexisse; sic cum ceteris etiam rem sese habere, quarum limitatio certi temporis, loci & personæ respectu, miraculi faciem illis induat. Certe autem miracula illa esse patrata, tot spectatores, tot alias circumstantias abunde evincere. Per mare rubrum Israelitis viam stravisse Eurum vehementissimum, undas maris ubique in glaciem constipantem, quod ipsum & Ægyptiis insequendi animos fecerit: Favonium vero glaciem constipatam solvisse, fluctibusque marinis Pharaonis involvisse exercitum: Deo, ut & isto præcise tempore, & ea qua nunquam alias efficacia venti illi spirarent, efficiente. Korah cum suis terræ motu periisse, Deo naturales cau-

causas, ut illo demum tempore ἐνέργειαν suam exererent, disponente; alios vero 250 rebellionis ejus complices igne periisse, fulmine scilicet ex sulphureis exhalationibus, quas terra hians reddiderat, accenso; directione interea divina ex eo, quod omnes illi & soli in tam vasta multitudine perierint, abunde elucescente. Aaronis virgam facta vegetationis acceleratione floruisse. Hierichuntinos muros terræ motu concidisse, Dei gubernatione tum exacte eos quatiente, ubi sacras circa urbem processiones populus Dei absolvisset. Sed a miraculis ad prophetias. Eas

c. VI. evincere, nullum dari absolute contingens, licet ad nos, ut supra ostensum, habito respectu quædam contingere dicantur. Esse enim Prophetiam declarationem præscientiæ divinæ, quocunque temporis spatio remota per longam causarum notarum nobis ignotarumve seriem complexæ, & cum certitudine de effectu secuturo conjunctæ. Aliquid miraculi eas habere, hinc esse manifestum; de eo igitur quæri tantum, an veræ prophetiæ libris V. T. contineantur, & annon potius vel corruptæ phantasiæ, cui forte fortuna responderit eventus, vel prudentiæ humanæ longe antea futura prospicientis, quæ pro talibus venditantur, sint tribuenda. Veras esse, & modum factæ revelationis, & argumenta earum, & eventus prædictioni respondentis evidentiam probare; quod longa exemplorum inductione probatur. Sed de legibus denique, quas V. T. complectitur, agendum. Hic

c. VII. primo de legibus Adamo datis Clarissimus Autor agit, inter quas primum locum obtinet præceptum de Sabbato, quod ob rationem additam, ad legem positivam universalem pertinere concludit. Posteris Adami post lapsum novas leges a Deo latas haud dubie esse, cum non probabile sit, Deum qui naturam rectam legibus instruxerit, corruptam sibi reliquisse, atque inter has fuisse leges de sacrificiis, ex non obscuris argumentis colligi. Novam legis divinæ dispensationem Noæ obtigisse, eique præceptam inter alia abstinentiam a sanguine & crudis carnibus, ut humanæ consuleretur naturæ, cui non varii tantum corporis, sed & animi morbi ab isto victu immineant, utque parcendo humano sanguini hoc magis Noæ progenies sese assue-

fa-

faceret. Leges vero alias, etiam in Scripturis non consignatas, a Noacho posteris traditas fuisse, colligi ex Gen. 13, 13. 20, 3. ubi peccata redarguantur, quæ ex lege naturæ non possint argui, legemque adeo positivam supponant; item ex eo, quod Gen. 8, 20 Noah sacra fecisse dicitur certo more, qui nuspiam lege sancitus legatur. Quemadmodum & Gen. 15, 9. 10 Abraham aves non dividat, haud dubie ex legis cujusdam non scriptæ directione: quà etiam de Sacerdotiis aliquid sancitum fuisse, Melchisedeci historia probet; ut alia ejus generis argumenta taceamus. Noachicæ legi successisse Mosaicam: promulgationem ejus fuisse majestate conspicuam, decorumque in diversis partibus legis, morali scilicet, ceremoniali & judiciali promulganda, exacte fuisse observatum: methodum ubique deprehendi decentissimam: ipsam rationi, & fini qui intendebatur, esse accommodatissimam. Finem istum vel temporalia respicere, politicumque esse, & œconomicum atque privatum; vel spiritualia: utrumque quomodo Mosaicæ leges assequantur, variis exemplis monstratur. Sic leges de abstinentia a certis cibis, manifeste sanitati tuendæ inservire, primumque adeo scriptorum diæteticorum Mosen extitisse. Suillam enim carnem in istis tractibus lepræ causam sæpe extitisse, siquidem & Ægyptiis abominabilis ea, Herodoto teste, fuerit, suillumque lac scabiem producere Plutarcho, carnem vero, nisi bene igne subigatur, choleræ morbos provocare Hippocrati sit creditum, imo ne in Anglia quidem æstivo tempore comedatur, quod diarrhϾ & febrium sæpe causa existat. Dasypodis esum prohiberi, ut ne fovendi istius animalis, quod frumentariæ rei tantopere noceat, ulla causa existat. Insectorum, testaceorum æque ac alatorum, prohiberi usum, quod nimis in istis regionibus ex ignea natura trahenti Veneri stimulos addant. * Similes aliarum legum rationes esse. Purgationes puerperæ, & mariti satis longo tempore ab ea abstinentiam exigi, ne fluoris viridis spurcitia, in fuscis maxime puellis, quales sint istarum regionum pleræque, graveolentis, nauseam mariti & inde animi aversionem producat. Coitum cum menstrua uteri sæpe prolapsus causam esse in Græcis puellis, Hippocrati esse observatum, proptereaque Judæis eo inter-

Ii ter-

terdici: ut alia innumera taceamus. Sed & ſpiritualibus uſibus pleraſque leges conducere, legem ſcilicet omnem moralem, imo etiam ceremonialem cultum, qui totus ad demonſtrandam ſapientiam, potentiam, providentiam, accuratum in rebus conditis ordinem ſit compoſitus; id quod ex tabernaculi imprimis ſtructura & ſacerdotali veſtitu demonſtratur, cujus partes pene omnes ſymbolice explicantur. Atque ea occaſione ſuam de Vrim & Thumim ſententiam Clariſſimus Autor exponit, quæ duas imagunculas fuiſſe Spencero minime concedit, cum Judicum XVIII, 14. 17. 18 manifeſte ab imaginibus diſtinguantur. Fuiſſe igitur duas gemmas, adamantes forte auro incluſos, *Seraphim* vel alio quocunque nomine angelico inſignitos. Hos vero, cum familiari atque nota omnibus ratione ſplendorem in tenebris eis conciliare liceat, vi divina ad voluntatem Dei ſignificandam certis temporibus eum nactos fuiſſe, ut moneretur populus, penes Sacerdotes explicationem legis eſſe. Animalia quoque impura concernentes leges, præter ſupra traditum finem, ſpiritualia reſpexiſſe: per eas enim ab idolomania gentium, quæ divinis honoribus beſtias iſtas proſequebantur, & commerciis infidelium, qui cibis hujusmodi oblectabantur, populum abſtractum fuiſſe. Et alias magnam legis ceremonialis partem ad repurgandam Medicinam, quam in Ægypto didicerant, & cujus origo atque progreſſus fuſe exponitur, a Magicis ſordibus ſpectaſſe. Nec typicum tamen uſum harum legum prorſus eſſe excludendum, imo potius ſolicite obſervandum. Ex his vero atque aliis omnibus patere, non eo legem ceremonialem pertinuiſſe, ut Iſraelitis in externam cultus pompam proclivioribus ſatisfieret; neque Ægyptiarum ſuperſtitionum imitatione eam conditam fuiſſe; quin ipſos contra Ægyptios, poſt Salomonis tempora, ejus reverentia ductos, Judaicos ritus adoptaſſe. Sed & Novi Teſtamenti ſcripta legem Dei poſiti-
Lib. V. vam complecti, Liber quintus demonſtrat. Eis quoque integritatem ſuam conſtare, ante omnia evincitur, facto ab ipſis autoribus eorum differendi initio, quorum cuivis ex eccleſiaſticis monumentis ſcripta ſua vindicantur, ipſis hæreticis quoque in partes vocatis, quibus non opus fuiſſet ſollicito iſto in corrumpendo ſtudio

dio, si autoribus istis eripere fœtus suos potuissent: quod proinde etiam hostes Christianorum implacabiles, Celsus, Porphyrius, Julianus, ne ausi quidem fuerint facere, suis temporibus Ecclesiarum autographis facile revincendi. Ab his descriptis, ipsis viventibus Apostolis virisque Apostolicis, exemplaribus fidem negari non posse. Multo minus autoritatem ipsis scriptis canonicam negari posse, cum per donum propheticum, quod diu satis in Ecclesia viguit, constare de ea potuerit. Mutationes vero, quæ alicujus momenti sint, nullas ab eo tempore passa illa scripta fuisse: Patres enim orthodoxos id facere nec voluisse, nec potuisse, ab hæreticis statim prodendos. Hæreticos vero non potuisse, cum non facile fuerit genuina exemplaria ubique per orbem Ecclesiis eripere, ipsique inter se de corruptelis ob errorum varietatem consentire non valuerint. Firmare vero hoc abunde MSS codicum, versionum & allegationum apud Patres consensum, imo ipsas lectiones variantes, quæ si non numero, momento certe sint exiguæ, nullumque corrumpendi studium prodant, sed potius ex iteratis descriptionibus, additionibus vel illustrationis vel supplementi loco in usus privatos adjectis, omissionibus oscitanter factis, & correctionibus, quibus vel versiones vel Patrum allegationes extemporaneæ occasionem dederant, proficiscantur. Veritatem & excellentiam librorum N. T. ut demonstret, nec deceptos ipsos, *αὐτόπτας* quippe vel ab *αὐτόπταις* instructos, sacros Scriptores fuisse ostendit, nec decipere voluisse; imo simplici facilique iis, qui modo stylo N. T. sint assueti, narratione sibi fidem facere. Nec res ipsas quippiam, quod fidem non mereatur, habere; quod longa locorum, quæ tale quid habere videbantur, excussione firmatur. Non voluisse autem decipere, ex eo quod non succedere potuisset impostura, & quod emolumenta ab illa nulla, sed maxima potius incommoda ipsis essent expectanda, patere. Imo & ex ipsorum simplicitate, modestia, in propriis vitiis observandis sinceritate, consensu demum sive cum Judaicis quibusdam monumentis, sive cum Vet. Test oraculis, sive denique invicem secum; qui tantus sit, ut nullis nisi apparentibus contradictionibus, quarum oppido multæ diluuntur, locum faciat. c. II.

c. III. Sed miracula quoque excellentiæ librorum N. T. aliquid addere, eorum veritatem ex omnibus circumstantiis patere, & infidelium quoque testimoniis firmari. Morborum curationes in specie virtuti cuidam sanativæ, ut ita loquar, e corpore Christi emananti, quam non ægre concipiat, qui contagio morbos propagari meminerit, deberi, idque ex Marc. VI, 56, Luc. VI, 19, VIII, 46 firmari. Miraculosam tamen illam fuisse, quæ contrarios plane morbos fugaverit. Miracula e longinquo patrata, Spirituum bonorum ministerio patrata esse. Panis in deserto mirabilem multiplicationem factam esse per subitam principiorum ejusdem naturæ in aere volitantium accessionem, qua ratione plantæ etiam nonnullæ in aere solummodo suspensæ incrementa capiant. Stellam Magis apparentem, fixam nec novam forsan fuisse, atque in eodem loco, dum in Arabia Judæaque observaretur, persistentem, radio quodam mobili speciem motus sui edidisse, atque ita in vertice ædium, ubi Christus erat, subsistere visam esse. Miraculorum autem istorum omnium eos fuisse fines, qui de divina eorum excellentia dubitare nos haud sinant, imprimis

c. IV. doctrinæ Christi confirmandæ ea inserviisse. Hanc & credenda & agenda complecti. Credenda, qualia sunt doctrina de una Dei essentia, tribus in eadem personis, divina Jesu Christi ἐξοχῇ, ejusdemque in carne manifestatione, clarius multo quam in V.T. revelata esse. Hujus postremæ vero & decentiam & necessitatem, justitiam divinam miseramque corruptionem nostram nec Mosis lege, nec philosophia sanabilem, abunde probare. Porro Spiritus S. divinitatem, providentiam divinam, electionem, justificationem, sanctificationem, ministerium angelorum, resurrectionem & judicium luculenter exponi, ita tamen ut mysterio propterea non careant, quod statuere nuper docti quidam in Anglia viri ausi fuere. Horum sententia, forte non malo prolata animo, abuti tamen facile proterva ingenia posse, ad Scripturæ contemtum suæque rationis imperium stabiliendum. Equidem mysterii vocem primo ceremoniam in vulgus non proferendam notare, usum tamen ad omnia aliquid abstrusi habentia eam transtulisse, qualia sint non in divinis tantum pleraque, sed & in naturalibus plurima, quæ tamen pro ingeniorum diversitate magis minus-

nusque talia esse possint. Illa tamen cum ea ex parte, qua nobis innotescant, in augenda scientia, tum ea, qua obscura sunt, in admiranda imperscrutabili sapientia divina nobis prodesse. Quantum ad agenda, ut ad ea a credendis transeamus, circa ea versari præcepta evangelica. c. V. Ea vel universalia esse, vel particularia certum genus hominum, Apostolos v. g. concernentia; utrorumque excellentiam ex συγκαταβάσει atque proportione cum humana ratione, indole spirituali, præmiorum amplitudine, & exemplo a Christo ea observante nobis exhibito elucescere. Modum vero ac rationem, qua leges istæ proponuntur, sapientissimam esse, multa argumenta evincere. Vaticinia denique Salvatoris N. T. scriptis comprehensa, vel c. VI. ejus διὰ τῶν παθημάτων τελείωσιν, vel magnos eventus eam subsecutos concernere. Eventus illos magnos esse prædicationem Evangelii in omnibus gentibus, Hierosolymorum destructionem, persecutiones eam insecutas, & Christianismi in Romano Imperio confirmationem; qui omnes ita fuerint comparati, ut humana prudentia prævideri non potuerint, exactissime tamen fuerint a Christo prædicti.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE, &c.
i. e.
BIBLIOTHECÆ NOVÆ AUCTORUM ECCLESIAsticorum Tomus XIV, continens Auctores Sec. XVI. scriptore LUDOV. ELLIES DU PIN, Doctore Theol. Parif. & Profess. Regio.

Parisiis apud Andr. Pralard, 1703. 4. 1 Alph. 5 pl.

POstquam Auctor tomo præcedenti res dimidii Seculi XVI exposuerat, ut superiori mense p. 203 sqq. dictum est, pergit suo more Scriptores Ecclesiæ Pontificiæ addictos, qui ab A. 1500 usque ad A. 1550 floruerunt, recensere, in præfatiuncula ipse, nec immerito judicans, nullum esse Bibliothecæ suæ tomum, qui plura hoc ipso notatu digna contineat. Itaque Scriptorum, quos percenset, vitam initio enarrat, dehinc libros ad rem Theologicam spectantes eorumque contenta singulari diligentia enumerat, imo quosdam eorum ferme in compendium mittit; denique judicio suo addito, auctores dimittit.

Initium a *Jo. Capnione* facit, cui Epistolas obscurorum virorum attribuit pag. 4, admonens tamen, nonnullos eas Hutteno, quem ex παροράματι pro Ulrico Henricum vocat, adscripsisse. In *Jac. Almaino*, Theologo Parisiensi, ingenuum animum laudat, ejusq; de Potestate Ecclesiastica & Laica librum diligenter enotat; ubi animadvertas, doctissimum Virum in recensendis iis libris, qui Ecclesiæ universæ & Conciliorum jura contra Pontificem defendunt, peculiarem industriam adhibere. De *Jacobo Hochstratano* lepidam historiolam p. 12 narrat, quem Comes Nuenarius, ab illo læsus, ovorum & caseorum emptione in sua ditione prohibitum, ad saniorem mentem revocarit. Multus est in edisserendis *Erasmi Roterodami* rebus & scriptis, a pag. scilicet 12 usque ad 91. Inter alia observat, Erasmum a Carolo V Consiliarium status, cum ducentorum florenorum stipendio, fuisse constitutum, p. 15. Eundem Imperatori & Gallorum Regi consuluisse, ut societatem 150 eruditorum instituerent, veritatis, præsertim Theologicæ, investigandæ gratia, qui delegatos ex societate sua pauciores eligerent, p. 16. conf. 46. Singularia sunt, quæ p. 16 de controversia Erasmi cum Hutteno leguntur, quam a delectis arbitris, Rhenano & Amerbachio, ita sopitam Pinius refert, ut Erasmus 20 florenis multaretur. Hujus Epistolas, Militem Christianum, Moriam, Methodum Theologiæ, Exomologesin, controversias cum Dorpio, Fabro Stapulensi, Leeo, Latomo, Stunica, Natali Beda, Petro Sutore, Alberto Pio, Principe Carpensi & Luthero diligentissime recenset; nec non Censuram propositionum ejusdem a Sorbona editam, quæ p. 77 seqq. videatur. Denique contra Erasmum, Concilium in Hispania, præside Alphonso Manriquez, Archiepiscopo Hispalensi, habitum, sed peste, rebus infectis, dissolutum fuisse, p. 85. enarrat. Hanc prolixitatem Auctor resarcit breviori enumeratione rerum scriptorumque *Raimundi Peraldi* Cardinalis, *Jo. Raulini* Theologi Sorbonici, editis sermonibus & zelo restituendæ disciplinæ ecclesiasticæ clari, *Jo. Baptistæ Spagnoli Mantuani* Generalis Carmelitarum, Poetæ sacri, *Godofredi Bussardi*, Theologi Sorbonici, *Jo. Ludovici Vivis*, *Claudii Seysselli* Archiepiscopi Taurinensis, celebris Waldensium adversarii, *Sylvestri Prieratis*, alias Mazolini, Generalis Ord. Dominicanorum, *Pauli Cortesii* Protonotarii Romani, *Jac. Wimphelingii*, quem ob ve-

ob veritatis studium deprædicat, & *Æl. Antonii Nebrissens.* De *Thoma de Vio Cajetano* Cardinali memorabilia plurima refert, præsertim, quod cum immatura ætate, qua de auctoritate Pontificis scripsit, traditionibus fuerit addictissimus, senescens soli se studio sacrarum literarum ex Hebræis Græcisque fontibus addixerit, Rabbinicos quoque præceptores auscultans, & in eorum placita ferme ad superstitionem declinans. Pauciora, sed notatu dignissima, commentatur de *Matthia Ugonio* Episcopo Cyprio, Synodiæ Ugoniæ scriptore, de *Christophoro Marcello* Archiepiscopo Corcyrensi, deque *Thoma Illyrico* Monacho Franciscano. In *Henr. Corn. Agrippa*, quem inter Theologos referre Auctor non dubitavit, vita variam hominis fortunam accurate describit, adjecta tamen invectiva in ejus de peccato originis invenustam sententiam: a magiæ crimine eum absolvit, ejusque de vanitate scientiarum libellum non proletarie laudat. *Jo. Fischero*, Roffensi Episcopo, multum elogii tribuit: nec minus *Thomæ Moro*, quem ob explicationem passionis Christi Theologis annumerat. Post hos *Joh. Driedonis* Theologi Lovaniensis, *Philippi Decii* JCti ob Canonici Juris scripta huc referendi, *Natalis Bedæ* Sorbonici, *Jac. Fabri Stapulensis*, *Petri Sutoris* Sorbonici, *Eustachii Rivii* Lovaniensis Theologi, *Hieronymi Hangesti* Canonici Cenomanensis, *Jo. Lansbergii* Carthusiani Monachi, *Jo. Majoris* & *Jac. Merlini* Sorbonicorum, *Casp. Contareni* Cardinalis, *Josuæ Clichtovæi* Sorbonici, *Jo: Fabri*, Episcopi Vindobonensis, *Jo. Eckii*, *Alberti Pighii*, ac *Jac. Latomi* Lutheromastigum, *Franc. de Victoria* Theologi Salamanticensis, *Franc. Vatabli*, cui segnitiem sæpius objectam p. 176 observat, *Beati Rhenani*, *Jac. Sadoleti* Cardinalis, *Georgii Cortesii* Cardinalis, *Christoph. Longolii*, *Jo. Gagnæi* Sorbonici, *Augustini Steuchi Eugubini* Episcopi Chisamensis, & *Pierii Valeriani* Protonotarii Romani, res summatim, sed eleganter exponit, de Cortesio p. 181 observans, Hersiliam Cortesiam ipsius fratre natam, ejus epistolas & tractatum de Petro Romæ vivente edidisse; de Eugubino vero p. 184, eum Apologiam barbæ Presbyterorum conscripsisse contra illos, qui a Pontifice bullam contra eandem impetrare nitebantur. *Jo. Cochlæi* vitæ scriptorumque diligens enumeratio operi finem imponit.

Omnia

Omnia hæc esse lectu digna, ambiguamque ex dubia hac cœna seligendi provinciam esse, nemo non animadvertet. Ne tamen morem nostrum migremus, de Vivis & Nebrissensis historia quædam excerpemus. *Jo. Ludov. Vives*, Valentinus Hispanus, de quo p. 99 sqq. agitur, Philosophiam Parisiis addidicit, & Lovanii perfecit, ibidemque elegantiores docuit literas, lectus inde præceptor Guilielmi Crouyaci, Archiepiscopi post Toletani & Cardinalis, quo præmature mortuo, A. 1522 in Angliam abiit, eodem apud Mariam, Henrici VIII filiam, munere fungens, & Oxonii quoque literas docens, visitante aliquando ejus lectiones Henrico IIX Rege & Catharina Regina. Orta inter conjuges istos divortii controversia, Reginæ partibus Vives adhæsit, quam ob rem sex mensium carcere punitus est, & Brugas Flandrorum dimissus. Quo loco uxore ducta humanitatem docuit, diemque obiit A. C. 1536, vel 1537, vel ut alii ferunt, 1545, quadraginta octo annos natus. Pinius noster ejus de veritate religionis Christianæ libros cumprimis laudat, mentionem quoque facit Instructionis uxoris Christianæ, Triumphi Jesu Christi & Paraphraseos Psalmorum, quos pœnitentiales vocant, a Vive conscriptæ. Stylum ejus censet purum, sed durum atque exsanguem esse; affectationem eruditionis, cacozeliam Philosophorum paganorum & dialecticæ Stoicæ eidem tribuit. Solent nonnulli Erasmum, Budæum & Vivem triumviros literarum suæ ætatis constituere, istique eloquentiam, illi ingenium, huic judicium excellens proprium facere. Alia Pinio mens est, qui Erasmum ingenio & judicio, Budæum linguarum notitia & profana eruditione, Vivem Grammaticæ, Rhetoricæ & Dialecticæ peritia principem existimat.

Ælius Anton. Nebrissensis, de quo p. 120 seqq. agitur, Nebrissæ Vandalitiorum natus A. 1444, patre Jo. Martinez de Cala, *Ælii* nomen sibi adscivit. Literis in Academia Salamanticensi ac Bononiensi, simulque legibus, operam dedit. Redux in Hispaniam apud Alphonsum de Fonseca, Hispalensem Archiepiscopum, commoratus est. Post hæc Salamanticæ Grammaticam Rhetoricamque docuit, indigneque a Rectoribus Academiæ habitus, Ximenio Cardinali adhæsit, admotus operi, quod ille meditabatur, polyglotto & Compluti docendi provinciam nactus. Ejus observationes criticas in quæ-

quædam loca Biblica Pinius in compendium redegit, ac Polyhistorem fuisse Ælium judicat. Obiit A.1522 apoplexia prostratus, relicta, præter filios, Francisca filia adeo docta, ut patrem in componendis, si ipse forte impediretur, prælectionibus publicis sublevarit.

Si qui omissi sint scriptores, eorum se alio loco mentionem facturum Auctor spondet.

REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ HISTORIA. Autore JO. BAPTISTA DU HAMEL.

Parisiis apud J. B. Delespine, 1701. 4.

Librum quintum doctissimi operis proximo mense recensuimus. Liber VI a nova Academiæ forma exordium ducit. Sunt autem Regiæ sanctiones numero 50, quarum summa: Rex Academiæ perpetuus erit Patronus. LXX Academici distinguantur 4 ordinibus: I Honorariorum 10, regnicolarum: II Pensionariorum 20, Lutetiæ habitantium, ex quibus sex disciplinæ, Geometria, Astronomia, Mechanica, Anatomia, Chymia, Botanica, singulæ ternos sibi vendicent, additis Secretario & Quæstore, utroq; perpetuo: III Aggregatorum 20, quorum 12 regnicolæ illis 6 disciplinis bini operam dent, & 8 alii regionis sint & studii cujuslibet: IV Alumnorum 20 Lutetiæ degentium, quorum singuli suo Pensionario similis studii adjuncti sint. De horum electione, qualitatibus, conventibus, laboribus, moderatione, communicatione, scriptis, suffragiis, sessione, tabulis, supellectile, typographia, remuneratione prudentissimæ leges feruntur, quibus hoc illustre Corpus Regio quasi Spiritu informatur.

Pars I Acta A.1699 complectens, Physica Sect. I proponit, brevissime tamen, cum commentarii pleniores jam prelo consignati sint. De luce & coloribus *P. Malebranchius* systema suum delineavit, cum systemate soni consentiens, quo statuit vibrationibus continuis, quibus materia subtilis premitur, luminis speciem; celerioribus aut tardioribus, varias colorum species præberi. E. g. Si corpus coloratum 12 efficiat pressionis vibrationes, cum aliud corpus 6 tantum exerit, hoc magis a priori in colore discrepat, quam aliud corpus, ex quo 9 vibrationes prodeunt eodem temporis intervallo.

vallo. Loco globulorum Cartesii, quibus ceu secundo suo elemento lumen explicat, substituit perparvos subtilis materiæ vortices comprimi faciles, qui in diversis sui partibus varias excipiunt pressiones. Collatio observationum Barometricarum in Gallia & Anglia docuit, variationes hydrargyri non satis sibi constare, interdum eadem, interdum discrepante constitutione aëris utrobique regnante. Pluviæ quantitas per plures annos in Belgica arce Insularum 23 pollicum, collata cum 20 poll. Lutetiæ, monstrat, uberiorem imbris copiam in ea Belgii urbe decidisse.

De notissimo fonte ardente circa Gratianopolin Cap. 2, ut & de aquarum mineralium examine quædam subjiciuntur. Inter Chymica Capite 3. opus *D. Lemery* de Antimonio publicandum promittitur. Quantitatem salis in spiritibus acidis cum inutili phlegmate mixti, ope salis tartari quæsivit *D. Hõmberg*, invenitque 1 unc. spiritus nitri continere 2. drachm. salis. Tabulam itaque condidit, qua ex hoc ponderis augmento, quo sal tartari ex absorptis liquoribus crevit, concluditur, quantum salis acidi cuivis liquori insit; hæc, & altera tabula, qua cujuslibet chymici liquoris discrepantia ponderis maxima æstate & acerrimo hyemis frigore inventa determinatur, rebus explicandis magno usui esse poterunt, e. g. aquæ reg ex spir. nitri & sale ammon. paratæ 1 uncia, alterum tantum auri dissolvitur, quam ab 1 uncia spir. sal. quia 1 unc. spir. nitri duplum salis acidi continet ejus spiritus, qui salis uncia continetur. Id tandem notari meretur, qua ratione ferrum a rubigine illæsum servari possit. Adipis suilli minutius concisi 8 libras, pellibus & carnibus detractis, vasi fictili novo & plumbato imponi jubet, tribus aut 4 aquæ cochlearibus additis; liquatus adeps & per linteum trajectus eidem vasi affunditur cum 4 unciis camphoræ contritæ; leni ignis calore una ebulliant, dum camphora penitus dissolvatur, tumque adhuc calenti plumbaginis tantum injice, quantum necesse est, ut ferri colorem induat. Hoc adipe suillo ferrum aut chalybs illinatur, postquam sic incaluerit, ut vix manibus attrectari possit, quo facilius adeps penetret, tum linteo abstergendum; adeps sic paratus vasi rite occluso includendus, ne exhalet.

Emen-

Emendationem misturæ illius metallicæ, qua typographici characteres alias fundi solent, Cap. 4 continet. Vulgo 20 libræ cupri, 10 libr. antimonii, 100 lib. plumbi una miscentur; cuprum & stibium per strata alternis in catino ordinibus disposita liquantur, scoriis detractis plumbum separatim fusum catino imponitur. Sed hac mixtura typi formas non satis exprimunt, cum literarum crura non in quadrum, sed in rotundum formentur, charactere ipso plus satis arctato. *D. Homberg* itaque remedium adhibuit. Usitatæ hujus misturæ 6 partes miscet cum 1 p. bismuthi, & 1 p. stanni; hæc in unum conflata concretionem effecerunt probatam, & vulgari præstantiorem; nam litera per convexam lentem acrius inspecta, partes sui minutiores archetypis suis omnino consimiles, crura bene expressa, non rotundata, sed quadranguli forma, corpus non macie imminutum subjecit oculis: mistura paulo durior vulgari & minus fragilis, unde characteres majoris usus & in longius tempus duraturi videntur. Anatomicis quoque injectionibus par artificium applicat, ut vasa & eorum rami illæsa conserventur, & materia ad vasorum extrema perveniat. Partes æquales plumbi, bismuthi & stanni una fusæ beneque mistæ speciem metalli conflant, quod leni admodum calore liquatur; hoc per epistomium cupreum probe calefactum, & collo campanæ vitreæ pariter calefacto insertum, in vasa animalis, tubulorum ope infundibulo adhærentia infunditur, exhausto prius ex campana aëre.

Disceptatio de ovali foramine in fœtu, illiusque usu, Cap. 5 recensetur, una cum argumentis, quæ ex accurata testudinis terrestris dissectione, pro systemate ovorum tuendo adducuntur. Singularis admodum est structura cordis humani, tribus ventriculis inter se communicantibus instructi; sed an circa quæstionem de ovali foramine, ex tam insuetis naturæ portentis ad consuetum ordinem aliquid concludi possit, merito dubitatur. Senis pene centenarii corpus dissectum, novem postremas dorsi vertebras in os unum & continuum coalitas exhibuit. Circa dentes adultorum observatur, non ipsum os dentis, sed ejus solum crustam (ac velut encaustum) ab osse omnino diversam crescere. Dissectiones sunt factæ circa aquilæ femur & pedem; item pelicanum & tigridem. Insecti quo-

que cujusdam fecus flumina, *Demoiselle* nuncupati, genus describitur.

Circa Botanica Cap. 6 notatur parallelismus ramorum cum solo in patulis arboribus, fago, quercu &c. Inclinato nempe ad planum stipite, rami nihilominus ad planum sunt quodammodo paralleli; vicissim stipite ad perpendiculum stante in inclinato solo, rami sunt itidem solo inclinato paralleli; denique stipite eodem habitu in supercilio clivi stante, utrinque rami sequuntur habitum soli, sive ad planam, sive ad devexam ejus partem. Causa ex habitu radicum & fibrarum tractione super punctum divaricationis ramorum & radicum deducitur: radices enim una cum trunco & ramis ex iisdem constant fibris & rectis & sibi mutuo parallelis, eæque ab extremis radicibus ad caudicem usq; & ad ramorum apices extenduntur; duplicem itaque efficiunt angulum, unum in *collo radicis*, alterum in rami collo, eruntque adeo ut duæ lineæ in unam incidentes, vel angulis rectis vel obliquis alternis æqualibus, adeoque semper parallelæ. Experimentis porro quæsitum est circa stirpium sales, utrum eos e terra plantæ trahant, an fermentatione vel alia ratione in plantis ipsis formentur. Terra hortensis & nigra, omni prius sale per aquam calidam exuta, in varias capsas æquali mole distributa, eodemque nasturtii, fœniculi &c. semine conspersa est; duæ capsæ aqua solum pura, duæ autem aqua nitro imprægnata irrigatæ sunt; grana in singulis optime germinarunt, in sale tandem nulla saporis differentia: unde patet, sales in plantis maxima ex parte formari, quales se produnt, & sales qui terræ insunt, configurationem suam in ipsis plantarum organis, juxta fermenta insita, prorsus mutare. Occasione salis essentialis tamarisci, observat *D. de Tournefort*, præpropere nimis salem essentialem ex succis plantarum extrahi solitum: horum enim eadem est ratio, quæ tartari, quod a vino, nisi post certum temporis spatium, non secernitur. Itaque diu expectandum est, donec succi ex plantis expressi salem omnem essentialem deponant, neve mucorem contrahant, oleum ad digiti altitudinem aquæ affundi debet, & in vase fictili per annum sunt relinquendi. Sic magna salis essentialis copia e fumaria post 7 aut 8 menses colligitur, cum vix aliquot grana post 7 aut 8 dies more solito extrahantur. Existimat idem, manna Calabriæ nil esse præter arbo-

arboris orni salem essentialem sulphuri admistum, manna Brigantinum esse salem essent. laricis; imo & saccharum quarundam arundinum in America Australi salem esse essentialem. Hinc succorum in plantis effluvia ad 4 genera revocat:

1. Sale essentiali abundat, ut manna, saccharum, mel &c. in florum parte infima.

2. Sunt resinæ puræ & oleosi succi extra sua vasa effusi, ut in abiete.

3. Sunt succi aquosi & glutinosi instar mucilaginis, ut gummi in sola aqua solubilia, ut in nostris cerasis & prunis.

4. Sunt resinæ & gummi, partim in aqua, partim in spiritu vini dissolubilia.

Singulare est Sect. II Cap. I in occultatione stellæ a Luna, quod ubi stella extremum limbum Lunæ lucidum attigisset, adeoque a corpore Lunari tegi debuisset, per aliquot tamen secunda horæ disco Lunari illuminato insistere visa sit. Ratio phænomeni non ex Lunæ atmosphæra, quæ nulla est, sed ex apparentia majore lucidæ Lunæ deducitur. Mentio quoque fit observationum *D. Flamsted*, circa stellæ polaris a polo ipso distantiam variatam, quibus Copernicanum systema motæ terræ confirmatum voluit; *D. Cassinus* filius autem observationes Anglicas cum Gallicis consentire quidem fatetur, negat tamen eas in motum terræ annuum referendas, uti argumentis tam Geometricis quam Astronomicis probat. Quæ de eclipsi Lunæ d.13 Martii & Solis d.13 Sept. breviter indicantur, in ipsis commentariis prolixius deducta erunt. Inter Geometrica Capz Bernoullianum problema: *Quadrare infinita prope segmenta & sectores cycloidis*, ut & alterum *celerrimi descensus*, cum solutionibus recensentur; & circa Algebraica monitum *D. Rolle* notandum est, quo Algebraicas methodos ab optimis autoribus propositas, quæque pro tutis vulgo habentur, suis mendis non carere, & interdum eas falsas esse asserit, promittitque se tutiores certioresque methodos suffecturum. Quænam curva sit aptissima dividend liquidi partibus, quaque navis facillime moveatur, Cap. 3 quæritur, solutioque *D. Marchioni de l' Hospital*, *Neutono* & *Facio* ascribitur. Musculorum vires in femoribus & cruribus experientia fultus *D. de la Hire* æstimat 140 librarum; imo cum pondus incumbit

homini 150 librar. musculi eum erigentes 290 libr. pares sunt, sed ultra 2 aut 3 poll. altitudinem vix attollitur. Equus in trahendo vincit hominem, 7 quippe hominibus par viribus; sed homo vincit equum in ascensu, & 3 homines singuli 100 libris onerati citius per clivum ascendent, quam equus 300 libris onustus. Portæ in Sequana singulari artificio extructæ descriptio in Actis Academiæ anni 1699 explicatur. De clepsydrarum divisione actum. Pistrinum caloris vi agitatum in Historia Gallica expositum indicatur. Notabile est, quod de affrictu machinarum monetur, falsam esse illam persuasionem vulgarem, affrictum duorum corporum, quæ moventur & sibi mutuo applicantur, hoc majorem esse, quo superficies inter se conjunctæ & collisæ sunt majores; id vero certum, non illum augeri affrictum, nisi penes corporum majorem aut minorem pressionem, vel penes majora aut minora, quibus onerantur, pondera. Determinatum quoque, resistentiam hanc esse tertiam fere partem ponderum quibus premuntur, & attritum eo majori difficultate vinci, quo velocius partes attritæ feruntur; si e. g. homo 30 libr. pondus funi per trochleam trajecto illigatum sustineat, pressio utriusque erit 60 librarum, affrictus autem erit $\frac{1}{3}$ hujus pressionis, nempe 20 librarum, posita velocitate potentiæ æquali ponderis velocitati; quare ut pondus 30 libr. sursum tollatur, potentia opus est 50 libr. & paulo amplius, quasi ponderi 30 libr. 20 libræ additæ fuissent.

Circa Catoptrica Cap. 4 multiplicatæ imaginis objecti ratio redditur, cum vitra sunt plana; ubi ejusmodi vitri superficies non exquisite esse parallelas asseritur, & inde telescopiorum vitris examinandis modus deducitur. Vitri ustorii grandes effectus, (quorum parandorum artem D. Tschirnhaus invenit) quoniam a Generosissimo Autore his ipsis Actis A. 1697 Sept. p. 414 antehac inserti fuerunt, prætermimus.

Ultimum seculi & Historiæ suæ annum 1700, Libri VI parte altera complectitur. Inter Physica Cap. I. notantur loca Delphinatus: mons, quem inaccessum vocant, cujus situs inversus est, quiq; apici suo innixus videtur, nam basis ejus ambitus est 1000 passuum, summum autem 2000; & spelunca prope Gratia-

tianopolin, cujus aditus miræ est altitudinis, & lacus sub monte leucam latus. Systema soni in genere, & speciatim formatio vocis humanæ dein tractantur, ubi negatur, vocem in trachea ut in tibia formari, sed rimulam, quæ glottis appellatur, esse primarium vocis organum docetur. Hanc, licet ita sit angusta, ut minor sit lineæ latitudine, actu esse divisam in 6912 particulas, quarum aliæ aliis sint majores: nam subductis calculis, tonos in totidem partes dividi posse: Subjiciuntur quædam de aquarum lapidificarum & thermarum examine.

Inter Chymica Cap. 2 de liquoris acidi ex antimonio extractione disquiritur. Egregio porro experimento fulminis, tonitru & terræ motuum natura illustratur. Nempe, ex æquis limaturæ ferri & sulphuris in pulverem contriti partibus aqua dilutis fit mistura, quæ in massam redacta spatio 2 aut 3 horarum citra ignem manet. Hæc massa fermentescens incalescit, vapores ex ea erumpunt calidi, si mediocris est quantitatis, sed in majori mole, ut 30 aut 40 librarum, flammæ erumpunt. Eadem mistura 50 librarum ollæ fictili longæ & angustæ imposita inque terram defossa, post 8 aut 9 horas facit terram superpositam intumescere, quæ dehiscens primum exhalationibus, dein flammis erumpentibus exitum præbet, effuso circum flavo & subnigro quodam pulvere: in olla refrigerata pulvis solum ater & gravis superest. Hinc terræ fremitum oriri, & cum ventus ille sulphureus exitum non habet, diu perstare, probabile est; dato exitu, ventus prorumpens typhonem procreat: hinc ignes subterranei, fatui, thermæ, in nubibus fulmina. Hoc novo experimento probari potest: Vasi satis amplo, cui collum resectum, 3 unciæ optimi spir. vitrioli, & 12 unciæ aquæ comm. affunduntur; cum mistura incaluerit, $1\frac{1}{2}$ unc. limat. ferri injiciatur iteratis vicibus; statim vapores albi ascendent, quibus filo cerato incenso prope orificium admoto, fulminatio cum strepitu orietur. Ex materia in vase residente parat *D. Lemery* suum vitriolum Martis. Docetur inter artis medicæ arcana habita solutio calcis, qua calcis recentis 1 libræ, 6 partes aquæ pluviæ & calidæ spatio 24 hor. affunduntur; tum aqua per chartam emporeticam trajicitur. Administratio ejus in Batavia cum alterantibus, cum purgantibus, aut metallorum tin-

ctura.

ctura ex stanno, cupro & regulo antim. martiali simul fusis, dein pulverisatis & carbonum nitrique additione detonatis, cumque spiritu vini aut juniperi in digestione positis, paratur; 2 libris aquæ cacis, 2 aut 3 unciæ hujus tincturæ affunduntur. Hujus misturæ 6 unciæ quovis die hydropicis & scorbuticis præscribuntur. Sed in regionibus Gallicis aliter se rem habere, docuit experientia. Potest hæc aqua cum lacte conjungi, aut cum ptisana D. Boyle, qui 8 libris aquæ calcis lignum sasafræ, anisi, glycirrhisæ ana 4 unc. citra calorem infudit, uvarum Damasc. aut Corinth. 2 unc. Dosis est 2 unc. bis unoquoque die. Panditur & mysterium guttarum Anglicanarum, quæ sunt spiritus volatilis e serico crudo destillatus, cum oleo cinnamomi, aut quovis essentiali oleo rectificatus. Odorem habent magis tolerabilem, quam præparatio salis ammoniaci, aut cornu cervi. Subjicitur quoque analysis chymica hypecacuanæ albæ, cinereæ & subnigræ. Vires salium alcali dimentiendi ratio docetur Cap. 3, quæ in eo consistit, ut terrestria alcali in pulverem trita primum in 1 unc. spiritus nitri, dein in 1 unc. spiritus salis exsolvenda ponantur, & quantum e singulis, & quam cito fuerint dissoluta, diligenter notetur: cujusque alcali diversa quantitas, ut eandem spiritus acidi quantitatem absorbeat, acidi vim passivam dimetitur. De dissolventibus Mercurii quoque agitur, qui utrorumque dissolventium metallicorum, aquarum nempe tam regalium quam fortium viribus solvitur, non eodem tamen modo, quamvis certa ratione præparatus citius in aqua reg. quam in aqua forti exsolvi possit. Spiritu itaque salis simplici, aqua F. cui sal ammon. accessit, spiritu nitri cum spiritu salis conjuncto, spiritu nitri cum sale comm. cohobato, sed celerrime si cum sublimato corrosivo aquam R. acuas, solvitur; nam ut 1 unc. mercurii dissolvatur spiritu salis, 4 aut 5 mensibus opus est; per sublimatum 1 hora id perficitur Hydrargyri partes omnes non esse homogeneas, purgatio Mercurii, amalgamate cum regulo Martis & Veneris, aquaque calda tam diu loti, dum aqua omnem nigrorem exuerit, docebit; mox exsiccatur amalgama, in retorta extillatur, novum amalgama cum novo regulo paratur, idque ut prius lavari & distillari solet; post amalgama sexto distillatum Mercurius fit niti-

nitidior, adeo ut nona, aut decima lotione peracta, aqua omnino pelluceat. Sordes illæ non ex regulo, sed Mercurii intimis oriuntur; nam alias novus regulus novas afferret sordes. Hæ vero nil sunt præter terrestrem materiam & levem cinerei coloris, non fusibilem, sed quæ boracis & sublimati additione, encausti certis coloribus inusti speciem præbuit. Ex 3 hydrargyri libris $5\frac{1}{2}$ drachmæ hujus pulveris prodiere.

In Botanicis Cap. 4 mira plantarum fœcunditas tam spontanea, quam coacta prædicatur, ita ut arbor turbine ramis omnibus truncata sic damnum compensare possit, ut pro singulis ramis amissis 5760 aut 8280 reponere queat. Et seminum occultorum in uno grano latentium incredibilis summa in acetosa pratensi esse perhibetur, nempe 1, 419, 581, 604, 410. Oleum uberius aut parcius ex plantis educi, secundum artificis operandi modum, monetur; nec oleum fœtidum exire, nisi sub finem distillationis, cum pars acidior, & sal urinosus a planta separata stillant, adeo ut tria illa stirpium principia per retortæ rostrum exeant fere eodem tempore. Seminis fœniculi 1 libræ leviter contusæ 6 libræ aquæ communis affusæ, post 15 dies arenæ balneo extillatæ bisque cohobatæ, 2 dragmas, 56 grana olei essentialis dederunt. Itidem 1 libræ ejusdem seminis contusi affusæ sunt 3 unciæ spir. salis dilutæ 1 aquæ comm. libra; post 8 dies, 20 libræ aquæ tepidæ his affusæ; cunctis in digestione leni positis per 8 dies, 5 & amplius dragmæ olei essentialis prodierunt. Rosæ ante distillationem in aqua communi spiritu vitrioli temperata per 15 dies maceratæ, pene tertia sui parte oleum essentiale auctum largiuntur. *D. de Tournefort* de plantis, quæ in maris fundo nascuntur, marinis notat, eas nullis fulciri radicibus, sed solidis quibusdam corporibus lamella quadam tersa & polita, quæque nullas admittat fibras, adhærescentes, peculiari quodam modo crescere ac ali. Ejusdem iter, Regis jussu in Græciam, Asiam & Ægyptum susceptum, quo plantas Dioscoridis, Theophrasti &c diligenti subjiceret examini, memoratur.

Inter Anatomica Cap. 5 paracentesis puellæ hydropicæ notabilis est; non enim aqua, sed lac per tubulum exiit, ac operatione quovis decimo tertio die iterata, 13 aut 14 pintæ Paris. seu 26 aut 28 libræ eductæ fuerunt. Hunc liquorem pro chylo, e lacteo

vase disrupto effuso habitum, alii aquam hydropicorum, sed chylo extra vasa fuso temperatam æstimarunt. De natura medullæ agens scriptum rejicit veterum sententiam, qua eam ossi alimento esse putaverant, statuitque illam os emollire, & oleo suo minus fragile efficere. Observationes Anatomicas, utpote in Historia Gallica & Commentariis fusius descriptas, omittit Autor. Notari autem meretur mulier 22 annorum, quæ post diuturnam ægritudinem cœpit paulatim decrescere, ad 1 usq; pedis altitudinem, cujus post obitum ossa quæque, exceptis dentibus, visa sunt instar ceræ mollia, & flexibilia, omnis cavitatis & medullæ expertia; item vermis in sinu superiori cerebri infantis quinquennis, de acerrimo dolore ad radices nasi conquerentis, 4 poll. longitudine inventus, terræ lumbricis consimilis, qui per novem horas vivus perstitit.

Brevissime Sect. 2 Mathematica decurruntur, & Cap. 1 Problema Bernoullianum proponitur: *In plano verticali curvam lineam invenire, quam corpus inter descendendum libero motu & proprio pondere describat, lineæ singulis punctis semper insistens, cum vi æquali gravitati absolutæ.* De sensu vocis, *gravitas absoluta*, prius disquiritur, eaque vim centrifugam, qua vi extraneæ ad centrum inflectenti corpora resistunt, denotari docetur, qui nisus eo major est, quo arcus infinite parvus circuli minoris est portio. Posset itaque fieri, ut in curva a corpore delineata, gravitatis impressione semper diversa existente, vis centrifuga sic varietur, ut una alterius excessum defectumve emendet aut expleat, ita ut utriusque simul sumtæ effectus absolutus corporis gravitati semper æqualis sit. *D. Marchionem de l' Hospital* solutionem dedisse monetur. *D. Varignon* de velocitate motus, quæ ratio est spatii decursi, & temporis, (spatium itaque per tempus divisum quotientem præbet velocitatem,) tam in motibus uniformibus, quam acceleratis, aut retardatis, ita agit, ut vires centrales in theoriam suam inducat, quæ vires semper eædem sunt, semperque applicatæ, quæque mobile ad certum punctum dirigunt. Hinc cum celeritas, tempus & spatium inter se combinata triplicem tantum eorum habitudinem suppeditent, duobusque datis, tertium facile inveniatur; vi illa centrali

TAB. III. ad A. 1703.
Mens. Jun. p. 267.

IA.
anißimi
entiarum
vocata.

OCEANUS OCCIDENTALIS.

Maclouiopolis
Brivates Por
Brivates portus
BRITA

SINUS
Turris Cordu
VASCONICUS

ITALIA.

Aquæ Tarb
Nicæa

HISPAN

trali adjecta sextuplex emergit inter ea habitudo. Methodum sic disposuit, ut una ex sextuplici illa ratione cognita, aliæ 5 innotescant.

Quæ tandem Cap. 2 Astronomica tanguntur, periodum 116000 annorum a D. Cassini inventam eclipsi Lunari 5 Mart. 1699 applicant. Periodus enim illa novilunia ad eadem zodiaci puncta, ad eundem hebdomadæ diem, & horam sub eodem meridiano revocat, eaque Epactis in Calendario Gregoriano longe faciliori methodo definiendis aptatur. Defectionis Solaris 23 Sept. 1699 varias observationes idem, methodo sibi familiari, ad longitudinum differentias adhibuit. Refractiones luminis in regionibus polo vicinioribus duplo majores esse, quam in climate Gallico, ex Solis inoccidui refractione, jussu Caroli XI Regis Suecorum observata, patuit. Pendulorum ad temporis accuratam mensuram adhibitorum, varia in variis locis longitudo designatur. Tandem brevis historia de meridiana linea, ab Observatorio Regio ad meridionales regni fines perducta, finem illustri huic operi imponit. Ubi accurata diligentia, loca lineæ meridianæ primitus ductæ circumjecta, ad plures leucas ab invicem remota, sunt observata, eorumque anguli ad meridianam & ad se invicem magnis sumti sunt instrumentis; nullis locis occurrentibus arbores sunt erectæ, aut tumuli ex se mutuo, & ex præcedentibus locis visibiles, & sic ad Pyrenæos usque montes, nunquam interrupta triangulorum serie, opus ipsum perductum fuit. Elegantissima & accuratissima totius Galliæ tabula æri incisa, & propriam perfectionem, & quantis deviationibus communes tabulæ a vero locorum situ discedant, clarissime loquitur; quam proin & hic exhiberi, operæ pretium duximus. **TAB. III.**

DOCT. PHYS. D. DOMINICI SANGINETI APpuli Dissertationes Iatrophysicæ.

Neapoli, apud De Bonis, 1699, in 8.

Plag. 16.

Sublimioris ingenii ac veros Philosophos nunquam certæ cuidam sectæ addictos, sed libere semper ad veritatem inquirendam philosophatos fuisse, vel unius *Galeni* exemplo con-

stare potest, quem *Lib. 2. de Morb. Vulg.* ita differentem legimus: *Ego quidem neque in Hippocratis solum scriptis, sed in omnibus Antiquorum libris observo, ut non temere, quæ quisque ipsorum dixerit, approbem: sed experientia & ratione, verumne an falsum sit, examino.* Non sine ratione itaque *Clarissimus Vir*, Dominicus Sangineti, opusculi præsentis Auctor, animadvertendum esse putat in illos, qui Philosophica & Medica tractantes, nimis præcipitanter quorundam scriptorum excogitata amplecti, ac magnificentius ubique commendare non verentur. Et prout vix ullum inter reliqua latius pervagatum esse, quam quod de Acido & Alcali retro abhinc aliquot lustris innotuit commentum, persuasus est, ita hoc cumprimis examinandum ac refutandum sibi proposuit; quo cesset tandem hæc Fermentariorum in scholis Medicorum tyrannis, ac liberis Philosophorum ingeniis imponere amplius desinat. Enimvero non solum puris putis conjecturis inniti, sed vanitate etiam plenam, ac non dissimilem Veterum de qualitatibus nugamentis esse hanc ipsam doctrinam, existimat. In octo Dissertationes autem digessit omnem hujus argumenti tractationem, quarum summam breviter jam recensebimus.

Quod igitur primam in ordine attinet Dissertationem, *de Acidi Genealogia* inscriptam, certiores hæc reddit legentes, non adeo modernam, sed satis antiquam esse Acidi notionem cum variis ejusdem operationibus, testante ipso *Hippocrate & Galeno*, quorum hic *Lib. 1. c. 7. de Caus. Sympt.* ille vero in *Lib. de Vet. Med.* expressis verbis Acidi mentionem faciunt. Quod autem ipsa Hippocraticæ doctrinæ principia, præter Acidum & Alcali, nulla fuerint alia, *Tachenii* figmentum esse docet, quod ne adeo videretur esse absonum, ex antiquissimis Philosophis probare conatus fuit, unius ejusdemque generis duo hæc Ignis & Acidi esse elementa. Cum enim a *Platone* Ignis ipse sub pyramidis figura describatur, ac Neoterici Acidi moleculas itidem acuta cuspide & angulis armatas afferant; satis fundatam esse hanc suam *Hippocratis* interpretationem, ratus fuit *Tachenius.*

Alteram de *Alcali origine ac natura* tractare observamus Dissertationem. Ubi & Alcali vocabulum non novum esse, iti-

itidem ex *Tachenii* relatione docemur, quippe qui ex *Alphidii* vetusto codice, cui titulus *Aurora Consurgens* &c. *cap.* 12. allegat locum, ubi salis Alcali tersis verbis fit mentio. De cætero sub finem hujus Dissertationis etiam monemur, Alcali, ad mentem Fermentariorum, nihil esse aliud, quam corpus porosum ac foraminibus innumeris præditum.

Dissertatione tertia, in medium adductis veterum ac recentiorum *de Chylificatione* sententiis, multum de Calido Innato ac Humido Radicali veterum disputat Auctor. Ex recentioribus, *Sylvii* cumprimis, *Joh. Membroë* & *Majoris*, tandem & *Virideti* proponit de Chylificationis negotio opiniones, quas tamen omnes, licet primo intuitu satis diversas, facili negotio, ablatâ vocum ambiguitate, conciliari posse, atque ad unum tendere scopum, existimat.

Cum autem Acidi Alcalique patronos in animantium œconomia naturali, & ægritudine præsertim, de Acido ejusque tyrannide fere semper loqui deprehenderit Clariss. Vir, peculiari Dissertatione, & quidem hac in ordine quarta, *de Acido in specie* sermonem pertexere decrevit. Non parum hic primo miratur, cur non indicetur ab Auctoribus ac demonstretur, quomodo discrepent acidæ ciborum partes, in chylum sanguinemque versæ, a partibus acidi naturalibus; item, qualis sit illa acidi alteratio, dum a statu sano ad morbificum pertransit. Hoc enim a nemine hactenus præstitum fuisse meminit. Pergit hinc examinando *Willisii* principia, in tractatu de Fermentatione proposita, ac putat, deceptum omnino fuisse *Willisium*, & una cum eo decipi omnes adhuc Chemicos, per experimenta illa, quæ extra animantium corpora instituere satagunt, persuasos, eosdem plane effectus, quales e lacte vinoque acescentibus exoriuntur, nostri corporis humoribus ad analogiam etiam innasci: cum tamen acescentiam, si quæ modo ex illorum hypothesi humoribus nostris accidat, minime ab innato aliquo atque excedente in corpore acido, sed solum ac unice a spirituum defectu proficisci, certum sit. De cætero salia acida non posse aliter, quam solvendo, minime vero, ut Fermentarii existiment, coagulando, agere & operari, firmiter persuasus est Auctor. Et quam-

quamvis coagulum lactis ab acidis factum opponant adversarii, putat tamen, coagulationem hanc solum a resistentia ac renixu duriorum lactis fibrarum, nullo modo vero ab acido figente oriri. Quod si enim potentia acidorum salium, lactis repugnantiam atque adeo fibrarum duritiem superaret, idem in tam minutulas dissecaret particulas, ut fluenti aquæ similibusque liquoribus responderet.

Examinantur in Dissertatione quinta rationes eorum, qui *Acidum & Alcali simul juncta* pro rerum principiis venditant. Et quoniam Auctores duas hasce substantias, quoties obviam sibi occurrunt, præ figurarum ac ponderis sui varietate, fermentationem commovere credunt, quæ usque adeo durare debeat, quo unionis necessitudinem secum ineant, tertiumque inde pullulet plane diversum; non solum novum hunc & commentitium oriendi modum longe lateque a veritate abesse existimat, sed posita etiam hac recente principiorum isagoge, ipsam tamen Auctorum pessundari de principiis his invicem inter se pugnantibus hypothesin, si applicatio fiat ad functiones in viventibus naturales, putat. Enimvero simulac acidum & alcali convenirent in ventriculi glandulis, dispar omnino per modo commemoratam luctam inde nasceretur, quod nec acidi nec alcali nomen obtineat; consequenter tertium hoc, minime vero acidum & alcali, uti alias volunt, chylificationis & sanguificationis esset principium.

Sequitur Dissertatio sexta, quæ *de Fermentatione fluidorum in viventibus* agit, & in qua obnixe *Cl. Auctor* cum physicis tum mechanicis rationibus demonstrare satagit, sanguinem duplici motu, fermentativo nimirum & circulari, moveri neutiquam posse; quod, licet a *Charletonio* jamdiu fuisse factum, non lateat Eruditos, alia methodo tamen aliisque argumentis ab hoc nostro Auctore tractari hanc controversiam, ex sequentibus constabit luculenter. Supponit autem tanquam certissimum *Cl. Vir*, sanguinem ejici e cordis sinubus, non per suum proprium motum, uti *Harveus* voluit, sed per inflationem fibrarum, quale quid & *Lowerum* ac *Borellum* docuisse novimus. *Nam cum substantia fibrosa cordis*, inquit, *per continuum spirituum influxum nervisque mediantibus dilatatur, prali ad instar sanguinem a suis alveolis expellit, ceu expel-*

expelluntur nuclei etiam digitorum compresſione. Atque huic cordis motui omnem inniti ſanguinis circulationem, firmiter perſuaſus eſt. Jam concedit, ſanguinem conſtare ex minimis particulis, variis ponderibus, variisque figuris præditis, easdemque particulas figuris ſuis propriis correſpondere in motu, ac ſecundum eundem intrinſecus moveri poſſe credit: quod ſi vero ejusmodi particulæ ab aliqua cauſa majori vi ac potentia prædita exturbentur, ad impellentis tunc motum, non vero ad proprium easdem cieri, omnino probabile eſſe contendit, neque earundem pondus ac figuram illis ſuffragari poſſe credit, cum deſiliro accidat non ad earum, ſed ad motum plagæ acceptæ. *Cum igitur potentia ac vis illa cordis ſubſtantiam movens major ſit, quam omnium fluidorum in ſanguine contentorum motus ac reſiſtentia, ad ejus impulſum, & non motu proprio in animantibus fluida omnia moveri,* certum eſſe exiſtimat. Neque etiam in cordis diaſtole, ubi ſanguis alias quietus ſupponitur, effervescentiæ vel fermentationi locum remanere credit, poſito, cordis motum eſſe adeo celerem, ut antequam ſanguis ejectus per ſyſtolem A. e. g. quietem acquirat, expellatur iterum per ſyſtolem B. Poſthæc probare etiam ſatagit *Cl. Auctor*, quod, poſito in ſanguine fermentativo motu, ipſa animantium œconomia naturalis turbaretur, exemplo de generatione ſpirituum in cerebro deſumpto, quam minus recte in tali ſanguinis partium conflictu procedere poſſe exiſtimat; ſiquidem eo ipſo, dum chyli feces ac ſanguinis ſcoriæ præcipitando in fibrillarum glandulas impingerent, pondere, duritie atque inæqualitate ſua easdem dilaniarent, imo in ipſis ſtabulando, fluidis advenientibus novis tranſitum omnino interdicerent. Provocat inſuper ad valvulas in venis perpetuo occurrentes, quas fermentativum in ſanguine motum impedire certiſſimum; ſiquidem fluida effervescere ſaltem obſervantur, cum inter ipſa nullum mediet obſtaculum, ſed continuitas potius atque unio quædam ſervetur. Quodſi igitur obſtet hæc in venis valvularum multitudo earundemque proximitas, prout cuique ex curioſiori Anatome conſtat, ſanguinis fluida effervescere in venis nulla ratione ac modo poterunt. Et cum nullam transmutationem absque fermentatione in mixtis dari, ab adverſariis ſibi tandem op-

poni

poni audiat Auctor, innumeris rationibus demonstrari posse docet, perennem illum fluidorum a corde factum impulsum ad transmutationem omnino sufficere. Nam cum quater millies singulis horis cor moveri, totiesque, intra tam exiguum temporis spatium, particulas sanguinem componentes concuti & conteri certissimum sit, satis superque inde elucescere existimat, quomodo per repetitam hanc contritionem ac concussionem sanguinis moleculæ immutari penitus queant.

Postquam igitur prolixe satis atque eleganter demonstratum dedit Cl. Auctor, fermentationem in animantium fluidis locum habere nullo modo posse, convertit se Dissertatione septima ad *Mixta inanimata*. Et prout *in his fermentationem dari* non inficiatur, ita in hoc potissimum incumbit, ut modum monstret ac rationem certam, qua fermentatio in illis procedat. Putat autem, quod fundamenti loco tenendum, in mixtorum particulis nullum motum, extra gravitatis illum, a quo unice moveantur, statuendum esse. Cumque aliud corpus, quod ubique inveniatur, nullum sit, præter aerem, qui semper irrequietus apparet, eum tantum dicit esse omnis fermentationis causam efficientem. Modus autem ipsius fermentationis, ad mentem ejus sequens erit: nimirum *partes minus crassas in mixtis minusque graves ac coadjacentibus minus arctas, primo per aerem moveri, expellique; inde ex his atque assidua aeris gravitate alias atque alias, cum fermentatio gigni incipit, moveri* existimat. Contra vero, aeris pondere aliqua industria denegato, mixtorum partes suo naturali fœdere summa pace frui credit. Id quod experimentis illis, quæ *Boyle circa conservationem corporum in Vacuo* instituit, maxime confirmari autumat, utpote quæ luculenter satis demonstrent, nullum per longum tempus detrimentum nullamque mutationem passa fuisse in Vacuo mixta corpora, exantlato debite aere.

Ultimo loco, Dissertatione nimirum octava, *de Chylificatione ejusque principiis* ex professo agit. Placet hic *Auctori Clarissimo*, postquam naturalem ventriculi fabricam ex recentiorum anatome delineavit exactius, multiplicia illa arteriarum oscilla, quæ glandulis mediantibus in stomachum terminantur, conside-

ſiderare ut organum, mediante quo ipſis chylificationis principiis ex ſanguine in ventriculum pateat aditus, ut in alveum ejus confluant, ibique cibaria, quaquaverſus ſe immiſcendo, penetrent, dividant, atque in chyloſam ſubſtantiam mutent. Qualis autem dictorum principiorum natura, & in quo a *Williſii* ac *Tachenii* fermentis differant, declarare recuſat. Non diſſimulat tamen, eſſe eadem inſtar ſpirituum animalium, vel, ſi exoſum hoc nomen, inſtar ſubſtantiæ illius, quæ ad ſenſationes obeundas animantibus deſervire ſolet. Atque hæc ipſa chylificationis principia tanta tenuitate frui, tantamque aſſidue adipiſci perſuaſus eſt, ut, ſi de eorum affectionibus, ſapore, odore, colore conquireretur, longe eadem inſipidiora illo celebri menſtruo a Chemicis, præcipue *Angelo Sala* enarrato, reperirentur. *Secundum hanc igitur ſummam tenuitatem, multiplicitatem, celeremque motum, ſubtilisſimas illas particulas cibariis ſe inſerere, ac penetrando aperire eorundem ſpatiola, nec non ipſa asſidue ſeparando liquida reddere ac vitalia poſſe exiſtimat.*

Et ut conſtet tandem, quid de principiis Adverſariorum in genere ſtatuat, non incongruum erit, ipſius *Auctoris* verba, quibus ſub finem eruditi hujus opuſculi utitur, huc referre:

Summatim dico, in hac rerum univerſitate neque alcalia, neque acida, neque ſulphurea, ſive fixa, ſive volatilia, ut rerum initia reperiri; ſed mixta, dum dividuntur iterumque combinantur, ſalis, vel ſpiritus, vel ſulphuris nomen acquirere, at in minimas exileſque partes dum rediguntur, volatilium nomen ſortiri; iterum, dum coëunt, & particularum motus intercipitur, fixa vocari, quod in generatione omnium corporum quicunque Philoſophus eſſe profitetur, perſcrutatus eſt.

DE CHIMÆRA DISSERTATIO CRITICA, IN NOTas D. Clerici in Heſiodi Theogoniam. Autore PETRO PENAVÆREO, Doctore in Legibus & Profeſſore Linguæ Græcæ in Athenæo Regio Gallicano Berolinenſi.

Berolini, literis Joh. Weſſelii, 1703, in 4. Pl. 2.

MEra Gentilium fabulas figmenta non esse, doctorum jam dudum demonstravit Virorum industria, quæ in retegenda abscondita in eis veritate occupata fuit. In ipso Chimæræ monstro veram delitescere historiam, sensit harum rerum peritissimus Samuel Bochartus, quam in libro, quem Canaan inscripsit, eruere conatus est, l. 1. c. 6. Quantacunque vero hujus summi Viri sit solertia, satisfacere tamen necdum potuit clarissimo novo Hesiodi editori Johanni Clerico, cui diversa, in explicanda Auctoris sui Chimæra, incedere via placuit, inducto rationibus, quas iterum in hac sua dissertatione clarissimus Penaværeus excutere sustinuit, qui dum Bocharti sententiam vindicat contra Clericum, ea addit, quæ a neutro observata sunt. Seriem autem dissertationis ejus ostendere, nostri erit officii. Postquam itaque ex Hesiodi Theogonia v. 319 sqq. fabulam exhibuit, quod Chimæra sit ab Hydra Lernæa genita, spirans terribilem ignem, triplex capite, ante Leonis, retro Draconis, & medio Capræ, monstrum a Pegaso strenuoque Bellerophonte sublatum; Bocharti explicationem subnectit, qui Bellerophontem facit Ducem Lyciorum, quorum in Solymos bellum describit Homerus Il. 7. Solymis autem Duces erant tres, Arzalus, Aryus & Trosibius, quos ab illis pro Diis cultos esse, Plutarchus auctor est. Chimæra ergo solos significat Bocharto Solymos, quorum tres Deos tribus Chimæræ capitibus adumbrari, ex ipsa Phœniciorum nititur probare lingua, ex qua nomina acceperint. Arzalus enim Phœnicibus est ארזל *Arzal*, ut Syris אורזיל *Urzil*, quod Hinnulo Capræ respondet, Aryus ארי *Ari* vel אריה *Arieh* Leonem significat, Trosibius vel Trosibis ראש הויה *Ros Hivjah* Caput denotat Serpentis, cui perperam a Græcis T ab initio adjectum credit. Hæc tria Solymos nomina in militaribus gessisse signis, asserit ulterius Bochartus, tanquam Deorum suorum symbola vel Ducum, quos cum fudisset Bellerophon, dictus fuerit vicisse monstrum triceps, quod esset

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. i. e.

Ante Aryus, retro Trosibis, medio Arzalus ibat.

Verum enim vero in hac explicatione miratur *primo* Clericus, nihil suboluisse Bocharto de nomine Chimæræ, ex quo ænigmatis hujus solutio pendeat: *secundo* notat characterem, quo Chimæra

dici-

dicitur ſpiraſſe ignem, in locis Heſiodi citatis: ex quibus *tertio* colligit, quid nomine Chimæræ Poëtæ intellexerint. Inquit autem, ſi Phœniciis literis ſcribamus כמירה *chamirah*, comperiemus,, ea voce *aduſtam* ſignificari, ex radice כמר *chamar*, id eſt *aduri*;,, quod nomen optime convenit ei, quam fingunt ignem ſpiraſſe.,, At qui potuit fingi animal, quod ignem ſpiraret? Revera non fuit,, animal, ſed mons Chimæra, qui eo nomine propterea appella-,, batur, quod flammas eructaret. Memoriæ prodidit Cteſias Cni-,, dius, *ὅτι πῦρ ἐϛιν ἐγγὺς Φασηλίδος ἐν Λυκίᾳ ἀθάνατον*,,, *καὶ ὅτι ἀεὶ καίεται ἐπὶ πέτρας, καὶ νύκτα καὶ ἡμέραν*; quæ,, vertit Plinius H. N. l. II c. 106: *flagrat in Phaſelide mons*,, *Chimæra, & quidem immortali diebus ac noctibus flamma*.,, Phaſelis autem fuit pars Lyciæ. De hiſce montibus ita Strabo l. 14,, p. 458: *περὶ ταῦτα μυθεύεται τὰ ὄρη τὰ περὶ τῆς Χιμαίρας*. Cæ-,, terum ab Heſiodo Chimæra tria fingitur habuiſſe capita, Leonis,,, Capræ & Serpentis, forte propter juga tria, quæ judicabantur a-,, liquatenus referre figuram illorum animalium. Per quæ autem,, juga *quarto* intelligendos eſſe Clericus cenſet eorum incolas, quos Bellerophon non ſolus, ſed cum exercitu illinc dejecerit: Pegaſum vero illi datum a Poëta, quia propter altitudinem jugorum opus pene alis erat, quibus invitis incolis eo aſcenderet. Ad hæc Penaværeus tandem noſter, ut quid laudis Bocharto deteratur, impatiens, mirum non eſſe judicat, tacuiſſe hunc de Chimæræ vocis origine, quod non ignoraret, Chimæram, Leonem, & Draconem mere Græca eſſe vocabula, quæ a Phœnicibus nequaquam mutuanda ſint. Unde totam quidem eſſe Phœniciam fabulam agnoviſſe Bochartum aſſerit, ſed nomina ad Græcam linguam eſſe translata, excepto nomine Pegaſi, quod itidem ad ſuam linguam traducere Græci ſint conati, *ἀπὸ τῆς πηγῆς* derivantes, quod fontem ſignificat. Veritati hinc minus convenientia ſunt Noſtro, quæ Clericus de voce *Chamirah* diſſeruit, quæ aduſtam ſignificet, atque hinc montem Lyciæ adumbret, qui Chimæræ nomine Plinio, Straboni & Cteſiæ veniat, quod flammas eructet, quique deinde a Bellerophonte deletus dicitur. Cum enim Chimæra non ſolum de monſtro dicatur, ſed & Capram, quod ipſi hi verſus Heſiodi probant, denotet, aſſerit Penaværeus poſteriorem ſignificatum tralati-

 tium

tium minime esse, quoniam capræ cum monte flammas evomente nihil commune sit: sed contra Chimæræ alteram notionem meram esse allusionem ad Phœniciam vocem Chamirah, cui si quid tribuendum esset, Clarissimus Auctor putat, Phœnicium *chamar* posse exponi tam per *obscurum esse*, quem quoque valorem vox habeat, quam *aduri*; tum ob flammas, quæ ei tribuuntur; tum propter obscuritatem ænigmatis, eadem ratione, qua Cimmeriæ tenebræ densissimas significent. Sed missis his omnibus, genuinam indagaturus explicandi rationem, fundamentum omnis erroris in Græcorum ignorantia collocat, qui omnes in fabula voces in suam transferre audentes linguam, decepti sint voce צבא *tseba* Phœnicia, quæ tam capram quam exercitum denotat, ex ipsius Clerici observatione ad v. 484 Theog. vel potius, quod verius Noster existimat, ex cognatione vocis *tseba*, quæ idem ac exercitus, & צבי *tsebi*, quæ idem ac capra est. Quo ducti errore Græci historiam Phœniciam, quæ hæc erat: Bellerophon delevit *tseba* i. e. exercitum, spirantem ignem, i. e. cuncta incendio vastantem, cujus tria *roshim* i. e. capita, seu tres Duces erant Arzalus, Aryus & Trosibius, vel cujus agmina præferebant symbola trium illorum Ducum, nempe primum Leonis, quo adumbrabatur Aryus, medium Capræ quo Arzalus, & novissimum Draconis, quo Trosibius; ita corruperunt: Bellerophon delevit *tseba* aut *tsebi*, i. e. Capram sive χίμαιραν ignem spirantem, habentem tria capita Leonis, Capræ & Draconis. Sic enim mutato nomine exercitus in capram sive chimæram, cetera nullum sensum metaphoricum admittere potuerunt. Ita verissimum est ex origine vocis Chimæræ ænigmatis solutionem pendere. Historia vero Phœnicia sic constante, neminem miraturum esse confidit Clarissimus Vir, quod possit dici de exercitu, quod ignem spiret; idem enim esse, ac si dicatur omnia vastare incendio, qua metaphora nihil sit usitatius: quod testimonio Noster probat ex Act. 9, 1. ubi Saulus dicitur ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου, spirans minas & cædem: nec minus manifestam esse rationem, qua sub capitum nominibus Duces intelliguntur, cum id plerisque fere linguis solenne sit. Hoc modo satis se vindicasse credit Auctor Bocharti interpretationem fabulæ. Hinc se confert ad examen sententiæ Clerici, de

no-

nomine Chimæræ montis, quod fictitium ait, vel saltem tralatitium a nomine Chimæræ monstri fabulosi, eo, quod similiter flammas vomeret. Ejus vero antiquitatem ex ipsis locis a Clerico allatis labefactat, quoniam a Ctesia nomen hoc non adscribatur illi monti, quem describit, & Plinius vertendo locum Ctesiæ videatur nomen Chimæræ addidisse de suo, Strabo vero dicat tantum, his montibus fabulam Chimæræ affingi: quibus innui autumat Noster, Græcis hujus fabulæ originem disquirentibus, nihil melius occurrisse, quam montibus ignivomis assignare fabulam & nomen Chimæræ ignivomæ. Indeque sequi ait, rejiciendum quoque, quod adjicitur, tria Chimæræ capita tria esse juga montis, quæ aliquatenus animalium figuram referant. Nam durum ipsi videtur, juga ejusmodi fingere, nulla favente veteri aut nova loci descriptione; durius, quod in fabula eadem Chimæræ monti origo tributa sit Phœnicia, & Chimæræ jugo ejusdem montis Græca & propria assignetur significatio. Posito vero, Chimæram esse montem illum, cui Chimæræ fabula assignatur, id tamen expendendum, quod Bellerophontem narrat historia superasse ac domuisse hanc feram flammas eructantem, cum tamen & Plinius & Ctesias dicant, flagrare etiamnum montem illum ignivonum: si vero de incolis potius, quam de ipso monte, sermo sit, non verosimile videri, adeo perversi judicii fuisse Phænicios Scriptores illius ævi, ut in eo collocarent omnem Herois sui laudem, quod incolas vicisset montis ignivomi, vel adeo levis & levæ mentis fuisse homines illius ætatis, ut crederent, incolas hosce ferociores esse factos ex vicinia montis, quasi pariter flammas vomerent ex pectore, aut feros animos ferarum, quas illius montis juga referebant, induissent; cum acuti potius ingenii fuisse Phœnices constet. Unicum tandem id argumentum evincere existimat, de monte quæ statuit Clericus, locum non invenire posse, quoniam mons hic ab ipso Clerico ex Ctesia & Plinio dicatur situs esse in Lycia, Lyciorum Ducem autem Bellerophontem fuisse constet, qui Solymos delevit. Inverteret igitur Clerici interpretatio plane historiam, & debellantes Chimæram in debellatos, & commilitones Bellerophontis in ejus hostes mutaret. Neque descivisse Lycios a Duce suo, nos docet historia. Quod Clericus dicit, non solum Bellerophontem dejecisse ex monte incolas, sed cum ex-

ercitu, Nostro se approbat; minus tamen in eo ipsi cum adversario convenit, quod exercitum a Pegaso distinguat, quem ipsum Noster equitatum Bellerophontis exponit, nixus fundamentis in Phœnicia lingua jactis, ex qua ortum habere putat Πήγασον; & quidem ipsum Clericum ex Bocharto alibi docuisse ait, esse compositam vocem ex סוס פג *pag sous*, quarum prior lupatum significet, posterior equum: qua tamen derivandi ratione forte veriorem Penaværeus putat conjecturam suam, qua deducit vocem ex פחז *pechatz* & סוס *sous:* quarum illa secundum Buxtorfium pro *celeri* & *levi* usurpetur Gen. 49, 4, & ex ipsa Clerici sententia ad h. l. proprie dicatur de aqua effusa & exundante seu ἐξυβριζομένῃ; hæc non tantum de equo dicatur, sed & de equitatu; unde recte *equus alatus*, vel *equitatus velox*, ἵππος πτεροεὶς exponatur, uti Homerus ἔπεα πτερόεντα *verba alata* dicit, quæ celeriter prolata sunt, vel etiam ex Clerici mente *pechaz sous*, *equitatus effusus & exundans*. Quod autem litera ח in פחז mutata sit in Græcum γ, monet esse frequentissimum; quemadmodum a Græco ἄγχω fit *ango* Latinum. Ex omnibus ita deductis hæc prona ipsi fluit historia: Bellerophon delevit exercitum ignem spirantem, & tres duces illius, vectus equo alato, seu veloci, vel comitatus equitatu celeri, aut ingenti, qui regiones illas inundavit. Ad quæstionem, qua quis rogaret, qua caussa factum fuerit, ut nihil senserint de hac rei veritate Græci Mythologi? num liceat forte suspicari, Phœnicios mira hac de suo Heroe narratione, studio Græcos fabularum cupidos & quasi μυθομανεῖς ambiguitatibus & allusionibus deludere voluisse? responsurus, de *Sphinge*, quæ & Φὶξ dicta, quædam præmittit, quam Chimæra peperisse Hesiodo memoratur, & licet diversa de vocis origine Bochartus & Clericus sentiant, docet tamen, utriusque etymologia admissa, constare explicandæ historiæ rationem, sive derivetur a voce פקחה *piccahah* propter sagacitatem, sive a סבך *sabak*, i. e. *perplexus fuit*, sive a ספך i. e. *sanguinem effudit*. Sic enim vel ipsa ænigmata intelligi posse ait, vel ipsos victores, qui illa victis insultantes proponerent, occidentes eos, si solvere non possent. Bellerophon enim cum vicisset Solymos, magna hæc habita victoria & insignis fuit; quo factum, ut victis post hæc daretur divinandum, quid esset Chimæ-

ra

ra ignem ſpirans, cui fuerint tria capita, Leonis, Draconis, Capræ, quam Bellerophon occiderit vectus Pegaſo equo. Stabilit hæc ex more Phœnicum, qui ludere ænigmatibus ſint ſoliti, ſtatuta mulcta in eos, qui ſolvere eadem non poſſent, præmioque ſoluturis promiſſo. Noſtrum vero hoc ænigma deinceps ad Græcos perveniſſe conjicit, ignaros veræ hiſtoriæ. Utique non ſemper pugnare armis exercitus ait, ſed ſcommatibus ſæpius & dicteriis ſe invicem invadere, quale quid in exercitu Bellerophontis evenire potuerit, quo milites victis hoſtibus propoſita ingenioſa & acri ſatyra illuderent, qui tamen ſales, Græcos poſtea, alluſionis nominum ignaros, latuerint.

OBSERVATIONUM AD REM LITTERARIAM ſpectantium Tomus VI.

Halæ Magdeburgicæ, apud Rengerum, A. 1701, 8.
Alphab. 1. plag. $3\frac{1}{2}$.

Quæ ratio ſit Obſervationum harum ſelectarum Halæ Magdeburgicæ per ſingula ſemeſtria A. 1700 publicari cœptarum, jam anno ſuperiori 1702 p. 101 indicavimus, quando de quinque Tomis illo tempore proſtantibus junctim a nobis verba facta ſunt. Nunc de ſexto ſigillatim dicemus, cujus Obſervatio I. Hiſtoriam ſectæ Machiavelliſtarum & Monarchomachorum pandit, atque iſtam, ſi praxin inſpicias, non cum Machiavello demum, ſed cum ipſis Tyrannis cœpiſſe perhibet. Machiavellum vero, ut ut ab aliis culpetur, ab aliis defendatur, libros tamen condidiſſe refert conſiliis nefariis, absque antidoto & cautione propinatis, plenisſimos, ſectamque Machiavelliſtarum in Galliam propagatam exiiſſe tandem in ſceleratas illas totique orbi notas nuptias Pariſienſes, quæ in A. 1572 inciderint. Monarchomachorum ſemina quædam ſparſa jam fuiſſe perhibet tempore Ludovici Bavari, ſed in apertam veluti ſectam rem demum erupiſſe poſt Pariſienſes nuptias, a quo ſane tempore magno agmine in ſcenam prodierint ſcriptores hujus ſectæ, partim veris, partim aſcititiis nominibus inſigniti, quorum nonnullos recenſet, ac, ut Machiavelliſtarum flagitia occaſionem dederint ſectæ Monarchomachicæ, ſic regicidia Monarchomachorum viciſſim pluribus, & inter hos Thomæ

imprimis Hobbesio, ansam præbuisse ait, sectam Machiavellisticam denuo incrustandi. Observat. III legem Ephesiorum Democraticam, *nemo de nobis unus excellat*, sub examen quoddam revocat, ejusdemque cum illa commatis fuisse conjicit aliam Sybaritarum, in hæc verba conceptam, *nemo nostrum frugi esto*, quam multi quidem exagitent, tanquam extremæ ignaviæ indicinam, sed dubitat tamen Autor, an ad vitam adeo sceleratam & tam turpem lege illi publica se obligaverint, quin potius Democraticis eam Rebuspublicis accommodatam statuit, in quibus nemo unus permittatur reliquos omnes antecellere. Observ. IV de ordine Alphabeti literarum conjecturam exponit, & Alphabetum Hebræorum pro fundamento venditat, ad quod reliquæ gentes se composuerint; id quod per ordinem Alphabeti Græcorum & Latinorum declarat, ac parallelismum omnium trium Alphabetorum adjicit. Obs. VII de ritu Poëtas Laureatos creandi agit, eumque, secus ac Scaligero visum, non a Domitiani ævo, sed ab origine graduum Academicorum, a temporibus Domitiani longe remotiori, deducit; quandoquidem jus creandi Poëtas in diplomatibus Comitum Palatinorum intime connectatur cum jure creandi Doctores, Licentiatos, Magistros, Baccalaureos. Indeque convenientiam solum aliqualem esse statuit inter lauream Poëtarum recentiorem, & antiquiorem illam tempore Virgilii aut Domitiani usitatam; magnam autem econtrario se prodere discrepantiam, verbis privilegii Petrarchæ, cum inter primos Poëta crearetur, dati illustrat. Sicut autem Poëtas Laureatos quintam quasi Facultatem constituisse monet, quæ cæteras coëgerit in ordinem elegantioris literaturæ, a qua secula prisca, quæ barbariem tueri sustinuerint, abhorruisse constet, ita Academias recusasse putat creationem Poëtarum Laureatorum; unde apud Imperatores solos ea potestas resederit, quam tamen illi in Comites Palatinos paulatim exonerarint. Quanquam de cætero vix aliter referri videas, quam primum fuisse Petrarcham, in quo mos ille vetustus & post aliqua secula mortuus renovaretur, aliter tamen se rem habere, & ante ipsum, licet annis non plurimis, Albertinum Mussatum id honoris meruisse probat. Observ. VIII Jo. Isacio Pontano consecrata est, ejusque Originum Francicarum libros sex recenset. Obs. X Da-

Danielis Caſpari a Lohenſtein vitam atque ſcripta enumerat & commendat. XI regulam aliquam Criticam inter ignotiores numerandam proponit, iſtam nimirum: *Autores ſæpe habent vocabula quædam ex ſimplicibus analogice compoſita, quorum ſignificatio, quia uſu non frequentatur, obſcura eſt.* Illuſtrat eam exemplo ipſiusmet Pauli Apoſtoli, qui, utut linguæ Græcæ ſatis peritus fuerit, nihiloſecius [illegible]logiæ illecebras cavere & evitare non potuerit, uſus q[illegible] vocabulo ἐξουσία, quod inter ejusmodi compoſita heic numeratur. Cum enim norit Paulus, præpoſitionem ἐξ ſæpe eminentiam & abundantiam ſignificare in compoſitione, οὐσίαν vero rem quamlibet, formaſſe ipſum ex duabus hisce vocibus vocabulum ἐξουσία, quod eminentiam ſeu abundantiam rei cujuscunque ſignificet. Lucem hinc affundi autumat imprimis loco 1 Cor. XI, 10. quem ita vertit: *propterea mulier rem quampiam ſupereminentem in capite habere debet propter nuncios* (ad Eccleſiam ſubinde mittendos.) Iſtos nuncios ſæpiſſime juvenes atque comtulos adoleſcentes fuiſſe addit, cum ſenes muneri tali haud apti fuerint; nec dubitat, quin Paulus voce ἀγγέλους, ſubobſcure ad Angelorum pulchritudinem ſ[illegible] in Veteri Teſtamento celebratam alludat. Rationem igitur legis videri eam, ut ne mulierculæ in concione, ubi omnia modeſte fieri oportebat, conſpectu adoleſcentum exterorum ad libidinem irritarentur, & caſtitatem, ad quam maritis ſeſe obligaverant, negligerent. Obſerv. XIX Artiſtarum titulum Philoſophis olim tributum conſiderat, eumque hinc enatum colligit, quod in antiquiſſimis Academiis illorum temporum Philoſophi ſolum docuerint ſeptem artes liberales. XV Facultatum Academicarum plerumque numerari notat quatuor, ſed extra ordinem alibi pauciores, alibi plures invaluiſſe innuit. XVIII ſtatum ſiſtit Academiarum in ſeculis barbaris, cumque apud ſcriptores iſtius ævi in re literaria partes ab artibus interdum diſtinguantur, Obſ. XIX per artes Philoſophiam, per partes octo intelligit partes orationis, atque adeo rudiorem illam Grammatices notitiam, qualem hodie ſoleant pueri haurire ex Donato. Tacemus, quæ in Obſerv. XX dicuntur de ſtatu Academiarum, & imprimis Facultatis Philoſophicæ, poſt

receptum Ariſtotelem, inque Obſ. XXI de vocabuli *Philoſophiæ* multiplici acceptione, & ad ſuperiores Facultates accommodatione. Philoſophorum nomen ſigillatim Chymicis inditum, notat Obſ. XXII, quæ etiam de lapide Philoſophico nonnihil diſſerit. Obſerv. XXIII ob commentatiunculam de Elia Artiſta legi imprimis meretur. Obſerv. XXIV Oswaldi Crollii tractatum de ſignaturis rerum internis rep[illegible]t. Obſ. XXV de Jacobi Acontii Stratagematibus Satanæ [illegible], atque una vitam, fata & doctrinam Viri uberius exponit.

DISSERTATIO BREVIS, AD ASTRONOMOS ET omnes illos, qui Cœleſtibus Scientiis delectantur, in qua SPECIMEN NOVUM, pro incrementis Aſtronomiæ mirifice promovendis, & defectibus hactenus obſervatis feliciter corrigendis, proponitur.

Anno 1703, fol. Conſtat plag. 3.

SCientiæ Aſtronomicæ incrementa, veris tamen ſolidisque fundamentis innixa, promoturus Autor, nomen quidem non profeſſus, aſt Vir Illuſtris rerumque Aſtronomicarum peritisſimus, hortatur Aſtronomiæ deditos ad labores, etiam turbulentis ob bellum in Europa temporibus ſuſcipiendos, certaque puncta quæſtionum modo proponit, de quibus ſententias ſuas proferre, (literis ſuis ad Jo. Ludov. Gleditſch Bibliopolam Lipſienſem transmittendis) cuncti intentione pari ducti rogantur.

Prima quæſtio de adhibendis obſervationibus, fundamento nempe Aſtronomiæ, agens hæc eſt: ***An non certiora Aſtronomiæ incrementa ſperare liceat, ſi ſtrenui obſervatores idoneis inſtrumentis inſtructi communia inter ſe conſilia conferrent, quo modo, quo tempore, quibus inſtrumentis, quo ordine hoc illudve phænomenon attendendum; quænam puncta ad cognoſcenda incognita inſervire, & defectus hactenus obvii e medio tolli poſſint.*** Sic enim obſervationes legitima & conventa methodo in diſſitis locis ſimul inſtituendæ, certitudine fructuque circa exactiores motuum in cœlo, longitudinumque in terra determinationes, non eſſent cariturae.

Secun-

Secunda incertitudinem distantiarum corporum cœlestium, ex quibus tamen omnis magnitudinum illis tributarum veritas pendet, respiciens quærit: *An non ubi de vera diametro Lunæ, & ejus distantia a Terra aliquid certi demonstratum fuerit, exinde multum luminis pro eruendis aliis distantiis habituri simus?* Neque enim hactenus (1) parallaxes Lunæ adeo certæ sunt, cum locus Lunæ verus quidem probe constitutus sit per eclipses, locus autem visus non sit sine magni erroris suspicione, ob refractionis incertam determinationem. Neque (2) parallaxes sine refractione constitui possunt per angulum internum ad centrum terræ, & externum ad superficiem ex utriusque differentia; latus enim ex vertice ductum incognitum manens, faciet & angulorum proportionem incognitam. Observationes ergo Lunarium eclipsium & motuum, quæ nempe stellæ cum Luna meridianum transeant, quæ cum illa in uno verticali deprehendantur, quæ ab illa occultentur, in longe & ad 2000 leucas dissitis locis accuratissime instituendæ, multa in scientiæ usum pandent. Decretum igitur esse quibusdam, solo veritatis & Astronomiæ provehendæ amore, necessarios ad hunc scopum suppeditare sumtus; magnamque gratiam illos relaturos asserit Autor, qui suam explicuerint mentem, ad quænam phænomena potius attendendum, & quæ capita esse possint pro instructione observatorum.

Tertia quæstio est: *An non ad distantiam Solis obtinendam, mensura peripheriæ illius orbis magni, in quo terra revolvitur,* (cujus motum omnia hactenus cœli phænomena suadent confirmantque) *investiganda esset?* Cum enim tellus revolutionem suam circa axem in orbe magno 365 vicibus per annum absolvat, & in hoc determinato temporis intervallo, determinatum spatium loci emetiri necesse habeat, facillime distantia ista, cognita peripheria, ad calculum revocari posset. Neque hic objectionem hanc locum habere putat Autor, quod tellus annuum in aura ætherea motum per protrusionem expediat, quia alias hic motus, quippe nullis regulis alligatus, nequaquam possit esse ita æquabilis, cum tamen revolutio illa æquabilissime suam periodum conficiat.

Quarta quæstio est: *num & qua ratione in Eclipsibus longitudo umbræ Telluris & Lunæ accurate determinari, & ad infallibilem calculum revocari hactenus potuerit?* Nondum enim cognita distantia corporum, tam illuminantis, quam illuminatorum, eorumque ad invicem magnitudinis proportione, etiam protensionem & quantitatem umbræ terræ maxime variare necesse esse, adeoque ejus coni latitudinem nondum exacte definiri potuisse. Cumque constet, Lunam Apogæam multo diutius in umbra terrena delitescere, & Perigæam integra hora fere citius inde emergere, probabile fuerit, Solem satis propinquum esse, adeoque multo longiorem conum umbræ terrenæ efficere, qui proinde in crassitie circa Apogæum & Perigæum non multum decrescit.

Quinta quæstio est: *An non determinatio certa refractionis in sideribus tanti momenti sit, ut omnes, quibus certitudo observationum curæ cordique est, vires omnes intendant, ut rem hanc difficillimam, & inter Astronomos valde controversam, ad certas leges reducere summopere enitantur?* Forte observationibus eorundem siderum in locis, qui altitudines & Horizontes maxime diversos habent, una & simul habitis, & invicem collatis, dubiæ sententiæ componi possent. Cum itaque communicatis per literas ad Jo. Ludov. Gleditsch aliorum sententiis, intellectum fuerit, quid his cogitationibus deesse videri possit ad optatos fructus sperandos, id & gratum & certissimo signo erit, momenta rerum accurate expensa, & aliqua reflexione digna habita esse.

MICHAELIS ERNESTI ETTMULLERI, PHIL. ET Med. D. hujusque Prof. Publ. Extraord. Epistola, in qua Viro Illustri & Magnifico, Domino D. SCHROECKIO pro adscriptione in Illustre Collegium Naturæ Curiosorum decentes persolvit grates, pertextaque operum Paternorum Historia, novam eorum editionem significat.

A. 1703, in 4. Constat plag. 3.

QUæ hactenus sub Mich. Ettmulleri nomine divulgata sunt opera, non ex MStis ejus collecta, sed ex Auditorum, qui a bea-

beati Viri ore quondam dependerunt, libellis corrasa esse, in vulgus notum est. Quemadmodum vero, quæcunque illorum hactenus diversis locis prodierunt, editiones multis tautologiis, & inanibus amplificationibus refertæ, tædium Lectoribus non creare non poterunt: ita spes affulget, majori applausu exceptum iri laborem, quem in se suscepit MStorum Ettmullerianorum hæres unicus, Filius nimirum Michael Ernestus, Collega noster solertissimus, dum hactenus opera edita juxta exemplar MStum revidit, a mendis repurgavit, novis tractatibus, casibus & observationibus locupletavit, nuncque in procinctu est, ut prelo opera committat. Idque ne Orbem Literatum lateret, eam negligere noluit Noster occasionem, qua Illustris Societatis Naturæ Curiosorum Præsidi, pro cooptatione in dictum Collegium, grates sibi decernendas esse videbat, quin in Epistola hac simul fata, quæ hactenus opera Paterna perpessa sunt, recensere, novamque eorum editionem polliceri animum induceret: quæ præter ea, quæ in prioribus editionibus inveniuntur, novos insuper casus & observationes, *effigiem B. Ettmulleri, Dissertationem de Fermento Lienis, Tentamina Uromantica, Tentamina Chymica, & Dissertationem de Fermentationis & Putredinis Convenientia* exhibebit; prout Conspectus edendorum, Epistolæ calci additus, docet.

OLAVI RUDBECKII FILII NORA SAMOLAD, sive LAPONIA ILLUSRATA, & Iter per Uplandiam, Gestriciam, Helsingiam, Medelpadiam, Angermanniam, Bothniam tam Occidentalem, & huic annexam Laponiam Lulensem, quam Septentrionalem, cum Laponia Torniensi, & Orientalem, item Finlandiam, Alandiam &c. adcurate exponens singularum quidem regionum situm, & incolarum ingenium, inprimis autem Laponum cum habitum corporis, tum animi indolem, quin & religionem, mores, linguam, conversandi rationem, primamque originem, atque simul tradens animalium, herbarum, & minerarum diversitatem, montium quoque & sylvarum, lacuum, paludum, fluviorum atque catarractarum naturam & amœnitatem, nec non pro re nata, quæ ex antiquitatibus eruditioneque reliqua elegantiore scitu jucunda sunt, nec prorsus indigna, sub-

binde inspergens. Opus certis libris partibusque distinctum. Cui ad calcem Glossarium Laponicum accedit, cum inscriptione LAPO HEBRAIZANS in Septentrione. Figuris aneis ligneisque undique ornatum, & propriis impensis editum.

Upsalæ anno salutis per Christum reparatæ 1701, qui nobis est secularis. Plag. $12\frac{1}{2}$. fig. 4.

TItulum integrum descripsimus, ut operis præstantia jucunditasque Lectoribus statim pateat, quod lingua simul Suecica Latinaque conceptum est: quanquam non nisi *prima pars*, iter per Uplandiam complexa, ad manus nostras hactenus pervenerit. Initio docet celeberrimus Auctor, ad rerum metallicarum, lapidum, fungorum, herbarum, fruticum, arborum; aut animantium, piscium aviumque accuratam cognitionem, longas per orbem terrarum peregrinationes exigi. Deinde terras Septentrionales prolixe cum Australibus confert, iisque præfert. Hinc itineris sui occasionem memorat, quod Rex Carolus XI (lustratis Borealibus regni sui provinciis, visoque Tornoviæ Sole inocciduo, quam in rem vide, si placet, Acta nostra anni 1697, mensis Febr. p. 91. sqq.) Rudbeckio nostro demandavit, ut eodem profectus, indagandis cognoscendisque rebus soli illius propriis, herbis & floribus, lapidibus, metallis, animalibus & similibus, animum intenderet. Aliquot igitur comitibus stipatus, A. cIɔ Iɔc xcv ante diem XII Calendas Junias, Upsalia discessit, & per Trelingici ac Wendelici ruris dorsum vectus, quotquot in subjecta planitie saxa conspicabatur, & mediocri satis omnia magnitudine, & pressula rotunditate velut torno formata & levigata esse videbat. Qua de re pag. 19 disputans, perquam credibile esse putat, totum istum camporum tractum antiquitus adhuc maritimum fuisse. Porro ad pagum Elfkarby, lato imprimis, rapidoque fluminis præcipitio clarum, delatus, dum flumen trajecit, Virgilianum Charontem cogitavit, indeque prolixe a *pag. 25 ad 65* venerandi Parentis sui opinionem fulcire aggreditur, *Charontis fabulam de Aquilonaribus oris nostris primum fuisse compositam.* Nomen enim in lingua Laponica portitorem significare, omnesque alias etymologias ab eruditis suppeditatas, futiles esse, ex abstrusiori ex Philolo-

logia contendit. Imo ipsum mare Balthicum, quod Draconi alii assimilarunt, Charontis effigiem vivis quasi lineamentis adumbrare ac amplecti docet, tam figura æri incisa, quam singulorum membrorum, tum pallii, cymbæ ac conti deductione. Quin & porro naulum Charonti persoluturus clarissimus Rudbeckius *pag. 49.* non solum ejus nomen, *Danake*, ex Laponum lingua derivat, sed & caussam inquirit figmenti Poetici, primo unum, deinde binos, tandemque tres nummos dandos fuisse: quoniam ex Oceano Atlantico in mare Balthicum navigaturis tria sese offerunt freta, Oeresundicum, Balthicum majus, & Balthicum minus, peregrinis olim atque advenis non simul & semel, sed unum post alterum successu temporis cognita. Huc refert trinas illas perexiguas, & inter se valde similes insulas, promontorio Langelandiæ adjacentes, ipsamque Langelandiam haud secus ac tres coronæ cingentes. Suspicatur etiam, tria hæcce freta, tres Charontis fluvios, ansam primis temporibus dedisse Suedorum Gothorumque Regibus, insignibus suis inserendi tres coronas aureas, una cum tribus argentei coloris fluminibus, eisque in cœruleo campo insistente coronato leone.

Posthæc ad viam regiam iterum properans, prope ipsum pontonem Elfkarbyensem in medio fluminis, oblongam quandam insulam considerat, quæ rerum potiente Johanne tertio, primum orta dicitur, a terra continente, qua occasum spectat, rescissa & avulsa. Triplex inde avicularum genus, jyngem, (quam æri incisam sistit) cuculum, coniroforem, (Kreutz-Vogel) attentius contemplatur, quoad formam, colores, nomina, distinctionem ab aliis, proprietates &c. Tandem ostendit, falsos deceptosque, cum antiquiores, tum recentiores Geographos, qui majorem Dalecarlum fluvium limitem inter Uplandiam & Gestriciam immerito constituentes, verum atque genuinum, Harnes Aen dictum, hac ratione plane negligunt, ejusque ortum & flexuosum cursum prorsus ex mappis suis excludunt. Multo autem abstrusiora ex sequentibus Hodœporici Rudbeckiani partibus exspectanda esse, vel hoc celeberrimi Normanni Carmen, inter alia operi præfixum, indigitat:

Qui

Qui Genus? Unde Domo LAPPI? Quo sanguine creti?
Relliquias Tribuum credin' OLAVE Decem?
Mira fidem promissa levant. Quæ caussa remotas
Quærendi sedeis, frigidaque arva, viris?
Libertas, nequidquam alibi quæsita: sub Arcto
Hospitibus tandem tuta reperta novis.
Sacra quidem & ritus patrii periere: nec ullus
Librorum miseris usus apexque manet.
Nulla Jacobææ-ne igitur vestigia stirpis
Nunc superant? Mores. Sabbata. Læta Quies.
Sessio. Tecta. Greges. Habitusque. Humilisque Figura.
Et Color. & Sermo mistus Hyperboreo.
Credimus? an dubitamus adhuc? hærentibus istum
RUDBECKI nodum docta machæra secat.

LIBRI NOVI.

JO. *Francisci Buddei P. P. Parerga Historico-Theologica. Halæ Magd. apud H. G. Musselium, 1703. 8.*

Eliæ Benoist adversus Epistolam D. Taco Hajo vanden Honert de Stylo Novi Testamenti Amica Expostulatio. Delfis apud Henr. a Krooneveld, 1703. 4.

Johannis Gröningii Bibliotheca Juris Gentium Europæa, seu de Juris Naturæ & Gentium Principiis juxta doctrinam Europæorum Libri III. Hamburgi apud G. Libezeit, 1703. 8.

Cornelii van Bynkershoek ad L. Ἀξίωσις *IX Dig. de Lege Rhodia de Jactu Liber singularis, & de Dominio Maris Dissertatio. Hagæ Batavorum, apud Jo. Verbessel, 1703. 8.*

De Oorsaak van de Beweeging en de Beginsselen der Vaste Lichamen, door D. S. J. Tot Utrecht, by Herman Hardenberg, 1703. 4.

Histoire des Conclaves depuis Clement V jusq' à present. Troisieme edition, augmenteé du Conclave de Clement XI, & d' un Traité de l' Origine des Cardinaux & des Legats. A Cologne, 1703. 12.

* * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii, Anno M DCC III.

APPENDIX AUGUSTINIANA.

Antverpiæ, sumtibus Societatis, 1703. in fol. Alph. 7.

POsteaquam editionem Operum S. P. Augustini, studio & diligentia Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri adornatam, diversis hactenus vicibus in Actis nostris describendi, per tomos seorsim vulgatos, occasionem nacti sumus, locoque ultimo superiori anno 1702, p. 251 sq. vitam Augustini & indices in tomos antecedentes generales, tanquam contenta tomi undecimi, recensuimus; unus adhuc nobis superest, isque peculiari hac prærogativa gaudens, quod nulla ejus in editione Parisiensi, sed in sola hac Antverpiensi, quæ tomos undecim priores ad istam alias expressit, copia habetur. *Joannes* enim *Phereponus* (quo quidem sub nomine ascititio Virum aliquem doctum delitescere velle, nobis persuademus,) omnem in id operam impendit, ut, quæ ad scripta Augustini ornanda & melius intelligenda quid conferre adhuc possent, adjiceret, eaque de causa non alienos modo, sed proprium etiam laborem suum, notas puta atque observationes, in peculiarem hunc tomum constipavit.

Ante omnia igitur legendum exhibet *Poëma S. Prosperi de Ingratis*, utpote in quo S. Augustini, Pelagii & præsertim Semi-Pelagianorum doctrina exponitur. Cumque istud eruditus quidam Theologus Lovaniensis notis suis illustratum dederit, eas viri docti manu emendatas & auctas addidit. Ut ut vero in prima editione Lovaniensi nomen *Martini Steyarti*, non ita pridem defuncti, & doctrinæ primum Augustinianæ, sed postea contrariis partibus ad-

 dicti,

dicti, notæ hæ præfixum gesserint, deleri tamen istud voluerunt, qui opusculum ejus ad Bibliopolam, ut denuo nunc ederetur, transmisere.

Sequuntur dein *Jo. Garnerii*, Societatis Jesu Presbyteri, *Dissertationes ad Historiam Pelagianismi* pertinentes, quæ in editione Parisiensi A. 1673 appendicem constituunt prioris partis operum Marii Mercatoris. Cum enim Garnerius accuratam instituerit discussionem scriptorum a Pelagianis editorum, gratum utique fore confidit hoc additamentum iis, qui in tomo Augustini decimo plurima illius scripta contra Pelagianos, aliaque ad controversias Pelagianas spectantia deprehenderint.

Tertio loco comparent *Pelagii Commentarii in Epistolas Pauli*, ad calcem operum S. Hieronymi legi alias, eique vulgo tribui soliti. Quamvis enim Pelagii fragmenta quoque, & ejusdem libellus ad Demetriadem huc spectent, illa tamen a Jo. Garnerio diligenter collecta, & hunc ad finem Epistolarum Augustinianarum, seu tomi secundi, in editione Parisiensi Belgicaque, repetitum cum agnoverit Phereponus, in iis rursus exhibendis operosus esse noluit.

Post Pelagii Commentarios collocavit *Præfationes, Censuras & Animadversiones Virorum quorundam celeberrimorum in Opera Augustini*. Ad primum namque tomum retulit Des. Erasmi ad Alphonsum Fonsecam, Archi-Episcopum Toletanum, Præfationem ac Dedicationem, Præfationes item Lovanienses, & aliam Erasmi, quam is Retractationibus & Confessionibus Augustini præfixit; ad secundum Præfationem Erasmi in Epistolas S. Augustini; ad quartum laudes Erasmi, quas Augustinianis de Interpretatione Scripturæ libris tribuit; ad quintum Jo. Vlimmerii & Jac. Sirmondi Præfationes ad Augustini Sermones; ad sextum iterum aliquot Erasmi; ad septimum Jo. Ludovici Vivis in opus de Civitate Dei; ad decimum primorum circa quosdam libros occupatorum Editorum Præfationes repetiit, hisque addidit epistolam Cardinalis H. Norisii de inscriptione libri de Gratia Christi.

Præfationibus vero hactenus memoratis *notas suas atque animadversiones* Jo. Phereponus subnexuit, tomorum quidem ordine servato, in quibus multa Grammatica & Critica, multa Philosophica & Theologica, ad Augustinum passim illustrandum se coacer-

ectvasse dicit. Nec tamen obscura modo explicasse, sed & vere ac recte dicta meritis subinde laudibus affecisse; vicissim, in quibus Augustinus hallucinatus esse visus fuerit, notasse se subinnuit, ac de cætero istam de se mentem Lectoribus ingenerare studet, quod nempe Dei minime fallacia lumina, sive per rectam tantum rationem, sive per revelationem ad nos delata, a triginta annis sola attenderit, & magistros omnes quasi adjutores ad eam rem, non quasi dominos judiciorum suorum habuerit; quamobrem & Dialecticam diligenter coluerit, ne ratiocinando falleretur, & Grammaticam ac Criticam, sive literas Hebraicas, sive Græcas spectes, lectionemque indefessam non versionum tantum, sed & authenticorum Scripturæ librorum, Dialecticæ pro virili adjecerit, ut intelligeret, quid revelarit Deus, ac intellectum toto animo amplecteretur. Ut autem eo distinctius judicium de his ipsius animadversionibus ferre quis valeat, speciminis in vicem nonnulla generatim de iisdem exhibebimus. In iis, quæ tomum secundum attingunt, varia sunt ad versionem LXX Interpretum, vexationem Donatistarum, quorumvis etiam Hæreticorum, & damnationem Pelagianorum pertinentia. Addidit præterea Autor duas epistolas Norisii de Sedibus Episcoporum Provinciarum ProConsularis & Numidicæ contra Garnerium, in quibus multa sunt, quibus Geographia sacra Episcopatuum Africæ luculenter illustratur. Ad tomum tertium, libros de Interpretatione Scripturæ complectentem, multa occurrunt Critica, quibus ostendere laboravit Phereponus, quam necessaria fuisset Augustino Græcæ & Hebraicæ linguæ peritia, qua deficiente frequenter lapsus fuerit. Ad quartum ex instituto notavit, Sermones Augustini in Psalmos ad hos accurate intelligendos nihil aut parum conferre, quanquam, quis alius eorum usus esse possit, ostendere haud intermiserit. In tomo quinto ad Sermonem Augustini 322 inseruit integram historiam, eamque in suos actus distinctam, curati Pauli cujusdam Cappadocis, una cum sorore, quæ specimen singulare miraculorum illius ævi præ se ferre debeat. E tomo sexto, qui varios exhibet Augustini libros Theologicos, objectiones non paucas depromsit, quæ vix e principiis in istis libris positis solvi posse ipsi visæ sunt. Cum opus de Civitate Dei præstantissimum inter Augustiniana nuncupari mereatur, id paulo copiosius in animadversionibus ad tomum se-

ptimum illustravit, inter alia ad lib. XVIII cap. 43, contra Augustinum, defensum ivit Hieronymum, & impugnavit, quæ prior habet de divino afflatu LXX Interpretum. Ad tomum octavum Hæreticos, & præsertim Manichæos atque Arianos, alia via aliisque armis sæpe oppugnatos fuisse optat. Tomum nonum, in quo cum Donatistis pugnat Augustinus, se non adeo occupatum tenuisse fatetur, quia eadem ferme ubique Augustinus repetat, cum Donatistæ easdem objectiones eosdemque paralogismos adversariis ad fastidium usque oggessissent. Ad tomum decimum eadem de causa pauciora annotavit, quod in ratiocinationibus Hipponensis Episcopi contra Pelagianos innumeras se deprehendisse ait repetitiones, nec, ad summam rerum quod attinet, quidquam novi occurrere putavit, præter ea, quæ jam in Epistolis prolata fuerant. Analysin tamen libri de Correptione & gratia, concinnatam ab Antonio Arnaldo, Doctore Sorbonico A. 1644, quam Patres Benedictini inseruerant tomo decimo editionis Parisinæ, Franciscus vero Harlæus, Archiepiscopus Parisiensis, demi jusserat, recudi fecit, ne periret, & ut volumini isti ab iis, quibus servatu digna videretur, inter paginas 492 & 493 addi posset.

NECTARII PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITAni. Confutatio Imperii Papæ in Ecclesiam.

Londini apud Jo. Taylor, 1702, in 8. Alph. 1. plag. 7.

GRæcam in Oriente Ecclesiam tantum non solum a Latina seu Pontificia hodie distare Ecclesia, quantum æra olim apud Romanos a lupinis distabant, sed & Romanos iisdem pene in Oriente ad Græcos subjugandos armis uti, quibus apud nos in Occidente Evangelicorum æque ac Reformatorum Ecclesiam impugnant; elegantissimo suo, quod heic exhibemus, *de Papæ in Ecclesiam imperio* opere, magnæ & sanctæ urbis Hierusalem Patriarcha, *NECTARIUS*, Vir celeberrimus, abunde edocuit. Laudandam inde orbi literario præstitit operam eruditissimus in Anglia Vir, P. *ALLIX*, quod operis hujus Græca primum, qua a Nectario conscriptum erat, lingua A. 1682 Giazi in Moldavia per Metrophanem Hieromona-

monachum excusi, versionem Latinam, suasu & hortatu Reverendissimi Cantuariensium Archiepiscopi, Domini *THOMÆ*, adornare, & nuperrime Londini luci publicæ exponere non detrectaverit. Commendant sane opus isthoc, ceu ipse *Allixius* scite in præfatione præmonet, eminens Scriptoris auctoritas & eruditio; argumenti, quod tractat, præstantia & utilitas; nec non eximia in controversiis enodandis methodus. Scriptoris auctoritatem summa Patriarchatus, cui Hierosolymæ superiori seculo immortali apud Græcos gloria præfuit, dignitas prodit ac eminentia; nec minus ejus in S. Literarum, Patrum & Conciliorum quovis ævo habitorum historia, ac omni antiquitate Ecclesiastica, eruditionem omnes propemodum operis hujus paginæ eloquuntur. Argumenti, quod heic discussit, præstantia & utilitas inde elucescit, quod ex illo omnes Christianorum, non Græcorum solùm in Oriente, sed & Evangelicorum ac Reformatorum in Occidente, cum Romana Ecclesia controversiæ hodie pendeant. Methodum nostri Patriarchæ scite admodum & nervose ipse Allixius in magna simplicitate adeo eximiam esse judicat, ut dubium sit, an in eo judicium, an humanitatem, an acumen, an vero brevitatem magis laudes. Quod autem translationem confutationis hujus Nectarianæ ab eruditissimo & Græcarum literarum peritissimo Allixio adornatam spectat, nitidiorem paulo & ornatiorem eam parari potuisse, ipse translator præmonet, nisi religioni ipsi fuisset, ab auctoris methodo & stylo longius recedere. Habere enim hoc Græcos hodie Scriptores, ut cum neo-Græcæ linguæ, ex regularum veteris linguæ contemtu & violatione natæ, adsueti sint, ad res magis, quam ad verba & regulas Grammaticorum attendant. Atque id sibi etiam passim licere in sua dissertatione, putasse Nectarium. Unde operæ omnino pretium fecisse videtur Allixius, quod Patriarcham nostrum in eo sequi maluerit, quam ipsum obtorto collo ad aliam scribendi rationem distrahere. Ipsum vero Nectarii opus, quo Papæ in Ecclesiam imperium evertere est aggressus, *quarundam Thesium confutationibus* absolvitur. Constat quippe, omnem Missionariorum Pontificis Romani laborem ac contentionem eo perpetuo redire, ut ex veteris monarchiæ memoria, Papæ auctoritatem & monarchicum in Ecclesiam imperium, ceu fidei veræ proram & puppim, ac stabilimentum unicum, in religionis

negotio gentibus ubique obtrudant. Quo ſtratagemate cum & nuperrimis temporibus Fratres Miſſionarii, qui Hieroſolymæ agunt, Græcos in Palæſtina ſub Turcarum jugo ac tyrannide gementes, in ſuas partes poteſtatemque pertrahere auſi eſſent, & idcirco per *PETRUM*, doctum aliquem Magiſtrum ſuum, *Diatriben dogmaticam*, ſeu præcipuas aliquas ex Latinæ ſuæ, quam Græci ita appellitant, Eccleſiæ armamentario depromtas de *Papa imperio theſes*, Patriarchæ Nectario oblatas, inter Græcos ubique Hieroſolymis diſſipasſent: tantos Petri & Fratrum ejusdem inſultus *Patriarcha Nectarius* fortiter retuſurus, allatarum ad ſe atque inter Græcos magna a Latinis jactantia diſperſarum *quinque de Papa imperio theſium confutationem*, totius Eccleſiæ Græcæ nomine, eodem quidem, quo Petrus illas conſcripſerat, ordine adornare eſt annifus.

Etenim *ad primã* in diatriba Petri Latinorum theſium, quibus Papæ imperium & poteſtatem omnibus viribus communire moliebantur, quæ hæc erat: *Articulus fidei eſt, veram Dei Eccleſiam unam ſolam eſſe, & non plures*, duo præmonet Nectarius. Primo enim addi debuiſſe: *Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam*; ne, qui alias Latinorum mos ſolennis ſit, manca & mutila definitio proponeretur, nec per veram Dei Eccleſiam, ſolam Romanam, quam Papa regit, a Petro indigitari, Græci forte ſuſpicarentur. Deinde vero, ſi veram Dei Eccleſiam illam ſolam Petrus diceret eſſe Catholicam, quæ ſecundum Græcos ſit *univerſalis fidelium collectio*, ſe conſentire: ſin vero aliam quampiam particularem, qualis Romana ſit, ſe a Petro diſſentire, Nectarius commonet. Et ad hanc Eccleſiæ œcumenicæ & particularis diverſitatem recurrit etiam Patriarchæ reſponſio *ad II* Latinorum theſin: *Fidei articulum eſſe, veram Dei Eccleſiam in illis, quæ ſunt de fide, errare non poſſe*; nec non *ad III*, quæ hæc erat: *Extra veram Eccleſiam non eſt ſalus*. Solam enim Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam per tot particulares in orbe Eccleſias, non Conſtantinopoli ſolum, Alexandriæ, Antiochiæ & Hieroſolymis, ſed & in ipſo Imperio Romano, diſperſam eſſe eam, quæ tota errare non poſſit, & extra quam non detur ſalus. Prolixior his paulo eſt refutatio, qua noſter Patriarcha *IV* Latinorum theſin: *Hæc vera Dei Eccleſia antiquis maxime & multis poſt Chriſtum temporibus, tam Latina, quam Græca, in fide concordes fue-*

fuerunt, confutat. Ut enim contrarium luculenter ostendat Nectarius, singula secula a Christo usque ad A. 1100 percurrit, ac licet primis temporibus Latinam & Græcam Ecclesiam in fide ipsa maxime concordes fuisse, non diffiteatur; de aliis tamen rebus Ecclesiasticis partim lites perpetuo ac contentiones jam tum Græcis a Latinis motas fuisse, quæ tandem schisma effecerint, partim Orientales Ecclesias Papæ primatui atque imperio, sequioribus maxime seculis in totum propemodum orbem affectato, se perpetuo opposuisse, ex Historiarum monnumentis fuse demonstrat. Nam *Centuria I* dissensionem de azymis inter Orientales & Occidentales fuisse, *Centuria II* de die Paschatos Orientales cum Occidentalibus habuisse controversiam sat arduam, ac non solum Polycarpum Smirnæ ideo Romam venisse, ut cum Papa Aniceto eo de argumento disputaret, sed & Papam Victorem Ecclesias Asiaticas, Pascha die Dominico celebrare nolentes, excommunicasse, utut frustra, cum totum deinceps negotium ab omnibus Ecclesiis ad œcumenicam primam Synodum fuerit delatum. *Centuria III* Orientalem & Occidentalem Ecclesiam de necessitate recipiendi lapsos in persecutione, & hæreticorum rebaptizatione disceptasse, ita quidem, ut contentiones & dissensiones demum omnes, non ad Papam, sed ad œcumenicum judicium delatæ fuerint. *Centuria IV* magnam illam inter Orientales & Occidentales Ecclesias, circa voces ὐσίας & ὑποςάσεως, controversiam fuisse ortam. Deinde secundam sanctam & œcumenicam Synodum ordinationem Paulini in Episcopum Antiochiæ, a Lucifero Papæ jussu susceptam, damnasse, & S. Flavianum contra sedi Antiochenæ propria auctoritate præfecisse. Imo quoque inter viginti, & si quæ sunt plures, tunc temporis celebratas Synodos particulares, esse & illam Sardicensem. a qua septuaginta sex Orientis Episcopi, Philippopolin secedentes, semet separaverint, ac postea magnum Athanasium & Paulum Confessorem cum omnibus illis, qui ipsis adhærebant, ab officiis suis deposuerint, ut & ipsi Julio Papæ & Osio Cordubensi anathema dixerint. *Centuria V* acerbas ubique in Ecclesiis de judiciis Ecclesiasticis fuisse discordias, ex quo Theophilus Alexandrinus magnum Chrysostomum sede sua, injuste quidem deposuerit, & Papæ Innocentii ad se ea de re datas literas exprobratorias rejecerit, quod ejusdem cum eo, quoad Patriarchalem ordi-

ordinem, esset dignitatis. Porro vehementissimam eadem hac centuria contentionem inter Joannem Antiochenum & Nestorium hæreticum, nec non Memnonem Ephesi & Cyrillum Alexandriæ Episcopum, tertiæ Synodi Oecumenicæ, ut adversus Petrum heic simul ostenditur, Præsidem, magno æstu exarsisse, usque dum non Papa quidem, sed Imperator, Theodosius junior, eam iterum extinxerit. Nec minus & illud hac centuria memoratu maxime dignum Nectarius judicat, quod tum Synodus Oecumenica quarta, invito & renitente Leone Papa, Chalcedone sub Marciano Imperatore a sanctis Patribus fuerit coacta. *Centuria VI* enarrat Nectarius, fervida primum de tribus vulgo sic dictis Capitulis anathematizandis inter Orientales & Occidentales fuisse certamina, usque dum Justinianus quintam Constantinopoli Synodum congregasset. Deinde Vigilium Papam, cum suis in Occidente asseclis, ab eadem Synodo, ob denegatam decretorum adprobationem & subscriptionem, fuisse excommunicatum. Atque demum Felicem Papam cum Euphemio & Macedonio, Constantinopoleos Patriarchis, de excommunicatione Acacii, ad schisma usque dimicasse. *Centuria VII* in Synodo Romæ sub Agathone Papa habita, Symbolo fidei verba, *Et ex Filio*, adprobantibus Græcis addita, nec non Synodum in Trullo sub Paulo factam heterodoxam, in eaque nullum Patriarcham præsentem fuisse, perperam Petrum cum omnibus Latinis comminisci. *Centuria VIII* non Papam Gregorium II, ceu Latini contendant, sed Synodum Ecclesiasticam in urbe Regia, teste ex ipsis Latinis Jacobo Goaro, Theologo Parisiensi, in explanatione Euchologii Græcorum, in depositi propter hæresin Joannis, Patriarchæ Constantinopolitani locum, Germanum e Cyzico evexisse. Deinde vero hac ipsa centuria manifestum Occidentales ab Orientalibus schisma fecisse, ex quo Leo III additionem in S. Symbolo admisisset, & Carolum, Regem Francorum a se coronatum, juramento adegisset, ut Romanæ Ecclesiæ se semper submitteret. Addit præterea heic Nectarius, ex omni antiqua historia planum esse & evictum: *nullam Synodum Oecumenicam Papam Romanum, sed Imperatorem omnes præsidem habuisse ac judicem; nec ullam inter eas Synodum absque Imperatorum jussu & auctoritate coaluisse.* Id quod præter cætera ex eo quoque comprobare annititur, quod in Syno-

Synodorum Oecumenicarum decretis ac definitionibus, Imperatoris primum ſemper nomen, poſtea vero Patriarcharum cum reliquis, qui adfuerint, Clericis ordine ſcriptum & conſignatum. *Centuria IX* nullum Latinorum Hiſtoricorum, nec ipſum Petrum, graviſſimas in ipſa fide inter Eccleſias Occidentales & Orientales contentiones diffiteri. Unde id ſaltim hoc loco agit Nectarius, ut non Photium, ſed ipſum Papam Romanum ſchiſmatis tunc temporis facti auctorem fuiſſe commonſtret. *Centuria X* haud exiguum Conſtantinopoli ſchiſma fuiſſe ſubortum, quod Theodorus Papa, ex Papali auctoritate, Leoni Imperatori quartas nuptias indulſiſſet. Convocatam inde fuiſſe ab ipſo Leone, quem deinceps ejus rei pœnituerit, & ſub Conſtantino Porphyrogeneto & Siſinnio Patriarcha celebratam Synodum, quæ ſub anathemate ſtatuerit, ne quando Eccleſia Orientalis quartas nuptias concederet. Sub finem ſeculi etiam a Sergio Patriarcha, ob additionem in confeſſione fidei a Chriſtophoro Papa factam, in ſanctis diptychis Papæ nomen fuiſſe deletum. *Centuria XI* oſtendit Nectarius, falſum eſſe, quod Petrus ex Glabro monacho, ſuſpectæ fidei hiſtorico, probare auſus fuerat, Imperatorem videlicet & Patriarcham Conſtantinopoleos ad Joannem Papam Legatos miſiſſe, ut Patriarcham Conſtantinopolitanum Oecumenicum dici clementer indulgeret, cum jam ante quingentos & plures annos, Oecumenici privilegium & honorem Conſtantinopolitanus ante quintam Synodum, ſub Juſtiniano A. DXLV habitam, obtinuiſſet. Secundo loco commemorat, Michaelem Cerullium, quem Petrus ſchiſmatis Græcorum auctorem fuiſſe perperam comminiſcatur, Latinos publice hoc ſeculo anathematizaſſe, & Petrum Antiochiæ in Latinis ſabbathi jejunium, coactum ſacrorum hominum cœlibatum, baptiſmum una ſolum immerſione peractum, proceſſionem Spiritus Sancti ex Filio, aliaque dogmata damnaſſe. *Centuria* demum *XII* Hadrianum Papam, ſub Manuele Comneno Imperatore & Luca Patriarcha, Conſtantinopolin legationem, & ad Baſilium Theſſalonicenſem epiſtolas quidem miſiſſe, de pace ac unione inter Eccleſias Occidentales & Orientales inſtauranda; at fruſtra, cum Papa pugnæ cauſam, additionem ſcilicet Symbolo factam, non ſuſtuliſſet. Tandem prolixa diſceptatione edocet, unionem Orientalium cum Occidentalibus in Synodo Lateranenſi, ſub Innocen-

tio III congregata, factam nunquam pro orthodoxa ac legitima fuisse agnitam, cum non orthodoxi Græci, sed nothi tantum, iique Latinorum mancipia, Synodo isti interfuerint. Neque eandem in Synodo Lugduni sub Papa Gregorio X celebrata, multo minus in Conciliabulo Florentino, aut per Legatos Occidentalium ad Romanorum Imperatorem Joannem Palæologum concordiam, inter gravissimas tunc temporis ubique Ecclesiarum contentiones & turbas tristissimas, obtentam fuisse ac introductam.

Quibus omnibus comprobatis, *Quintam*, eamque ultimam in Petri Diatriba Latinorum thesin: *Latinam Ecclesiam post Orientalis ab illa separationem, veram esse Dei Ecclesiam*, Nectarius ampliori demum disquisitione aggreditur. Cum autem eam Petrus Latinorum Magister, decem argumentis, totidem sectionibus contentis, se manifestam reddidisse jactitasset; sigillatim quoq; X itidem sectionibus eam summa industria refellere Nectarius annititur, atque ad primum *ex intrinseca fidei immutabilitate* depromtum argumentum *Sect. I*, Petri methodo ad id adactus, in hypothesi commonet atque ostendit, *non Orientales ab Occidentalibus, sed Occidentales ab Orientalibus schisma fecisse*. Id quod præter cætera argumenta, longe forte firmiora, ex eo quoque comprobare vult Græcus Patriarcha, quod Ecclesia Latina, addita S. Symbolo processione Spiritus S. *ex Filio*, (quam pertinaciter ubique communi Græcorum errore inficiatur,) intrinsecam fidei naturam immutaverit, & propterea, post multas easque fervidas maxime utrinque contentiones, a Græca Ecclesia, Photii inprimis tempore, se separaverit. Ad secundum argumentum, quod *ab immutabili Ecclesiæ Latinæ in externis fide* se desumsisse Petrus scripserat, circulum semper a Petro ad nauseam usque committi, *Sect. II* conqueritur Nectarius, dum in demonstratione argumentorum suorum ad Papæ in Ecclesia primatum & imperium semper recurrat. Hinc quoque maxima refutationis argumenti hujus pars eo redit, ut Synodum aliquam absque Papæ licentia & auctoritate congregari posse, prolixe admodum ex Historia Ecclesiastica commonstret. Dum vero tertio ad *infallibilitatem fidei Romanæ seu Catholicæ*, tanquam ad firmissimum theseos suæ fundamentum, Petrus *Sect. III* provocat, eamque ex *Luc. XXII, 31. 32.* ex *Matth. XVI, 17-19.* ex *Joh.*

ex *Joh. cap. ult.* & *Rom. I, 8.* atque *multis* insimul *Patrum sententiis* Latinam Ecclesiam dudum satis corroborasse jactitat: jactatam tantopere Romanæ fidei infallibilitatem, ad Evangelicorum & Reformatorum plane mentem Patriarcha noster refellit atque elidit. Nam ad *Luc. cap. XXII v. 31. 32* primo manifestum esse, respondet Nectarius, ex historia Evangelica, Satanam expetivisse, ut *omnes* Apostolos instar tritici cribraret. Jam vero *solum Petrum* Satanæ fuisse permissum. Unde liquere, ad *omnes* sermonem quidem heic dirigi, nominatim tamen *ad Petrum* intendi sermonem, ut qui solus debuerit cum Satana in pugnam descendere. Deinde orationem Christi ad omnes discipulos pertinuisse, utut pro solo Petro Christus rogasse dicatur, planissime ostendi in cap. XVII Joannis, ubi expresse ipse Servator Patrem suum cœlestem roget: *Pater serva eos in nomine tuo, ut sint unum, sicut nos* &c. Tertio phrasin, *ut ne deficiat fides tua*, idem notare ac *ne finaliter pereas*, ex Chrysostomo, Theophylacto, Cyrillo & ipso Beda, Patriarcha comprobat, ac quas ex Agathonis Epistola, Theophylacto & Chrysostomo dicti hujus explicationes pro sua sententia Petrus adduxerat, vindicat aut refellit. Ad locum ex *Matth. XVI, 17-19* regerit Nectarius, promissionem hanc pertinere omnino ad *Ecclesiam Catholicam*, *quæ* scilicet *ubique sit*, non vero nominatim ad Romanorum Pontifices, sive illi sint Petri successores, sive non. Petri enim confessionem fuisse etiam omnium Apostolorum. Deinde communia fuisse secundum Augustinum Apostolis cum Petro omnia, communem fuisse Apostolatum, communem fuisse potestatem ligandi & solvendi, communem fuisse Spiritus Sancti descensum, & Christi post ascensum in cœlum cohabitationem; & sic etiam communem ipsis fuisse indefectibilitatis fidei promissionem. Quod si vero Petri super cæteros potestas aliqua fuisset, & superior auctoritas, procul dubio Christum dicturum fuisse: *Qui Petrum audit, me audit, & qui Petrum rejicit, me rejicit.* Jam vero ad omnes nuper electos septuaginta discipulos apud Lucam a Christo dictum esse: *qui VOS audit, me audit, & qui VOS rejicit, me rejicit.* Porro cum Apostoli nunquam certis sedibus & urbibus affixi fuerint, planum inde esse docet Nectarius, promissionem Christi de petra ad Catholicam, non vero ad Romanæ solum urbis Ecclesiam

pertinere. Ad locum ex *Joh. ult.* cum Cyrillo, Gregorio Theologo aliisque Patribus, Patriarcha noster respondet, ter Petro in Apostolatus sui renovatione, curam & amorem ovium Ecclesiæ a Domino heic demandari, ut loco ternæ suæ abnegationis ternam confessionem Petrus ederet, tum ut oves, quæ sub Petri ita jactitatis Romæ successoribus, seu Papis, pascantur, errare non posse & a vera fide desciscere Salvator edoceret, quamdiu istæ modo, ex ipsa quidem Latinorum confessione, in veritate fidei Romæ ab Episcopo pascerentur. Ad locum denique ex *Rom. I.* falsissimum ait esse heic Nectarius Latinorum præsuppositum, Paulum non tantum Historice, sed & omnino Prophetice Romanorum fidem laudasse, quasi Romanorum fides in omne ævum futura sit infallibilis. Si enim in Apostoli de Romanorum per totum orbem annunciata fide laudibus vaticinium aliquod occurreret, necesse etiam esse, ut in ejusdem Apostoli laudibus, quibus Thessalonicensium, Philippensium & Corinthiorum fidem ac in religione zelum tantopere prædicavit, nobilius longe vaticinium esse statuamus, cum majoribus longe fidem horum atque virtutes Christianas encomiis dilaudet. *Sectione IV* ea Latinorum hypothesis, qua *ex dispositi optime Ecclesiastici regiminis harmonia*, veritatem & orthodoxiam Ecclesiæ suæ Latinæ comprobare Petrus laboraverat, refutatur, atque inprimis quatuor, quibus novam istam suam Petrus hypothesin superstruxerat, theoremata: *1. Monarchicum regimen melius esse Aristocratia & Democratia; 2. Ecclesiam non esse Democratiam; 3. Ecclesiam esse Monarchiam bene concinnatam; & 4. Ecclesiam esse visibilem, & opus habere capite visibili sub Christo in his terris, id quod sit Papa*, a Nectario discutiuntur. *Sectione V* argumentum Latinorum, quo *ex primatu Petri & illius Successorum, quibuscum Latina Ecclesia semper conjuncta fuerit*, theseos suæ veritatem in sua Petrus Diatriba adstruere ausus erat, eliditur. Nil enim prodesse, ait Nectarius, si quis materialiter & non spiritualiter sedi Petri adhæreat. Dudum dixisse S. Ambrosium: *Non habent Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent.* Imo vero ipsum cœli terræque Monarcham Christum, sua jam ætate, prævisam hanc Romanorum Pontificum arrogantiam, data ad discipulos & Apostolos suos reprobatione, antevertisse *Luc. XXII, 26.* Si proinde Monarchi-
am

am in Ecclesia sua,& primatum dominationis inter Doctores Ecclesiæ esse voluisset Christus, decuisse omnino eum,ut,quod tamen non fecit, id definiisset, cum toties ipsius jam ætate inter discipulos ejusdem de primatu fuerint certamina. Equidem ordinis primatum Petrum inter Apostolos obtinuisse, neutiquam inficias ire vult Nectarius. At dignitatis & potestatis primatum simul Petrum tenuisse, fortiter ubique negat & pernegat; id quod inter alia vel ex eo patere putat, quod alias potius Joanni, qui Evangelista erat,Apostolus, Propheta & Theologus, qui a Paulo columna vocabatur, qui secreta Christi noverat, & pectori ejusdem perpetuo insidebat, qui fidelissimus Christi amicus erat, etiam usque ad mortem, & custos æque ac filius Deiparæ a Jesu constituebatur, primatus inter Apostolos esset vindicandus. Ultimo demum loco in hac sectione plausibile quoddam argumentum, velut Achilleum munimentum a Petro sub finem Diatribæ suæ allatum, in Ecclesiam Latinam retorquetur. Ex corporis enim humani analogia ita Petrus adversus Ecclesiam O-„ rientalem erat argumentatus: Corpus naturale unum habet ca-„ put, & quod multa capita habet, est monstrosum. Mysticum „ autem corpus Latinæ Ecclesiæ habet unum caput, & Orientalis „ contra Ecclesia quatuor habet capita. Ergo illius corpus be-„ ne est compositum; hujus autem est monstrosum. Confirmare hoc argumentum suum sustinuerat Petrus, hunc in modum deformi-„ tatem corporis multicipitis arguendo: Quod si nunc adessent in „ Orientali Ecclesia præsidentes Patriarchæ, & Episcopi, Constanti-„ nopoli quidem Macedonius, Nestorius & Sergius hæresiarchæ; „ Antiochiæ Macarius Monothelita, Paulus Samosatenus & Petrus „ Fullo; Alexandriæ Dioscorus, Lucius & Georgius Ariani; & „ Hierosolymæ Joannes Origenista, Eutychius, Irenæus, & Hilari-„ us, itidem Ariani: unde tali corpori curatio? Ubi abest unitas, ibi „ etiam abest veritas. Unum enim, verum & bonum semper reci-„ procantur. Atqui vero Latina Ecclesia est una, Orientalis autem „ quadruplex. Ergo etiam Latina sola est & vera & bona, non autem Orientalis. At pessime in hoc sophismate atque paralogismo, confundi primo commonet Nectarius caput invisibile corporis mystici cum capite visibili. Corpus Ecclesiæ mysticum unum tantum semper habere caput, idque invisibile, videlicet Christum, ad Eph. I.

Atque hoc caput unice venerari in Patriarchis suis ac Episcopis Ecclesiam Orientalem. Deinceps vero sat eleganter hoc argumentum in ipsum Ecclesiæ Latinæ caput visibile ita retorquet: Si Romæ ho-
„ die Honorius quispiam, vi promotus atque evectus; aut si quis
„ Marcellinus; si quis Felix; si qua Mulier non agnita sub viri per-
„ sona; si quis Stephanus; si quis Sergius, mortuos & sepultos Pa-
„ pas iterum extumulans, & eos, qui prius jam fuerant ordinati, re-
„ ordinans; si quis Joannes XII in fornicatione; si quis Alexander
„ VI aut alius aliquis Papa, flagitiis & cædibus hæreseων calamitates
„ longe superans, Petri ita fictæ sedi insideret: quid pateremini, o
„ Latini! Nonne actum de vobis esset, atque de omni Papæ aut visi-
„ bilis capitis vestri infallibilitate? Et id quidem eo magis, quod o-
„ mnes leges & canones, cum pudore omni ac pietate, dudum in Ec-
„ clesia Latina elanguerint, imo penitus jam sint emortuæ. Excidisse inde Papas dudum ex corpore Christi mystico, neque Papas genuinos esse Petri, qui nunquam Romæ Papa fuerit, successores, fusius jam simul noster Patriarcha demonstrare sustinet. Præterea vero nec deseruisse unquam, nec deserturum successura ætate, providum cœli terræque Numen ita suam Ecclesiam, ut ubique in omnibus particularibus Ecclesiis ab hæreticis Pastoribus pasceretur. Semper adhuc Deum excitasse & excitaturum esse, & Athanasios & Gregorios, Basilios, Ambrosios & Hilarios, ad perpetuam & cessaturam nunquam in hoc ævo Ecclesiæ suæ, sive in Oriente, sive in Occidente propugnationem. *Sectione VI* Ecclesiæ *Catholicæ* nomen, quod non inane quoque Ecclesiæ Latinæ fundamentum & stabilimentum esse Petrus fuerat gloriatus, vanum omnino esse, & Ecclesiæ Pontificiæ non tam arrogantia Paparum & Episcoporum perperam vindicatum, quam ad ludibrium solum ab aliis affictum & usu concessum, ostenditur. *Sectione VII* ad argumentum, quo *ex unione & separatione Orientalium toties facta*, veritatem theseos suæ ulterius stabilire Petrus cum Latinis laboraverat, respondetur. *Sectione VIII injustissimam neutiquam omnium post Florentinam Synodum Orientalium ab Occidentalibus secessionem* fuisse, evincitur, cum ista Synodus Caiphaici tantum cujusdam Synedrii nomen, ob Occidentalium in ea exercitam tyrannidem, omnium orthodoxorum consensu mereatur. *Sectione IX eorum in Ecclesia Græca Docto-*

Doctorum auctoritas, qui Latinorum Ecclesiam & ipsius communionem, ceu Petrus loquitur, *unquam justo zelo oppugnaverint*, adversus Petri assertum & accusationes *vindicatur*. Et *Sectione X* ac ultima, ex omnis ævi historia, *Ecclesiæ Græcæ faciem nunquam adeo tristem aut sordidam*, quam quidem Petrus confinxerat, *fuisse*, elegantissima quadam *fatorum utriusque Ecclesiæ collatione* demonstratur.

In *Epilogo*, quo demum docta hæc thesium a Latinis, ad primatum Papæ in Ecclesia stabiliendum, allatarum confutatio terminatur, & concinna quædam omnium antea dictorum recapitulatio instituitur, de *imposturis* ac *insidiis* Latinorum *Fratrum* inter alia maxime conqueritur Nectarius; quo & illud pertinet, quod Fratres Latini hodie adhuc, perinde ac lequioribus aliquando seculis, Græcos in Oriente possessione *sacri montis Golgathæ*, *sacri sepulcri Hierosolymitani* & *aliorum vere sacrorum locorum* exturbare, clam & palam hostiliter ad barbariem usque moliantur.

Præterea subjiciuntur adhuc operi huic *Leonis Diaconi Nomophylacis, qui Concilium Florentinum abjuravit, Expositio fidei, Constantinopoli inter antiquitates reperta: Apologia Pontificum & Clericorum, qui Synodo Florentinæ renunciarunt, & relatio de eadem Synodo ad Imperatorem: Synodica sanctissimorum trium Patriarcharum in Syria, Philothei Alexandriæ, Dorothei Antiochiæ, & Joachimi Hierosolymorum, adversus Synodum Florentinam Definitio: Confessio Josephi, Patriarchæ Constantinopolitani, adversus Concilium Florentinum: Nectarii, Patriarchæ Hierosolymorum, de Fratrum, qui Hierosolymæ agunt, Anabaptismo, & alia de Jesuitis eorumque novis in Oriente fraudibus ac imposturis narratio*: ut & *Annotationes quædam eruditissimi Allixii ad enarratam modo Nectarii confutationem*.

Ex his postremis vel tria saltim jam commemorare sufficiet. Nam ad *Dosithei*, Patriarchæ Hierosolymorum Epistolam dedicatoriam, qua opus hoc Nectarii, Antecessoris sui clarissimi, Duci Illustrissimo *Joanni Ducæ*, Bœbondæ, Moldo-Blachiæ & totius Ucrainæ Principi inscripsit, & inter cætera vel tribus verbis Synodum particularem superiori seculo a Nectario Giazi in parva Russia contra Cyrillum Lucarim congregatam laudavit, patere inde annotat, eos halluci-

lucinatos fuisse maxime, qui Synodum hanc, Giazi contra Cyrillum convocatam, putarint esse opus suppostitium. Scripsisse quoque, ex illius Synodi mandato, *Meletium Syrigum* sat magnum contra Cyrillum volumen, Giazi editum, in eoque Cyrillum cum omnibus, qui ipsi favent, mire exagitasse. Imitatum esse eundem celeberrimum Patriarcham Hierosolymitanum, *Dositheum*, libro adversus Claudium anno 1672 edito, in quæstione de Eucharistia *Romanensium*, hoc est, (qui quod a Constantini M. tempore maximam Romani Imperii partem obtinuerint, ita se vocant,) *Græcorum* fidem defendentem. Interim tamen nec omnibus persuaderi potuisse, corporalem præsentiam Christi in S. cœna, aut semper fuisse, aut etiam nunc esse universæ Orientalis & Græcæ Ecclesiæ fidem. Videndum proinde ad id argumentum commendat Allixius Itinerarium Cl. & Rev. Dom. *Georgii Weller*, Canonici Dunelmensis, quod A. 1689 prodierit, & *Jeremiam* contra adductionem corporis Christi e cœlo in *Actis Wirtenberg*. p. 86. Ad ea, quæ p. 23 operis sui Nectarius de Synodo V disseruerat, commonet *Allixius*, planum exinde esse, Græcos neutiquam confirmationem Synodi V a Vigilio factam pro genuina agnoscere, a *Petro de Marca*, Parisiensi Archiepiscopo, magno apparatu editam. Ac licet quidem illius exemplar etiam in *Greshamensis Collegii Bibliotheca* extet, nihilominus tamen scriptum hoc suppostitium esse, alibi, Deo dante, se manifestum facturum, *Allixius* pollicetur. Ad p. 154, falli ibi notat Nectarium, dum *Ambrosii* ad Ephesios commentarios laudet & commendet. Nam auctorem commentariorum horum fuisse *Hilarium Diaconum*, Luciferiani schismatis propugnatione non ignotum. Nec minus eundem pag. 163 falli addit, quod in Synodo IV *Eulogium* Alexandriæ Episcopum pro *Dioscoro* ordinatum fuisse asserat, cum *Dioscoro* damnato *Proterius* fuerit ordinatus. Sic etiam p. 173 perperam a Patriarcha nostro librum de dignitate Sacerdot. *Ambrosio* tribui, cum iste potius esse videatur fœtus *Anselmi* Cantuariensium Archiepiscopi. Ad p. 163 commune istud *omnium Græcorum*, & *Nectarii* inprimis *præjudicium*, quod passim iste opere suo tuetur, de *pari* videlicet *Conciliorum Universalium cum Apostolis in Ecclesia auctoritate* notat, illudque ut tutum omnium errorum & falsorum cultuum propugnaculum, tum a Græcis
tum

tum a Latinis ſemper adhibitum fuiſſe edocet. Græcos illo uti ad Concilium VII vindicandum; Romanenſes autem ad propugnandas Concilii Tridentini definitiones. Ad p. 217 communem in Eccleſia Græca ſententiam eſſe innuit, *Pontificem Romanum eſſe Anti-Chriſtum*; ſiquidem iſtud, poſt alios multos ſcriptores Græcos, fuſe docuerit celeberrimus Hieroſolymorum Patriarcha *Doſitheus*, Nectarii noſtri ſucceſſor, in præfatione ad τόμον ἀγάπης, quem non ita pridem ediderit *Giazi in Moldavia*.

MEMOIRES DE LA DERNIERE REVOLUTION d'Angleterre.

i. e.

COMMENTARII DE POSTREMA RERUM IN ANglia converſione.

Hagæ Com. apud Fratres L'Honoré, 1702, 12. Tomi II. Conſtant 2. Alph. 16. plag.

QUi commentarios hiſtoriæ componendæ inſervituros ſcribunt, hoc ſibi datum credunt merito, ut ſumma qua poſſunt fide, & diligentia, monumenta quævis atque acta, tum publica tum privata, congerant, ſylvamque adeo conficiant, materiam ſufficientem hiſtoriæ præbituram. Præſtitit hoc, niſi nos omnia fallunt, ſumma cum laude, commentariorum quos nunc indicamus Auctor, quem a nonnullis *Lambertum* vocari accepimus. Is omnia ad iſtam rerum mutationem, quæ ſub Jacobo II in Anglia contigit, ſpectantia monumenta tanta diligentia hoc in opere collegit, ut curioſiſſimi etiam harum rerum ſcrutatores fateri neceſſum habeant, exhiberi hic nonnulla, nunquam antea ſibi viſa. Nec nuda ſolum monumentorum collectio hic cônſpicitur; imo luculenta etiam, licet brevis & ſuccincta rerum enarratio additur, qua omnia inter ſe colliguntur, ut jam hiſtoriæ haudquaquam profecto contemnendæ faciem præ ſe ferant. Illorum vero iniquum judicium, qui ex ſtili nitore & elegantia omnem hiſtoriæ laudem metiuntur, in præfatione deprecatur Auctor: miſeroſque & ſcholaſticum

pulverem redolentes vocat, qui cum ceteroquin quod carpant non inveniunt, voces & loquendi formulas arrodunt, & minutias sugillant. Contigisse id ait clarissimis nostri temporis Historicis, Ameloto de la Houssaie & Michaëli le Vassor, in quorum scripta umbratica illa & litigiosa criticorum natio insultus ejusmodi fecerit. Monet & hoc, animum sibi fuisse, usque ad mortem Mariæ Reginæ opus hoc perducere, aut ad minimum usque ad Limmerici deditionem; ipsamque rerum seriem & contextum hoc requirere: sed per nimiam illorum, qui hocce opus imprimendum susceperunt, cunctationem tantum sibi oblatum fuisse tædium, ut dubitet, an additurus ea sit, quæ adhuc restant. Quæ vero in hoc libro continentur, ex dictis nemini obscurum esse potest: cumque historiæ ratio vix permittat, ut hinc inde quædam decerpantur, ob arctissimum partium nexum, difficile fuerit exemplis, quæ in hoc opere tractantur, declarare; ipsius vero historiæ exhibere summam, supervacaneum ducimus, cum nemo temere sit, qui eam ignoret.
T. I. p. 3. seqq. Ne tamen a more nostro discedamus, unum alterumve, quod maxime memoratu dignum nobis visum fuit, designabimus. Inter ea, quæ sub finem imperii Caroli II contigerunt memoratu digna, eminet haud dubie conspiratio illa Romanensium, quibus tum alias ob causas, tum ob pacem cum Batavis factam Carolus displicebat, detecta a Tito Oate, quem suæ calamitates reddiderunt celebrem, & immortali velut vita donarunt. Auctor observat, esse hodienum, qui istam conspirationem inter fabulas referant, & commenta, ob quasdam circumstantias, quæ vix permittant, ut huic rei fides adhiberi queat. Istos vero parum caute agere, cum ab auctoribus istius sceleris hæc scena ita instructa fuerit, ut iis legibus in criminis societatem alii allicerentur, ut si qui in animum inducerent, revelare secreta, vel hoc ipso narratio illorum dubia atque suspecta fieret. Mortuo autem Carolo, & Jacobo ad summam rerum evecto, Titus ille Oates, perjurii accusatus, damnatusque ad perpetuos carceres, additis & aliis pœnarum generibus, fuit. Qui animorum motus in Anglia extiterint, cum Jacobus, Ducis Eboracensis adhuc titulo gaudens, Romanæ licet ecclesiæ sacra

cra

era amplexus, viam tamen ad regnum sibi quovis modo muniret, satis constat. Agitata vero ista res & in Comitiis regni seu Parlamento fuit, eoque perducta, ut lex decerneretur, qua omnes Romanæ ecclesiæ addicti, speciatim & Dux Eboracensis, a successione excluderentur. Istud decretum, quod paucis notum, exhibetur ab Auctore, qui & rationes addit, machinationesque, quibus Dux Eboracensis impediverit, ne promulgaretur, valoremque & efficaciam legis consequeretur. Quanta Wilhelmi, tum Principis solum Arausionensis, generi, in Jacobum socerum fides fuerit, quanta hujus in illum diffidentia, ex eo abunde patet, quod & ab Auctore confirmatur: videlicet, cum Dux Monmuthensis arma contra Jacobum pararet, idque resciviffet Wilhelmus, ad Skeltonum Jacobi legatum dixit, non contemnendos esse hosce Monmuthensis Ducis conatus, quippe qui rerum bellicarum haud imperitus esset, simulque & copias suas & se ipsum Regi, ad salutem ejus & defensionem obtulit. Sed Regis sinistram de Wilhelmo opinionem variis suspicionibus jam auxerat Skeltonus, qui adeo acceptare oblata, ab hoste occulto ea proficisci credens, renuit. Magnam ceteroquin historiæ hujus partem absolvunt variæ molitiones Jacobi, tum ad libertatem populi Anglicani infringendam, tum ad Romanæ ecclesiæ sacra introducenda, comparatæ. Quas dum prolixe Auctor recenset, non omittit quoque, omnem Jacobum movisse lapidem, ut memoriam Elisabethæ Reginæ, cui cum multis aliis iisque maximis bonis, religionis etiam puritatem Anglia imputat, ex animis Anglorum deleret. Positum namque iis in more est, ut quotannis in recordationem maximæ earum, quas unquam orbis vidit, Reginæ, festum diem celebrent, eodemque inter alia solennia imaginem Pontificis comburant. Rex & in suæ, quam profitebatur, religionis opprobrium hoc interpretans, & omnem libenter occasionem a veneratione Elisabethæ animos avertendi captans, severissime, ne solenni ritu istum agerent diem, prohibuit; sed suo exemplo comprobavit, Principem jubendo, quorum obsequium impetrare nequit, & virium prodere imbecillitatem, & auctoritatis certissimam facere jacturam. Agitavit vero & hoc Jacobus, ut comitiali decreto

p. 4. seqq. *p. 15.* *p. 223.*

sanciretur, præter jus fasque tenuisse Angliæ habenas Elisabetham, quo ipso & hoc se consecuturum sperabat, ut leges sub Elisabetha conditæ, quas suis maxime obstare conatibus sentiebat, vim omnem & efficaciam amitterent. Sed & ista, ut reliqua fere istius Regis, consilia successu caruere. Id vero nunc novo confirmari exemplo potest. Nihil optabat Jacobus ardentius, quam ut inter reliquos proceres Rochestriæ Comitem, sanguinis quippe vinculo sibi junctum, & magnæ etiam auctoritatis virum, eundemque Angliæ Thesaurarium, ad Romanæ ecclesiæ sacra perduceret: licet enim suis eum addictum partibus sciret, nondum tamen ei prorsus fidendum credebat, quem religionis disjungeret diversitas. Sed persistebat in sua opinione Comes, nec dimoveri se ab ea ulla ratione patiebatur: ut tamen aliquid dedisse sollicitationi Regis videretur, colloquio interfuit, inter duos doctores reformatæ ecclesiæ, & duos monachos Benedictini ordinis, instituendo. Eo colloquio finito Comes dixit, nullum unquam in animo suo de religionis suæ veritate scrupulum ortum esse, adeoque frustra esse qui sperent, se ab illa discessurum: Rex vero ipse profiteri necesse habuit: *nunquam se vidisse causam malam melius, & bonam pejus defendi, quam in hocce colloquio.* De Walliæ Principe, filiusne Jacobi an per fraudem suppositus sit, quem variæ hodie adhuc historicorum sint sententiæ, constat. Rem omnem accurate exponit noster, nec quicquam eorum prætermittit, quæ in utramque partem tum fuere disceptata. Nos id saltem observamus, quod de civibus urbis Carcoli (*Carlile*) vel potius Romanensibus quibusdam, qui integræ urbis consensum præ se ferebant, refert. Namque & hi inter alios, ut Regi placerent, libello solenni (*adresse*) gratias ei agebant, pro libertate religionis omnibus concessa. In eo, cum ante Walliæ Principis nativitatem Regi offerretur, augurati sunt, fore ut, quod Regis felicitati deesse videbatur, brevi accederet, filius, regni pariter ac virtutum paternarum heres. Id licet fortuito casu ab illis dici potuerit, optandi magis quam vaticinandi animo, fuerunt tamen, qui inde suspicarentur, ut Auctor innuit, litterarum istarum auctoribus forte consilia clandestina aulæ non prorsus incognita fuisse. Quicquid hujus sit, Episcoporum captivitas eodem tempore instituta rem

p. 503. seqq.

p. 262. seqq.

rem omnem valde suspectam reddebat. Horum vero dum hic nos subit recordatio, non possumus non meminisse illustrissimi viri, Gilberti Burneti, qui & suas in hac scena strenue egit partes. Is namque cum ex Scotia in Angliam commigrasset, Rege Jacobo consentiente, consultum duxit peregrinas tantisper lustrare auras. Cum vero eo ipso tempore, quo magnum illud Romanensium mysterium magis magisque innotesceret, apud Batavos plurimi libelli prodirent, artes fraudesque Romanensium, & totam machinationum seriem detegentes, horum auctorem Burnetum credebant nonnulli, qui a partibus Jacobi stabant. Perduellionis itaque accusatus, & postulante Regis in Scotia procuratore, coram regni hujus Comitiis, eo quod ex Scotia oriundus esset, sesistere jussus est. Tandem cum post varia itinera in Belgio substitisset, capitis damnatus est, ob contumaciam. Hæc vero dum agebantur, ad Midletonum Secretarium Status, litteras nonnullas scripsit Burnetus, in quibus erudite & solide causam suam agit, & objecta diluit, & innocentiam suam clarissime demonstrat, Deum testem invocans, falsa cuncta esse & conficta, quæ ab inimicis sibi objiciebantur. Ipsas litteras celeberrimi viri, lectu dignissimas, una cum formula citationis, operi huic dum Auctor inseruit, simul ornamentum haud exiguum eidem conciliavit. *p. 230-240.*

Jam ut ad alia progrediamur, de Comite Essexiæ hic accurate quædam tradi videmus, quæ an alibi temere obviam futura sint, dubitamus. Constat namque, in carcere Londinensi, in quem ob conspirationem imputatam missus erat, jugulatum fuisse: tum vero famam divulgatam, eum violentas sibi ipsi intulisse manus. Innocentiam vero viri quidam peculiari scripto vindicavit, cujus summam prolixe Auctor refert, ex quo nefandas illorum artes, qui cum religione libertatem Anglorum opprimere conabantur, intelligere licet. Etenim id agit, ut ostendat, immissos in Comitem percussores, & deinde divulgatum, cum sibi ipsi mortem conscivisse, ob sceleris per conspirationem admissi conscientiam, ut populo persuaderent, vera esse, quæ de Procerum Evangelicorum contra Jacobum Regem conspiratione lepide commenti erant; simulque suspicionem conspirationis a se contra Carolum II initæ *T. II. p. 42. seqq.*

& a Tito Oate detectæ amolirentur, saltem mitigarent, si hoc obtinere possent, ut ejusdem criminis rei crederentur, a quibus quotidie sibi talia exprobrabantur. Quæ vero ab adversariis jactabantur, ad αὐτοχειρίαν Comitis probandam, omnia sollicite in
p. 290. hocce scripto refelluntur. Sed ut Essexius Comes purgari forte ab hocce scelere potest, ita neutiquam ejusdem expers censendus est Templæus, celeberrimi Equitis Guilielmi Templæi filius, cujus funestum oppido exitum Auctor itidem pluribus refert. Secretarii bellici munere cum fungeretur, atra sanguinis fuligine circumactus, in eam ingressus est sententiam, se parem huic muneri non esse: idque cum Regi significasset, ab eodem tamen bono animo esse jussus esset, cum, si quæ deessent, ex continua ejusmodi rerum tractatione essent accessura, nec defuturi essent, qui ei assisterent, & partem oneris in se reciperent, eo tandem devenit, ut die $\frac{14}{24}$ Aprilis A. M DC LXXXIX in Tamesi navigans, in fluminis rapidissimam partem ex navicula desiliret, & ita finiret vitam. Schedulam reliquit, in qua eam mortis, quam diximus, causam afferre videtur, dum suscepisse se aliquid profitetur, quod haud sine magno Regis incommodo ad finem perducere potuerit. Quod tamen nonnullos aliter interpretatos esse, Auctor addit. Etenim acceperat Templæus litteras ab eo, qui Tirconellio in Hibernia erat a litteris secretioribus, quibus certior reddebatur, Tirconellium arma, quæ contra Regem Wilhelmum arripuerat, positurum, modo honestis id fieri posset conditionibus. Id cum Regi significasset, nec tamen eventus votis responderet, renitente Tirconellio, Templæus incommodorum, quæ inde in Regem redundare poterant, se esse auctorem credens, id consilium de vita finienda arripuisse videtur. Sed Templæus quidem suæ calamitatis ipsemet auctor extitit, si modo illi imputandum, quod atri sanguinis efficacia abreptus fecit. Fuerunt & aliorum hoc tempore in Anglia haud felicia fata, quæ tamen alia ratione ipsimet sibi attraxere. Insignis enim illa reipublicæ mutatio, quam tum Anglia subiit, non potuit non privatorum sortem multiplici ratione immutare. Rege enim ad opprimendam populi libertatem proclivi, non desunt, qui, ut favorem ejus captent, religionem, fidem, famam, in minimis ponunt; sed nec desunt, quibus hæc omnia

omnia pluris fiunt quam ipsa vita. Illos tum plerumque gratia, honores, divitiæ manent: hos opum, dignitatum, haud raro etiam vitæ jactura. Quodsi ergo mutari scenam contingat, ut pulsis libertatis oppressoribus rerum potiantur, quibus salute populi nihil prius, nihil antiquius, protrahuntur in lucem, quibus cum squalore colluctandum fuit, protervіæ & impietatis pœnas dant promeritas, qui in summo rerum fastigio erant collocati. Ejusmodi exemplorum magna se offert in hoc opere seges, ad quæ attendere haud abs re fuerit, cum quæ ad publicum statum spectant, satis plerisque nota sint. Horum ergo nonnulla indicavimus, *p. 120. seqq.* quibus addi meretur Comes Sunderlandiæ, cujus frequens in hac historia mentio: quanquam is nec apud Jacobum quidem, quem forte speraverat, consiliorum fructum tulit. In gratiam enim Regis sacra ecclesiæ Romanæ amplexus, simulque ad maximas evectus dignitates, is esse credebatur, ex cujus arbitrio Rex cuncta gereret. Ast labascentibus pessumque euntibus Jacobi rebus, subito privatus & gratia Regis & omni fortuna, concidit. Sub Guilielmo non meliora fata sibi polliceri poterat. Mutati in Jacobo erga eum animi causas vix quisquam tum suspicari poterat. Ast epistolam deinde ad amicum scriptam evulgari curavit ipse Sunderlandiæ Comes, quam & Auctor hujus collectionis exhibet, in qua docet, se quod subinde ad salubriora & saniora consilia Regis animum flecteret, hoc ipso Romanensium quorundam, quibus violentiora consilia optima videbantur, & a quorum nutu Rex unice pendebat, in se concitasse suspicionem, qui ex eo tempore non conquieverint, donec Regis animum plane ab se abalienassent. Sed hæc, quæ speciminis loco sint, paucis indicasse sufficiat.

THE GENERAL HISTORY OF ENGLAND &c.

i. e.

HISTORIA ANGLIÆ GENERALIS, TAM Ecclesiastica, quam Civilis, ab initio regiminis Wilhelmi I (vulgo dicti Conquæstoris) usque ad exitum Regni Henrici III perducta; ex antiquissimis monumentis, manuscriptis editisque Historicis concinnata. Volumen II. Autore JACOBO TYRRELL, Armigero.

Lon-

Londini apud W. Rogers, 1700, fol. Alph. 14.

PRimum, qui A. 1697 prodiit, Historiæ hujus tomum in his Eruditorum Actis eodem anno prolixe satis recensuimus p. 399 seqq. Eandem vero in secundo hoc, quam in priori volumine, rationem servat Nobilissimus Auctor, præmissa non minus Præfatione, quam Introductione prolixiori. In præfatione, quorum auctoritate usus sit, demonstrat; ubi præter alios, quos in recensu pri-
p. 8. 9. 10. 11. mi voluminis nominavimus, Rogerium de Hoveden in primis commendat, cujus vestigiis Benedictum Petriburgensem κατὰ πόδα inhærere, tametsi nullam ejus mentionem faciat, observat. Sequuntur Radulphus de Diceto, Bromton, Gervasius, Wilhelmus Nevvbrigensis, Matthæus Paris ejusque continuator, Thomas Wikes, nec non Eadmerus Canterburiensis monachus, qui quanquam circa historiam ecclesiasticam potissimum versetur, multa quoque inspergit politica. Accedunt Scriptores Normannici ab Andrea du Chesne editi, Guilielmi, Pictaviensis & Gemmaticensis, ut & Ordericus Vitalis, ex quo multa speciatim de Nobilitate Normannica in Angliam translata cognosci possunt. Notat autem Chronicorum Normanniæ, quæ in fine hujus collectionis comparent, auctorem esse Robertum de Monte, cujus manuscriptum Chronicon Oxonii pariter & Cantabrigiæ exstet. Valde tamen mutila illa esse fatetur. Nam cum in manuscriptis exemplaribus ab anno 1100 ad 1182 enarretur rerum series, in illis Chronicis initium fit ab anno 1139, & quæ Robertum auctorem agnoscunt, annum 1168 non excedunt, quanquam ab alio auctore fuerint ad annum usque 1259 continuata. Tacemus manuscripta alia, quæ ex Cottoniana aliisque Angliæ bibliothecis largiter Au-
p. 15. ctor suppeditata habuit. Præterea Gallicorum etiam & Scoticorum auctorum utitur suffragiis; e Polydoro Virgilio tamen pauca, ab aliis prætermissa, affert, eidemque graviter indignatur, quod non tantum Oxoniensem bibliothecam publicam, verum etiam alias templorum in Anglia bibliothecas expilaverit, manuscriptis
p. 16. voluminibus magna navi Romam transmissis. Quo majorem vero huic volumini gratiam conciliaret, appendicem adjecit, in qua diplomata Wilhelmi I & successorum usque ad Johannem exhibentur, ad privilegia potissimum & libertates cleri & populi

li Anglicani ſpectantia, e quibus ea, quæ principe loco comparent, utut jam impreſſa, vel ideo addidit, ut pateret falſo a D. Bradeo aſſeri, omnia Anglorum privilegia ab indigenis Regibus eſſe profecta. Duos tamen fœderum ſeu pacis tractatus inſeruit, plures additurus, niſi cæteros omnes, ſpeciatim eos, qui Angliæ Regibus cum exteris gentibus interceſſerunt, ab Hiſtoriographo Regio Rymero ex reconditis theſauris brevi publicatum iri ſperaſſet. p. 17.
Et quamvis Bradei Hiſtoriæ laudes ſuas non deroget, tamen eam *Completæ* (qualis appellatur) Hiſtoriæ titulum nequaquam mereri cenſet, inprimiſque in Bradeo dexteritatem, ſi quæ aliorum Hiſtoricorum teſtimonia allegari debeant, deſiderat. p. 19. Unde ſibi fatetur propoſitum initio fuiſſe, ut animadverſiones in Bradei Hiſtoriam ederet, quas cum paulo prolixiores futuras obſervaverit, novum hoc opus ſe fuiſſe aggreſſum. p. 20. Quin etiam diligentiam deſiderat, quandoquidem Bradeum neque eos, qui publice proſtent, Hiſtoricos, pro eo, atque opus erat, neque manu exaratos, quos potuiſſet, conſuluiſſe pateat. Interim multum ſe illi debere haud diffitetur, & ex iis rebus, quæ ſigillatim ad Johannem & Henricum III ſpectant, pleraque, quatenus veterum teſtimoniis conſentanea ſint, retinuiſſe ſe ait, publiceque rogat, ut alterum Hiſtoriæ ſuæ volumen, quemadmodum ſpes facta ſit, brevi edat, ſed ad veritatem prorſus exactum; quod ſi fiat, denuo pertexenda continuatione ſuperſedere ſe prorſus velle affirmat. p. 24. Denique pariter omnes admonet, ut ſibi diligenter caveant a novo Compendio Hiſtoriæ Anglicanæ, a nobis in Actis A. 1696, M. Auguſto, pag. 362 ſqq. recenſito, quod tribus tomis diviſum, & Gallico idiomate, conſcriptum, ſub titulo *Hiſtoriæ Converſionum Angliæ*, auctore P. *d'Orleans* A. 1695 prodiit. p. 25. Id enim quantis ſcateat erroribus, ex eorum tantummodo Regum Hiſtoria, quorum in hoc volumine geſta Auctor noſter expoſuit, exemplo non uno demonſtrat, adeoque probat Auctorem Gallorum partibus mancipatum eſſe, ut a Gallicorum quoque Hiſtoricorum fide diſcedere ſæpe non vereatur. p. 26. Sic, ut unicum exemplum producamus, contra omnium ſcriptorum fidem, Ludovicum Philippi Regis Galliæ filium, in Angliam adverſus Johannem Regem evocatum, ſolenniter coronatum fuiſſe Londini, impudenter aſſeri exiſtimat. p. 27.

Quemadmodum vero, quæ vetustissimis temporibus forma regiminis in Anglia fuerit, in prioris tomi, ut suo loco diximus, Introductione descripsit Noster: ita in hujus voluminis Introductione, quæ post Normannorum tempora fuerit forma, pari ratione inquirit.
p. 30. Itaque eorum oppugnaturus sententiam, qui arbitrariam Regum tuentur potestatem, negat Wilhelmum ita Angliam jure belli subjugasse, ut leges omnes everterit & libertatem, eoque falso nonnullos existimare, ejus successores pari, si velint, jure uti, neque iis resisti a quoquam salva conscientia posse. Cu-
p. 31. jus sententiæ potissimos defensores nominat Bradeum, Johnstonium, Fernium & Dudleum Digs, eodemque spectare ait quosdam Roberti Filmeri fœtus. Noster ergo, Historici acturus im-
p. 32. primis partes, primo disquirit, quatenus Wilhelmus jure belli Angliam occupasse dicendus sit? deinde ex historiarum monumentis expendit, num absoluto in subditos dominio usus sit, & tan-
p. 35. dem Bradei ceterorumque argumenta confutat. Hinc idem a Wilhelmo, quod ab Eduardo Confessore, juramentum præstitum fuisse, ostendit; cui accedit, quod Aldredus Archi-Episcopus Eboracensis, qui coronam Wilhelmo imposuerat, eidem, cum
p. 36. minus datæ fidei memor esset, maledixerit. Neque enim Anglos, uti quidem juramento promiserat, pari cum Francis jure habebat.
p. 38. Cumque hoc juramentum plane idem fuerit cum eo, quo Reges quoque Saxonici fidem suam subditis obstrinxerint, non majori certe Wilhelmum, quam Reges illos, potestate gavisum fuis-
p. 40. se. Ex quo cum patere existimet Auctor, Wilhelmum nondum ob victoriam de Haraldo deportatam jus in personas, bona, & libertatem Anglorum sibi vindicasse, porro historiam eorum temporum
p. 41. ss. paulo penitius considerat. Probat itaque primo loco, non omnia Anglis bona Wilhelmum, neque iniqua de causa, eripuisse, eaque pro lubitu paulo post adventum suum Normannis donasse, neque unquam Conquæstoris titulo in diplomatibus usum fuisse, hæ-
p. 47. reditario potissimum juri innixum. Ut vero testimonia, quibus Pradeus utitur, evertat, negat Codicis Nigri, qui penes Thesaurarium & Camerarios Scaccarii asservari solet, verum auctorem esse Gervasium Tilburiensem, neque eundem indubiæ fidei virum esse ait, quod vel ex ejus *Otiis Imperialibus* Ottoni IV Imperatori

ri dedicatis, qui liber manuſcriptus bis exſtet in Anglia, unicuique pateat. Præterea ejus in Hiſtoria Anglicana ignorantiam, exemplis quoque nonnullis Auctor declarat. Secundo quærit, num Wilhelmus maximam partem veterum legum Saxonicarum immutaverit, & propria auctoritate Normannicas introduxerit? quod potiſſimum adverſus Petiti librum Anglicum, *Jura Communium, &c. aſſerta*, affirmaverat Pradeus. Probat autem, non ipſas leges, verum jus dicendi atque ordinandi modum fuiſſe immutatum, & quæ olim apud Saxones, quæque poſtea inſtituta, qui mores, vel pœnæ fuerint, facta diligenti comparatione demonſtrat. Neque minus adverſus Pradeum defendit Atwoodium, quem addit tamen defenſionem accurate conſcriptam dudum prælo paratam habuiſſe. Quin & ipſas leges Feudales retentas maximam partem fuiſſe aſſerit, idemque quod Normanni *Feodum* appellaverint, veteribus *prædium* ſeu *beneficium* dictum fuiſſe notat. Quæ ſingula dum operoſe probat, multa fatetur ſe Matthæi Hale *Hiſtoriæ & Analyſi Legum Angliæ*, libro nondum typis exſcripto, debere. Tertio de eo agit, quod nonnullis multum ad ſententiam hanc momenti afferre perſuaſum eſt, quando Wilhelmum aſſerunt Regnum, in præjudicium filii ſenioris Roberti, in Wilhelmum Rufum per teſtamentum tranſtuliſſe: quo argumento Pradeus quidem haud utitur, qui & Saxones Reges libera poteſtate Regnum per teſtamenta in alios transferendi uſos fuiſſe credit; quam ſententiam tamen Auctor noſter & in prioris voluminis Introductione ex profeſſo refutaverat, & hic rurſus explodit, objectionem alia ratione diluens. Porro quos hoc volumine complexus eſt, Reges non tam ſucceſſionis, quam electionis jure munitos fuiſſe docet, hac inter cæteras ratione uſus, quod, ſi ſucceſſio prævaluiſſet, novorum Regnorum initia in ipſis anteceſſorum diebus emortualibus ponenda fuiſſent, quod ſecus factum obſervat. Denique quas Anglia viciſſitudines poſt Wilhelmi ætatem fuerit experta, luculenter deſcribit: ubi occaſionem ſibi ſuppeditari ait, de Communium in Parliamentis ſuffragiis eorumque origine diſquirendi, quam ad annum imperii Henrici III quadrageſimum nonum vulgo Spelmannus, Pryn, atque adeo Pradeus quoque referunt; verum eam materiam, cum ſit paulo majoris indaginis, tertii voluminis Intro-

p. 61.
p. 73.
p. 86.
p. 97.
p. 104.
p. 105.
p. 107.
p. 126.
p. 127.

p. 128. ff. ductioni potius reservat. Ultimo loco quæ post Wilhelmi tempora in Ecclesia mutata fuerint, & quibus gradibus Pontificis in Anglia auctoritas creverit, accurate Auctor describit.

Ipsum opus octo libris constat, totidem Regum Historiæ destinatis, quorum posteriores duo novam partem constituunt. Ut vero eadem per universum opus Chronologiæ deprehendatur ratio, ex veterum more annos a nativitate Christi incipit, ita tamen, ut ab ea ratione discedendi libertatem sibi relinqui deinceps velit. Errores ut aliorum, tam Chronologicos, quam Historicos, ita speciatim Bradei p. 44, 163, 563, 731, 736, 917, 1033, 1067, 1077, & passim alibi confutat. Videamus tamen libros singulos, quantum instituti nostri ratio permittit. L. I. dum Wilhelmi I gesta percenset, Hectoris Boethii & Buchanani graves errores tollit p. 26. Wilhelmi Rufi res L. II. complexus, Polydorum Virgilium refutat p. 77, & fatetur quidem, eum Regem a Walthero Tyrrell, celeberrimæ in Anglia & Irlandia familiæ auctore, fuisse in venatione, sed casu interemtum, neque Bradeo causam esse probat, cur in dubio relinquat, utrum id parricidium non destinato potius consilio factum sit, insimulque Historici illius, qui Bedam continuavit, auctoritatem ex eo minuit, quod eum fuisse insignem plagiarium demonstrat p. 108, f. Accedit postea L. III ad Henricum I, qui cum litteris pro ratione eorum temporum probe eruditus esset, cognomen *Beauclerk*, seu eruditi, meruit p. 113 ejusque ætate observat eam monetæ conditionem fuisse, ut si opus esset, facile nummus in quatuor partes, quarum æqualis valor esset, diffringi potuerit, p. 140. Consummationem matrimonii Henrici IV Imperatoris cum Mathilde ad annum 1114 refert, eoque eorum errorem refutat, qui eam ante quinque annos (quo tempore novem annorum puella Mathildis fuit) factam cum vulgo asserunt p. 149. Quales errores Chronologicos in Eadmero quoque p. 153, nec non in Wilhelmo Malmesburiensi & in Florentii Continuatore p. 174 deprehendit. Imprimis vero contra Matthæum Paris, & quos secutus videtur, alios Robertum a Rege fratre oculis privatum fuisse negat p. 176. In his, quæ ad Stephanum Regem pertinent, cujus gesta L. IV. percenset, auctorem anonymum, cujus liber sub titulo *Gesta Regis Stephani* collectioni scriptorum Normannicorum insertus est, diligenter consuluit,

fuluit, quem & Bradeus & alii Historici prorsus dicuntur neglexisse. Imprimis vero accurate describit, quæ ab Imperatrice Mathilde & ejus asseclis adversus Regem concitata fuerint; & Scoticos Historicos refutat p. 213. Libro V, quo de Henrico II tractat, Gervasium Canterburiensem, quoad Chronologiam, cæteris præfert p. 302, quem tamen infra p. 306 ejus auctoritatis non esse existimat, ut in Historia quoque aliis Historicis anteponi debeat. Primam sub hoc Rege in hæreticos pœnam ab Anglis statutam esse, Noster asserit p. 307, triginta quippe Germanis A. 1159 stigmate notatis, virgisque cæsis, & frigore atque inedia enectis. Quæ vero Henrico Regi cum Thoma Archi-Episcopo Cantuariensi intercesserunt, prolixius a p. 310 usque ad p. 370 recenset, usus imprimis Wilhelmi Fitz-Stephens & Eduardi Ryme libris manuscriptis, quorum alter in Cottoniana, hic in Bibliotheca Collegii Greshamensis Londini asservatur. Tum & Scoticos Historicos p. 385, & Gallicos p. 447 refellit, & quæ de Rosamunda Henrici pellice referuntur, maximam partem ut fabulosa explodit p. 457. In Historia Richardi I, quæ L. VI continetur, Rogerii de Hoveden Annales, ut alibi quoque, imprimis sequitur, nisi quod, si alios dissentientes deprehenderit, probabiliorem sententiam eligat; neque quicquam omittit, quod ad expeditionem sanctam pertineat, animadverso obiter Gallicorum Historicorum errore p. 510, & Gulielmo Newbrigensi, & Bromtono refutatis p. 527. L. VII Johannis gesta persequitur, & Matthæi Paris potissimum testimoniis utitur, ita quidem, ut si quando Gallos aliosque Scriptores dissentire deprehendat, id identidem observet, eorumque p. 732 refutat sententiam, qui liberum fuisse Johanni perhibent, exactiones populo, adhibitis tantum in consilium Consiliariis intimis, pro lubitu imponere. In L. VIII, cum de Henrico III agit, frequenter iis monumentis utitur, quæ in Appendice ad Bradei Historiam exhibentur; ipsum tamen Bradeum non uno in loco, tum & auctores Gallos p. 854, Historicos Walliæ p. 931, Speedium, & quem secutus est, Camdenum p. 1094 refutat. Cæterum ita ubique se gerit Auctor, ut enarrata prolixe rerum gestarum serie, postquam de mortis genere dictum est, prope finem de charactere uniuscujusque Regis, de prosapia, de legibus, de ex-

actionibus aliisque ejusmodi rebus sigillatim agat, exemplo, ut videtur, Richardi Bakeri nostro quoque Auctori non illaudati, qui quam rationem in Chronico Regum Angliæ servet, vel ex Actis nostris Supplem. T, III p. 319 cognosci poterit.

JO. FRANCISCI BUDDEI P. P. PARERGA Historico-Theologica.

Halæ Magdeburgicæ, apud H. G. Mussellium, 1703, 8.
Alphab. 1. plag. 19.

Cum non uni literarum generi se prorsus addixerit, sed cum Theologiæ studio Historiarum etiam atque Philosophiæ, præsertim moralis & civilis, conjungendum sibi esse celeberrimus & a nobis sæpe jam laudatus Autor, nosterque in componendis Eruditorum Actis adjutor strenuus, existimaverit, nec unius quoque generis esse potuerunt, quæ in lucem hactenus protulit, ingenii excellentissimi monumenta. Ac solennem inprimis receptamque in nostris Academiis consuetudinem, juxta quam selectiora ex omni doctrinæ genere argumenta in disputationibus publicis proponuntur, hinc ab ineunte juventute sequendam sibi posteaquam statuit, varias hucusque in lucem publicam emisit exercitationes, quas omnes ad quatuor referri posse classes innuit, Historico Theologicas puta, Juris dehinc Naturæ & Gentium, Civilis porro Prudentiæ, ac tandem Philosophicæ, quæ vocari suevit, Historiæ.

Ex hisce classibus prima nunc seligitur, præsensque fasciculus decem sistit disquisitiones Historico-Theologicas, quarum plerasque illa ætate, quæ vel maxime aliorum quandoque autoritate soleat circumagi, scriptas a se fuisse profitetur; quinimo in scriptis suis juvenilibus tantum non omnibus, majorem sibi in modum dicendi, qua sit usus, rationem displicere addit, cum ea magis ad ornatum, quam ad veritatis cum aliis communicationem, comparata sit. Nihilo tamen secius haud impediendum esse ratus est, quo minus juveniles etiam hæ dissertationes denuo ederentur.

Et prima quidem inter has de *Symbolis* agit *Eucharisticis*, & post sacra horrenda Gnosticorum, Ophitarum, Cataphrygum & Montanistarum ritus indicatos & explosos, de pane fermentato

to in sacra Cœna adhiberi cœpto plura disserit. Secunda de *Theodotione*, ejusque Græca Scripturæ sacræ versione verba facit. Tertia cum quarta *ritus Ecclesiæ Latinæ Judaicos* exhibet. Quinta quid in *allegoriis Origenis* laudem vituperiumve mereatur, indagat. Sexta *Ludovici Bavari Imperatoris innocentiam*, adversus Abrahamum Bzovium, aliosque iniquos obtrectatores vindicat. Septima *ruinam murorum Hierichuntinorum* considerat, & ostendit, non potuisse rem tantam solis naturæ viribus peragi, sed agnoscendum heic omnino esse miraculum. Octava in *artes Tyrannicas Hieronymi Savanorolæ* invehitur, sed, quæ excipit hanc, nona *retractationem* antea dictorum instituit, maleque olim Savanorolam relatum esse ostendit inter eos, qui ad acquirendas opes, imperiumque sibi firmandum, pietatem sumant obtentui. Decima denique *animadversiones* exhibet *in Petri Charvini librum de religione naturali*; ubi de insufficientia luminis naturalis ad salutem, de libero arbitrio, de electione & reprobatione, de vitæ humanæ termino, de conscientia, de concursu Dei ad actiones hominum malas, de concordia rationis & religionis Christianæ, de adoratione Christi dum inter mortales versatus est, de lege naturali, deque peccato originali, erudita & exacta commentatio suscipitur.

Hisce vero Dissertationibus nova nunc ad Lectorem accedit Præfatio, in qua de singulis earum nonnulla monet; nec erit, uti opinamur, dividiæ, monitorum istorum summam huc referre. In prima, de symbolis Eucharisticis, merito quidem a se accusatos inquit esse Hæreticos, at tamen si non omnes, saltem plerosque, qui Tatiani disciplinam secuti sint, & Encratitarum nomine veniant, longe mitiorem promereri censuram statuit; quæ vero de perpetuo panis azymi in sacra Eucharistia usu in eadem dissertatione attulit, ejusmodi esse deprehendit, ut dum asseruerit, panes non fermentatos a Christi Servatoris institutione semper obtinuisse in vera Ecclesia, parum absit, quin suam ea de re sententiam nunc immutandam existimet; in veteri autem Ecclesia, panis Eucharistici rotundam figuram magnitudine multum superasse placentulas nostras orbiculares, quas vulgo oblatas vocamus, recte abs se dictum fuisse, denuo confirmat. In secunda, Theodotio-

dotionem gente Ponticum, & ex urbe Synopensi ortum fuisse, Epiphanium secutus quondam asseruerat, idque haud invita veritate se statuminasse, contra Ludovicum El. Du Pinium, ex autoritate Irenæi Ephesinum eundem facientem, adstruit. In duabus de ritibus Ecclesiæ Latinæ Judaicis Dissertationibus, plurima quidem auctarii in vicem addi posse, sed in sententia earum nihil mutari debere statuit, iis respondens, qui ritus Ecclesiæ Romanæ cum ritibus potius Gentilium convenire, persuasum sibi habeant; quanquam Christianos non ritus Templi, utpote ab indole & simplicitate suæ religionis magis alienos, sed ritus saltem Synagogæ assumsisse, ex Stephani Le Moynii observatione vero simillimum judicet. Johannem Evangelistam ideo, quod ex sacerdotali familia ortum traxerit, summi etiam Sacerdotis signo, lamina videlicet aurea, usum esse penitus inficiatur. Occasione quintæ Dissertationis de allegoriis Origenis, in nimium allegoriarum studium, quo non pauci in præceps acti deprehendantur, animadvertit, & Hermannum inprimis Deusingium notat, quod eousque progredi haud erubuerit, ut Trinitatis quoque mysterium in allegoriam transmutarit. Circa sextam Natali Alexandro respondet, qui ut aliqua saltem parte Romano placeret Pontifici, quem suis erga Galliæ Regem, etiam cum imminutione Pontificiæ auctoritatis conjunctis adulationibus, jure offensum metuerat, iniquissimum in Imperatores Germanicos, eos maxime, quibus cum Romanis Pontificibus lites intercessere, ipsumque adeo Ludovicum Bavarum, sese præbuerat. In septima de murorum Hierichuntinorum ruina, iis se ivisse obviam affirmat, qui naturæ viribus miracula peragi potuisse contendant; neque id morari se nunc dicit, quod nonnulli regerant, non satis nobis constare naturæ vires, multo minus, quanta in eam spirituum sit efficacia. Etenim licet naturæ vires non prorsus nobis constent, hoc tamen manifestam esse ait, soni, qui tubarum clangore populique clamore excitatur, tantam minime reperiri efficaciam, ut muros possit evertere. Spirituum potentiam nescire nos fatetur, sed si vel maxime spirituum in his accesserit opera, non desinere tamen eadem esse miraculum, cum hoc nomine talis operatio veniat, quæ vim efficaciamque corporum naturalium superet. Quod suam de Savanorola dissertationem retractarit, dedecori sibi haud esse posse, exemplis

æque

æque ac rationibus illustrat ac evincit. Animadversiones tandem in Chauvini librum de religione naturali neutiquam intempestive nunc rursus publicari, ideo arbitratur, quod nondum hocce saxum volvere desinant viri eruditi, sed quisque pro lubitu sacræ doctrinæ aliquod sibi systema fingat, solum, ne quid admittere cogatur, quod ratio perfecte non capiat; prout sigillatim, quid Lockius, & quid Johannes Clericus, aliique post Chauvinum hac in controversia statuerint, demonstrat.

JOSEPHI JUVENCII E SOCIETATE JESU Orationes,

Parisiis apud viduam Simonis Benard, 1701, 8.
Constant 1 Alph. 16. plag.

LAudabilem valde operam in patria lingua exornanda cultissimos Gallorum ponere, publice constat, nec nostra prædicatione indiget. Non desunt tamen inter eos, qui Latini etiam sermonis decus & venustates impigre affectantur, ingeniique sui monumenta polito Romanæ dictionis genere exprimunt. Pauci, fatemur, illi sunt hodie, cum plerique Gallorum Gallice scribant, non Latine; sunt tamen aliqui. Quos inter non ultimam mereatur gloriam Josephus Juvencius, vir clarissimus, qui tersas admodum & elegantes Latinas scripsit orationes, quæ ante biennium conjunctim sunt editæ. Equidem Auctor patria relicta Romam abiit, nec forte curam libri hujus edendi suscepisset; quam tamen amico & collegæ veteri, quin litterariæ rei se debere, non male credidit Gabriel Franciscus le Jay, ex eadem Societate, qui orationes has ex parte olim mandatas typis, partim nondum editas, publicæ luci donavit. Juvencius per annos quinque & viginti Rhetoricam Gallicæ juventuti, in regio Ludovici Magni collegio Societatis Jesu, explicuit, & Cadomi partim, partim Parisiis orationes suas habuit. Quindecim illarum sunt, ornatæ omnes & venustæ; pleræque in laudibus Regis Christianissimi enarrandis decurrunt. Prima de Trajecto ad Mosam expugnato agit; ostendere conatur altera, Burgundiam Sequanorum, quem liberum Comitatum vocant, nunc maxime, postquam Regis Galliarum esse

cœpit, dici oportere liberam. Et Flandriam, nisi tota Gallica sit, felicem esse non posse, tertia probare annititur. Quarta panegyricum exhibet Ludovico Magno, religionis vindici scriptum, licet eloquentius hic quam verius in Reformatorum religionem orator invehatur. Quinta Ducis Burgundiæ genethliacum exhibet, & quam falso ac periculose ingenii gloria novitatis defensoribus tribuatur, oratio sexta ostendit. Septima Ecclesiæ Parisiensis; octava Lutetiæ panegyricus est. Nona, quid sibi Gallia de Burgundiæ Ducis institutione debeat polliceri, commonstrat. Decima, Galliam nunquam magis invictam quam anno 1690, nunquam vincere digniorem fuisse; undecima, res anno 1692 prospere in Gallia gestas virtuti Gallicæ deberi, non fortunæ, probare intendit. Duodecima, quam est populis optanda pax, tam eruditis bellum litterarium expetendum esse, demonstrat. Decimæ tertiæ argumentum est, Gallos anno 1696, dum agere nihil videntur, plus quam annis superioribus egisse; & decimæ quartæ, gentem Gallicam unam omnium esse, cui religio debeat plurimum, quæ plurimum religioni debeat. Ultima denique laudationem exhibet funebrem Henrici Borbonii, Principis Condæi, e Gallico P. Bourdalove in Latinum a Juvencio conversum. Hæc sunt elegantissimarum orationum argumenta. Tam Latine & eloquenter ad unam omnes sunt scriptæ, ut non possint non cum summa voluptate legi. Juvencius certe, qui jam olim Horatium, Juvenalem, Martialem & Terentium edidit, eruditisque illustravit annotationibus, quid dicendo valeat, orationibus his commonstravit.

CORNELII VAN BYNCKERSHOEK JCTI AD L. Ἀξίωσις de Lege Rhodia de Jactu Liber Singularis, & de Dominio Maris Dissertatio.

Hagæ Batavorum apud Johannem Verbessel J. F. 1703, 8.
Constant 16. plag.

CLarissimum Autorem, Libro singulari obscuram Legem *Lecta* explicantem, adjectaque Dissertatione pactorum, Juris stricti contractibus incontinenti adjectorum, nodos solerter solventem, in Actorum nostrorum Supplementis *Tom. III. Sect. V.* stitimus.

ſtitimus. Jam ſimile ſpecimen, ex elegantiori magisque recondita Juriſprudentia Romana depromtum, idem exhibet, dum celebrem *l. 9. de L. Rhod. de jactu* luculento commentario illuſtrat, ac de Maris dominio inſuper diſſerit. Egerunt quidem hac de re jam alii, ſed quæ illi dixerunt, Noſter non dicit, cui, ut ait in Præfatione, nunquam vacat deſcribere, ſcribere vacat aliquando. Poſt relata memoratæ Legis verba Græca & Latina, novem capitibus ſingula exequitur Autor doctiſſimus. Primus labor eſt circa Legis inſcriptionem: *Voluſius Mæcianus ex Lege Rhodia*; qua & autorem Legis, & librum, in quo illa ſit relata, innui, autoritate codicis Florentini Noſter cenſet, ac Gothofredi, Mæcianum hæc ſcripſiſſe *libris Publicorum*, & verbis *ex lege Rhodia* indicari, hunc locum ex Jure Rhodio, quod nobis ſupereſt, eſſe deſcriptum, exiſtimantis, ſententiam refellit, adjiciens librum Mæciani *ex Lege Rhodia* ſingularem, linguaque Latina conſcriptum videri, ac Legem noſtram nonam ex actis Imperialibus, non vero, ut putat Gothofredus, ex autoritate ſive præfatione Legum Rhodiarum, quæ hodie circumferuntur, probabiliter deſcriptum a Mæciano eſſe. His peractis, tranſit Noſter ad ipſa Legis nonæ verba, inter quæ primo occurrit libelli ſupplicis inſcriptio: *Deprecatio Eudæmonis Nicomedienſis ad Antoninum Imperatorem.* Circa hanc oſtendit Autor conſultiſſimus, a veteri Interprete non eſſe recedendum, cum *deprecari* ſit, non juxta vulgum, ſed Latinorum præſtantiſſimos, etiam *valde precari*; quicquid Gellius in contrarium ſomniaverit. Supplicantem vero fuiſſe hominem e Nicomedia Bithyniæ, cui Eudæmon fuerit nomen, ac direxiſſe illum preces ad Imperatorem Antoninum, quo nomine quis veniat, non liquere; probabile tamen eſſe, ut vel Pius, vel Marcus, non autem Caracalla, vel Heliogabalus, intelligatur. Inde ſuccedit Eudæmonis propoſitio, cujus pars, *Domine Imperator Antonine. Naufragium in Italia facientes*, Noſtro varia adnotandi anſam præbuit, & quidem primo, de appellatione Domini, aliqua ille obſervat, poſtea refellit eos, qui in textu Græco pro ναυφϱάγιον, legi jubent ναυάγιον: licet enim non tantum vox ναυφϱαγίϰ, ſed & tota locutio, ναυφϱάγιον ποιεῖν, Latina ſit, nec apud bonos autores Græcos occurrat, attamen

men Thusci codicis autoritatem obtinere debere, eaque verba retinenda esse Noster contendit, cum probabiliter sint alicujus Græculi ævi sequioris: nam translato Bysantium Imperio, Græcos cum hoc, tum aliis temporibus, multa ex Latino, Principis Populi, sermone traxisse. Imprimis tertio clarissimus Autor admonet, quod circa verba, *in Italia*, seditiose penitus tumultuentur non tantum, qui Jurisprudentiam, sed & qui Grammaticam profiteantur, in hoc tantum concordes, delendam esse *Italiam*; nam in ea non magis opportune naufragium fieri posse, quam in mediis Alpibus aut silvis Lybiæ; præterea illa non cohærere, quod naufragium in Italia factum, direptio vero Eudæmonis & sociorum apud Cyclades accidisse mox perhibeatur. Noster tamen *Italiam* servari cupit, nam ἐν τῇ Ἰταλίᾳ erit in mari circa Italiam Hadriatico, vel Tyrrheno, vel Tarentino, vel etiam in Italiæ flumine aliquo vel lacu; aut si nihil horum placeat, ἐν erit *ad*, *apud* vel *prope* Italiam, bonis autoribus, Græcis & Latinis, eo sensu voce hac utentibus: denique nec altera ratio invicta est, cum nec locus direptionis determinetur, nec, si hoc factum supponas, absurdum sit, direptionem procul a loco naufragii fieri. Postquam laboranti *Italiæ* succursum est, deinde Autori placuit Criticorum in eam impetus capite intercalari redarguere, ac quid Petito, Salmasio, Cirionio, Gothofredo, *Italiæ* surrogare visum sit, quidque aliis, ac inprimis garrulis emendatoribus, amplius hic videri possit, expendit, addens, quod si quibusdam tantum desperationis sit, ut de *Italia* hic omni modo actum esse velint & conclamatum, eos *Æthaliam*, insulam prope Samum, Cycladibus ipsis vicinam & Livio memoratam, pace sua restaurare posse; quæ Nostri conjectura eo verisimilior videri potest, quod eandem foveat quoque Vir clarissimus Gerhardus Noodt. Cum enim hic Nostrum inviseret, eidemque penitus persuasum esset, Italiam in nostra Lege nona retineri non posse, significavit, se in Observationibus Criticis, propediem edendis, Æthaliam illam Livii esse restituturum: cui Noster se, si quid mutandum videretur, eadem inter cæteras uti conjectura, ex adversariis suis continuo rursus fidem fecit. Pergit naufragus Eudæmon: *direpti sumus a Publicanis, Cyclades insulas habitantibus.* In hac oratione cum nec direptionis locus, nec genus & color

color exprimatur, frustra de utroque disputari Noster admonet, contra Gothofredum inprimis, multis in posterius illud caput argutantem. Direptio facta esse perhibetur ὑπὸ τῶν δημοσίων, a *publicanis*, ut habet translatio vetus: alii verterunt, *servos publicos*, quos præcise asserendos esse, præcipit Gothofredus. *Publicanis* autem quo succurreret Salmasius, in Græco legi jubet δημοσιωνῶν: quas versiones & correctiones neotericorum uti Noster non improbandas esse censet, ita necessarias eas non arbitratur, ac postquam τὰς δημοσίας simpliciter *homines publicos*, versione maxime secura, verti posse admonuerat, luxuriantes Criticorum conatus, conjecturas inanes, ineptasque consequentias argute perstringit, & in Accursii, Cyclades ad Italiam transferentis, excusationem nonnulla profert. Deprecationem excipit Imperatoris responsio, nam *Respondit Antoninus Eudæmoni: Ego quidem mundi dominus*. Quam varie hic in Græco textu legatur, ac simplicissima alioquin vox εἶπεν vertatur, primo indicat Noster; cumque Antoninus, de gloria imperii magnifice præfatus, causam ad se delatam non finiat, sed incertum Eudæmonem ad Legem Rhodiam mox remittat, quam falsam inde nectat Gothofredus consequentiam, secundo ostendit: inde transit ad insolentem illum titulum, quo Antoninus se *mundi dominum* vocat, quaque intentione idem videatur adhibitus, tum an credibile sit, Antoninum Pium vel Philosophum eodem uti potuisse, disquirit, temperandoque insano illi fastui unicum medium superesse ait, si per *mundum*, intelligamus *Romanum*. Postea interpretum de illo mundi dominio, an scilicet dominium maris includat, aut recte olim Romanorum, hodie Germanorum Imperatori, vel etiam Pontifici Romano tribuatur, inepte otioseque tricantium turba Nostro vapulat; vapulant & illi, qui ineptias istas refutare sustinuerunt vapulant; denique Regum nonnullorum Orientalium protervia & furores, quibus non tantum omnium terrarum, nullis exceptis, ne forte quem angulum suffurari tentes, sed & cœli ac inferni dominos sese jactitant. Persequitur responsum Antoninus: *Lex autem maris, Lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis præscripta est, judicetur*. Post indicatas varias hujus versiculi versiones, Nostro lectioni receptæ inhærendum videtur. Hinc prima verba eo sensu accipit, *lex autem est maris*, quasi di-

cat Antoninus: *est jus constitutum receptumque de rebus nauticis; me igitur, quamvis terra marisque dominum, de his noli interpellare.* Sic abit Noster a divis, quos vocat, interpretibus, qui vocem *κυρίῳ* heic repetendam censent, quasi hoc velit Imperator, *se esse dominum mundi, sed legem dominam maris:* addit tamen, nec hanc interpretationem, si recte accipiatur, esse incongruam, nec inde sequi, quod Antoninus, suo ipsius testimonio, semet imperio maris excludat; quæ nonnullorum falsa sit persuasio. Non igitur adeo obscura videntur verba Antonini, sed nihilominus nonnullos tantopere turbarunt, ut ad partes emendandi confugerint, vel etiam variis interpretationibus eorum sensum eruere fuerint conati, quorum sententias Noster expendit, ac inprimis eleganter ridet eos, qui imperium maris, legi scilicet invidentes, ventis dederint; in quem censum pertinet Samuel Petitus, qui legit *ὁ δὲ ἄνεμος τῆς θαλάσσης*, Salmasio laudatus & probatus. Provocat Antoninus in responso suo ad Legem Rhodiam, non illam, quæ Parisiis & Amsterdami *anno 1647* publicata est (hanc enim suppostitiam, ac ab esuriente quodam Græculo, minus attento minusque docto impostore, confictam esse, pluribus contendit Noster) sed antiquam & veram, cujus gloria Rhodus olim celebrata est, quamque deperditam nunc frustra quærimus; cumque infinita sit Cæsaris oratio, hinc vulgo existimant, Romanos olim, in causis maritimis, generaliter vero illo jure Rhodio esse usos. Sed Nostro probabilius videtur, ex legibus Rhodiis nihil apud Romanos valuisse, nisi unicam illam *de Jactu*; cæteras a Romanis esse quidem confirmatas, sed solum quoad causas Rhodienses. Cum tamen Antoninus Eudæmonem, in casu factæ direptionis, ad Legem Rhodiam remittat, qui ex lege illa de Jactu, apud Romanos auctoritatem habente, decidi non posse hactenus Nostro videtur, hinc Cæsarem ista ad Rhodiensem quendam, in causa Rhodia, rescripsisse amplius censet, ac simul fatetur, ex suspecta illa Legum Rhodiarum farragine, quæ hodie habetur, nullam præcise designari posse, ad quam Cæsar Eudæmonem remiserit, utut Mornacius capitulum primum eo transferat. Absolvit tandem Antoninus responsum: *Quatenus nulla nostrarum legum adversetur. Hoc idem Divus quoque Augustus judicavit.* Duo hic exhibentur versiculi. Primum, quoad lectio-

lectionem Græcam, sibi ubique fere constare, ast in eo Latine transferendo, varie tricari Interpretes Noster observat, cumque in eo habeatur exceptio, quoad Legum Rhodiarum observationem, ipse vero paulo ante, usum laudatarum legum ad causam Rhodiam restrinxisset, hinc ulterius arbitratur, Rhodiorum αὐτονομίαν a Romanis non aliter esse confirmatam, iisdemque legibus suis uti permissum, quam si hæ Romanis legibus non adversarentur; alioquin Romanas, etiam apud Rhodios, legibus Rhodiensibus prævaluisse. Alter versiculus uti variantibus lectionibus aut versionibus non adeo est obnoxius, ita duo circa eum quæruntur, *cujus ille sit*, & quis *per Augustum intelligatur?* Nostro probabile videtur, esse illum Antonini, & per Augustum intelligi Octavianum Augustum, etsi quoad utrumque aliter sentit Gothofredus. Postquam ista scripserat doctissimus Autor, ad eum perlata est Dissertatio ad Legem nostram nonam, Lugduni Batavorum *anno 1698* conscripta. Adjecit igitur ἐπίβλημα, in quo eam strictim cum ἐπικρίσει sua recenset. Inter alia, Autoris illius observationem, qua ab specie facti, quam Eudæmon retulit, non necessario alienam esse omnem de Jactu inspectionem contendit, cum jactus naufragium vel sequi vel antecedere potuerit, laudat Noster, ex eaque in rem suam hoc efficit, sententiam, quam de partiali legum Rhodiarum apud Romanos autoritate antea proposuerat, nunc subsistere, quamvis responsum Antonini de causa Rhodiensi (ad quam alias illud Nostro restringendum videbatur) non accipias; cum stante Autoris illius conjectura, probabiliter Antoninus Eudæmonem ad Legem Rhodiam de Jactu, apud Romanos etiam valentem, ablegaverit.

Dissertatio de *Dominio maris*, quam libro singulari Noster subjecit, novem capitibus itidem constat. Primo præsupponit ille, dominia rerum ex naturali possessione cœpisse, nec diutius durare, quam possessio corporalis adsit. Quod igitur dominium ultra possessionē hodie nonnunquam duret, id non quidem effectum esse universali aliquo generis humani pacto, quod absurde nonnulli asserant, sed unice dependere a lege civili, vel a fœderibus gentium specialibus, eo fine inter ipsas celebratis. Ex quo etiam (quod hucusque non apparuisse putat) apparere amplius arbitratur Noster, quo sensu in *l. 5. ff. de Just. & Jur.* ex jure gentium dominiorum distin-

tinctio esse dicatur, nempe eo jure pactis fœderibusq; agnitum esse & probatum illud jus, quod dederat antiqua occupatio, seu potius illud jus, quod amissa possessione amittebatur, extensum esse ad eas regulas, quibus in civitate reguntur rerum dominia. His præsuppositis, ad mare, terræ proximum, Noster progreditur, ejusque dominium acquiri pronunciat, si quis navi una vel pluribus eo animo in vacuam ejus possessionem venerit, cumque a possessione dominii durationem suspendat, hinc continuam possessionem eatenus adessecenset, quatenus mare continenti potest haberi subditum, i. e. quousque tormenta exploduntur. E mari proximo ad exterum, in quod civitas e terra dominari nequit, pergit Noster, ejusque dominium habili occupatione acquiri, ac perpetua possessione inter gentes conservari censet; cum lex civilis, quæ ultra possessionem, dominium extendere solet, inter liberos populos autoritatem non habeat, nec pacta eo fine inter eos iniri soleant. Ex navigatione autem, intentione habili velut animata, & occupatio & possessio, ejusque continuatio colligitur; quibus mediis Romanos olim dominium maris Mediterranei & Britannici tenuisse, Autor existimat, adjiciens, non ex armorum classiumque potentia possessionem ac dominium maris præcise æstimandum esse, sed si quis vel una scapha occupet mare non occupatum & possessum, isque eadem scapha, dominii animo, pergat navigare idem mare, eum jure optimo censeri dominum, nec nisi per injuriam inde submoveri. Ex sola igitur navigatione possessionem ac dominium maris exteri judicandum esse, a quo non recte abeant Strauchius & passim Seldenus, qui creatis domi archigubernis, propositis edictis, aliisque vanis & tralatitiis jubendi imperandique modis, possessionem maris servari sibi persuadent. Inde porro colligi Noster vult, hodie nullam gentem dominium maris exteri sibi asserere posse, cum nulla interruptam detentionem docere queat, a qua tamen unice proprietas dependeat. De cætero, occupatione & possessione non tantum imperium, sed & dominium maris acquiri dicendum esse; hinc etiam consueti dominii effectus, a Nostro per partes explicatos, hic asseri debere. Ex his principiis Anglos, maris Britannici dominium sibi asserentes, strenuumque eorum patronum Seldenum Noster submovet: licet enim actus nonnulli, dominium illud probaturi, adducantur, attamen

men

men navigationem dominii acquirendi intentione factam, eaque data, possessionem perpetuam ex suis hypothesibus postulat; infra quæ labor Seldeni substitit, cum hodie nulla classis, imo ne una quidem navis, quæ Populi Anglicani nomine mare Britannicum naviget, adduci queat. Hinc non invidet Noster Seldeno splendida testimonia, quibus ille ad tuendam Gentis suæ gloriam, longe lateque superbit; cum dominium maris ab errantium testimoniis arcessi haut par sit, imo a veris etiam marium nominibus ad eorum dominium inferre non liceat. Plus momenti quidem adferre videntur gentium, Anglorum illud imperium agnoscentium, testimonia, sed si, cum possiderent Angli, imperium sit agnitum, nihil, cum non possideant, agnitum videbitur; siquidem id quisque præsumitur cogitasse, quod juris est, atque adeo id, quod Noster circa dominium maris antea præsupposuit: quod si autem ultra actualem possessionem, dominium Anglorum, a nonnullis agnitum sit, id agnoscentibus quidem, non vero aliis, nec in specie Belgis, præjudicabit, cum res inter alios acta aliis nec prosit, nec obsit. Eandem sententiam in Venetos, dominium maris Adriatici sibi tribuentes, Noster pronunciat. Licet enim variis, ac in specie decantatæ illius desponsationis annuæ, argumentis dominium defendi soleat, attamen cum non continuo hodie mari incumbant Veneti, illud negare iisdem non dubitat: nam, ut amplius sciscit, incumbimus equidem, ubi classes nostræ, aliis jure fugatis, animo domino navigant, sed has ubi domum revocavimus, desinimus possidere, & cum possessione amittimus dominium, & quotquot sunt dominii compendia. Aliud dicendum esset, si vel quævis navis, navicula, scapha, cymba ad tuendam possessionem maris vela dare atque iterare cursus pergat relictos; sic enim nec mari, nec dominio excedimus. Pro Genuensibus, asserendo Ligustici maris dominio, fortius quidem philosophari volunt videri Gentis istius Scriptores, dum eos, ad tutelam laudati maris, classem triremium perpetuam habere contendunt: hinc nisi remiserit illa gnavitas & studium possidendi, fere est ut Genuenses maris Ligustici dominos Noster renunciet. Verum cum ex idoneis autoribus intellexerit, habere eos triremes, sed domi, non in Ligustico, cætera eas non armare, nisi e republica esse videatur, mare a vicinis Afris purgare, vel si quid his est simile; hinc vere-

tur idem, ut remiserit possidendi accuratio, & Genuenses maris Ligustici dominio exciderint. Id magis expeditum videtur, Regem Galliæ injuria imperium in mari Mediterraneo sibi arrogare. In gratiam Gentis suæ seu Belgarum mentiri non vult Noster, sed iis tantum modestiæ esse ait, ut usu maris exteri & fructu contenti, nec dominium sibi adsciscant, nec aliis invideant, qui sola nominum superbia delectantur. Sententiæ igitur totius hæc est connexio: Oceanus, qua patet, totus imperio subjici non potest, pars potest, possunt & maria mediterranea, quotquot sunt, omnia. Nulla tamen pars Oceani, neque ullum mare mediterraneum ditione alicujus Principis tenetur, nisi qua in continentis est imperio. Est mare liberum, quod non possidetur, vel universum possideri nequit; erit tamen clausum, si post justam occupationem in fatis sit, ut possessione non interrupta teneatur. Post hæc nonnulla testimonia, quibus maris dominium adfirmatur, nec non exempla quædam Gentium, quæ maris potitæ esse perhibentur, adducit clarissimus Autor, ac quousque illa ex hypothesibus suis admittat, amplius edisserit. Inde Grotium, mare liberum, i. e. natura sua dominii expers, pronunciantem refellit, ac Juris Romani auctores (quorum memoria Nostro semper fuit eritque, donec ipse erit, sancta, secus ac Welwodo ac Seldeno, iisdem ignorantiam juris naturalis, vel oscitantiam quandam imputantibus, visum est) non eo sensu maris communionem asseruisse ostendit, ac si mare omnino non possit fieri proprium, sed quod, illorum ævo, maxima sui parte occupatum possessumve non fuerit, imo forte nulla, si exterum spectes.

D. CHRISTOPHORI HELVICI ELENCHI Judaici. M. ANTONII PROBI Oratio de Monarchia regni Israelis. RAPHAELIS EGLINI, Iconii Tigurini, Captivitatis Babylonicæ Historia. Cum THOMÆ CRENII præfatione, notis & indice.

Lugd. Batav. apud Abrahamum de Swart, 1702, 8.

Alphab. 1. pl. 12.

CUm a prudentiorum nonnullis rogaretur Clarissimus Crenius, ut in utilitatem Christianæ religionis, studiosorumque sacræ Theo-

Theologiæ, Christophori Helvici Elenchos Judaicos denuo ederet, tantum abest, ut ipsorum honestissimis refragari voluerit desideriis, ut potius, pro indefessa sua, quam in opuscula Theologorum Lutheranorum ab interitu vindicanda impendit, diligentia, abunde etiam iisdem satisfecerit, additis tractatibus duobus aliis, quos huc non male quadrare existimavit. Posteaquam enim Elenchos Helvici Judaicos e Disputationum Giessensium tomo quarto & quinto repetiit, Antonii Probi, Pastoris quondam Islebiensis, de Monarchia Israëlis Orationem, quam veluti nec humilem, nec abjectam, nec nimis altam & exaggeratam, plenam tamen gravitatis, concinnam & distinctam laudat, juxta primam illius editionem Islebii A. 1586 curatam subnectit, librumque claudit Disputatione, ut vocat, bene cocta Raphaëlis Eglini, Iconio Tigurini, Marpurgensis Theologi, de Historia captivitatis Babylonicæ, habita A. 1607. Nec omissurum se fuisse dicit Edonis Hilderici Frisii Orationem de Politia & Hierarchia populi Judaici, itemque Clarissimi Christophori Cellarii dicta de captivitate Dissertationem, nisi utraque se destitui cognovisset. Præfationem interea prolixam satis, sed & admodum eruditam, tribus his opusculis præmisit, in qua id imprimis agit, ut scripta eorum largo numero recenseat, qui Gentilium & Judæorum maxime conversionem promovere intenderunt. In notis autem, quæ solis fere Elenchis Helvici subjiciuntur, nonnulla de adventu Messiæ, p. 30. & an Jesus noster Nazarenus verus sit Messias? p. 35, de Pseudo-Messiis p. 34, de sex millenariis annorum mundi p. 33, de Judæis, an inter Christianos tolerandis? p. 194, de usuris eorum, p. 218. & similibus hinc inde disserit.

CLARISSIMORUM VIRORUM AD GEORGIUM CASPARUM KIRCHMAIERUM Epistolæ, quæ supersunt, cum ejusdem Epistolis nonnullis ac Poëmatibus, ex Museo GEORGII GUILIELMI KIRCHMAIERI, G. C. Fil. Græc. Lit. Prof. Publ.

Wittebergæ, apud Christ. Theoph. Ludovici, 1703. in 8. plag. 19.

Quamvis plurimi fortassis epistolas suas ad amicos familiariter scriptas, in scriniis possessorum abscondi perpetuisque tenebris sepeliri mallent, interest tamen Reipublicæ litterariæ, ut eæ imprimis, quæ eruditionis aliquam partem spectant, in lucem protrahantur. Quod probe secum perpendit Clarissimus Georgius Guilielmus Kirchmaierus, Parentisque adeo sui, venerandi olim Academiæ Wittebergensis Senioris, scrinia, quæ his talibus refertissima existimavit, sedulo excussit; quanquam, nescio quo fato, longe minorem, quam quidem speraverat, earum copiam repererit. Noluit tamen publico invidere, quicquid dignum clariori luce statuit; unde in præsenti sylloge non eas solum exhibet epistolas, quæ ad Parentem ipsius ab aliis, utpote Ismaële Bullialdo, Jo. Henr. Bœclero, Hermanno Conringio, Samuele Strykio, Georgio Hieronymo Welschio, Henr. Oldenburgio, Dan. Georgio Morhofio, Jo. Ludov. Hannemanno, Ottone de Guerike, Jo. Dan. Majore, Antonio Magliabechio, Jo. Hevelio, Gerardo Abbate Luccensi, Jo. Georg. Grævio, cæteris, perscriptæ sunt; sed istas etiam, quas ad hos aliosque vicissim ipse exaravit. Et istarum quidem 39, harum vero 22 numerantur. Nec est, ut rerum memoratu dignarum vacuas easdem quisquam statuat; quin messem potius sat uberem Lecturis pollicemur, e qua perexiguum heic exhibemus spicilegium. Pag. 2. Bullialdi de LXX Interpretibus mens, & p. 5 de sententia Erasmi Schmidii circa Sibyllas Bœcleri censura habetur. Pag. 9. Conringius remedium adversus malum hypochondriacum subministrat, idemque p. 11. Zieglero succenset, quod Grotio se valedixisse, testatus fuerit. Pag. 15. seqq. Welschii, Oldenburgii, Klengelii commendatitiæ de noctiluca constante Kirchmaieriana comparent. Pag. 33. Jo. Dan. Majoris ratio studendi sistitur. A p. 62 ad 67 duabus in epistolis Georgius Leonh. Modelius ad varias de Windshemio, urbe, quæstiones respondet. Pag. 76 s. Gerardi, Abbatis Luccensis, de Thasiorum quodam nummo sententia exponitur, & p. 81 s. idem de barba Caroli M. disserit. Pag. 84 de Hagestolziis per epistolam cum Kirchmaiero agit Tobias Eckhardus. Pag. 86. Frid. Ferd. Illmerus, Comes de Wartenberg, gratiam singularem, qua Imperator LEOPOLDUS Academiam Wittebergensem complectatur, multis verbis celebrat.

Inter

Inter eas vero, quas ad alios scripsit Kirchmaierus, præcipuæ sunt, quas de Cometis, & illo imprimis, qui A. 1680 illuxit, ad Wedelium, Weigelium, Volcamerum, Hevelium dedit; sed insuper, ne cæteras penitus intactas relinquamus, pag. 97. Bœclero de Landgraviis Thuringiæ sciscitanti respondet; p. 108 s. phænomena quædam magnetica in scenam producit; p. 114 de pyrophagis ad Jo. Dan. Majorem disserit; p. 116. Jo. Baptistæ Colverti laudes decantat; p. 129 s. Hevelium consolatur, ob ejus opera, organa, manuscripta, machinas & pretiosa alia, quæ ignis A. 1679 absumserat; p. 137 vitam suam recenset Henningo Wittenio, p. 144 s. ad epistolam superius memoratam de Thasiorum nummo provocat Abbatem Luccensem; p. 157 s. de conceptione hominis & de animæ propagatione, quæstiones varias proponit Frederico Ruyschio; p. 161 scriptorum abs se editorum & typis denuo exscribendorum catalogum Frid. Benedicto Carpzovio consecratum texit. Stipantur hæ epistolæ nonnullis Kirchmaieri poëmatibus, quæ pro varia occasione passim emergente, modo ad personas principes, modo ad viros eruditos, modo ad urbes resque alias direxit Autor. Sed & hæc appendicem peculiarem nacta sunt, Editoris nempe duo programmata, alterum de *φαντασίᾳ* Oratoris, alterumque de Sibyllinis Oraculis, ac duas dissertationes Mathematicas de Witteberga.

BURCARDI GOTTHELFFII STRUVII BIBLIOtheca Juris selecta, secundum ordinem litterarum disposita, atque ad singulas partes Juris directa. Accessit Selectissima Bibliotheca Juris.

Jenæ, apud Ernestum Claudium Bailliar, 1703, in 8.
Alph. 1. plag. 11.

INstitutum est Auctori Clariss. notitiam rei litterariæ secundum singulas disciplinas tradere, & cum inter has paratiorem ad prelum haberet Bibliothecam Juris, eandem præmittere voluit. Duodecim hæc capitibus absolvitur, in quorum primo agit de scriptoribus, qui vel bibliothecam, vel vitas JCtorum composuerunt; secundo de fontibus juris Civilis, Græci, Francici, Germanici & Novi;

tertio de commentariis ad diversos fontes juris; quarto de scriptoribus, qui historiam, ideas, systemata, vel controversias juris ediderunt; quinto de scriptoribus, qui integra opera juris, decisiones & consilia ediderunt; sexto de scriptoribus, qui regulas, logicas, antiquitates & lexica juris scripserunt; septimo de scriptoribus practicis; octavo de bibliotheca criminali; nono de bibliotheca feudali; decimo de bibliotheca juris canonici; undecimo de bibliotheca juris publici. Tandem capite duodecimo adnectit bibliothecam juris selectissimam, maxime juris studiosi. In quovis capite certas fecit sectiones, prout ordo rei litterariæ postulabat, ita ut primo semper exhibeat fontes cum commentariis, historiam, compendia, systemata, consilia & alia, prout se invicem sequuntur, uti ordinem dispositionis singulari indice expressit. Non autem ipsi propositum fuit, singulos libros exponere, sed prout titulus etiam præ se fert, selectiores solum. Et quidem inter hos ubique notat, qui præcipui, adjectis nonnunquam brevibus judiciis. Addidit in fine indicem tum dispositionis, tum auctorum alphabeticum, ut eo melius usui esse posset ipsius labor, atque in singulis accuratam rei litterariæ dispositionem exhibuit. Promittit etiam præcepta sua generalia rei litterariæ, quæ, uti percepimus, jam sub prelo sudant, & reliquas disciplinas eadem methodo exponere.

JO. HENRICI FEUSTKINGII, HISTORIA CLERO-GAMIÆ Evangelicæ, sive de primo Sacerdote marito Lutherano, Bartholomæo Bernardi, Schediasma.

Vitembergæ, apud Gottfridum Zimmermannum, 1703, 4.

Constat plag. 9. in 4.

Multi sunt, qui existimant, Carolostadium primum inter sacerdotes inivisse matrimonium, postquam Lutheri auspiciis perpurgari divinior doctrina ac luci suæ restitui cœpit. Hunc errorem ut ipsis eriperet maxime Reverendus *Feustkingius*, Doctor Theologus, Ecclesiæ Kembergensis Pastor, Templi Cathedra-

dralis Præpositus, & Diœceseos Antistes, separatim hac de re commentatus est, evicitque, non Carolostadio, sed *Bartholomæo Bernhardi* a *Feldkirchen*, qui nonnullis *Velcurio* appelletur, gloriam matrimonii, a sacerdote Lutherano tum primum initi, adserendam esse. Cujus proinde vitam copiose exponit, resque gestas eo studiosius enarrat, quo magis par esse censet, ut ejus memoria sancta & inviolata conservetur, qui sanctimonia & morum innocentia multis præstitit, & pro Ecclesia multum diligenterque curavit. Nostrum est, instituti summas commemorare, ductisque velut lineis efficere, ut de toto opere judicium ferri queat.

Natus *Bernhardi* est anno 1487 Feldkirchæ (non in loco quodam Austriaco, Slyns dicto, uti perperam existimet Seb. Münsterus) agri Suevo-Carinthiaci oppido, unde natales repetere Jodocum Morlinum, Jo. Dolstium seu Dolitium, Jo. Bernhardi Velcurionem, nostri fratrem, viros optimos & publicis docendi muneribus in Academia Vitembergensi functos, Auctor monet. Græcis Latinisque literis innutritus est Isenaci anno 1499, ubi tum Joannes Trebonius, Franciscanus, rectius paulo & exquisitius, quam ea ætate fieri consueverat, bonas literas tradebat. His excultus, divinæ humanæque sapientiæ studiis in Erfordiana Academia totum se dedit, istudque stadium alacriter decurrit, præmiis quoque, hoc est, summis Philosophiæ honoribus & *Baccalaurei Biblici* titulo, impetratis. Ast mox ampliorem laboris fructum tulit, quando Brandeburgi sacris initiatus *Hypodiaconi*, Halberstadii *Diaconi*, & Curiæ in Rhætia *Presbyteri* munia ingressus est. Utut vero posthac Vitembergam concedens, Physices Aristotelicæ professionem sustinuerit, a sacro tamen studio ita abduci non potuit, quin scholas aperiret, & disputandi provinciam crebro ac solerter administraret. Dignas inprimis, ut ex Lutheri tom. I. Lat. huc apponeret, judicavit positiones Feustkingius, quas de libero arbitrio ac voluntate hominis sine gratia, præside Martino Luthero, anno 1516 exquirendas proposuit, & egregie defendit. Quod eo spectare monet, ut intelligatur, ab ista disputatione perpurgatæ religionis initium arcessendum esse. Cum ergo doctrina æque atque pietate maxime floreret, & inprimis Luthero contra Tezelium

zelium diligenter adesset, factum est, ut Henrico de List, Præposito Kembergensi, A. 1518 fatis functo surrogaretur. Accurate hac occasione tum de Kemberga uno lapide Vitemberga distante, nec non de Præpositi titulo, tum vero & de Christophoro de List, Canonico Misenensi anno 1506 mortuo, Henrici jam memorati fratre disputat, ut planum apertumque sit, eum ad hanc rem persequendam idonea præsidia attulisse. Inde ad Velcurionis matrimonium explicandum accedit, doletque, nec nomen, nec genus illius, quam thori sociam delegit, ullibi exprimi. Nuptias celebratas dicit anno 1521, eo mensis die, qui in fastis divo Bartholomæo sacer est, & quem ideo *diem liberationis Pastorum* læto erectoque animo majores vocaverint. Hoc ipso vero, quod tum Wartburgi delituerit Lutherus, rerum, quæ Kembergæ gerebantur, ignarus, labefactari ac dirui illorum sententiam, qui Lutheri ausu & instinctu confecta hæc ajunt & temere pronunciant. Parum cæteroquin abfuit, quin ista res Velcurionem in discrimen adduxisset, Alberto inprimis Magdeburgensi & Halberstadiensi Præsule conjugium improbante, & ut Halam veniens instituti causas exponeret, serio poscente. Sed isti obtulit apologiam (quæ Tomo II Luther. Jen. Lat. reperitur, & a Melanchthone consignata dicitur, cujus etiam exemplar Mstum in Bibliotheca nostra Paulina extat) & præterea supplicibus ad Fridricum Saxoniæ Electorem literis perscriptis, facti rationes reddidit. His enarratis, confutatisque, qui Clerogamiæ Lutheranæ initia a Carolostadio repetunt, Jo. Cochlæo, Stapletono, Maimburgio ac cæteris, reliquum vitæ Bernhardinæ cursum explanat, & quam charus Melanchthoni, Camerario aliisque doctis ac præclaris ejus ætatis viris extiterit, recenset. Inter mala, cum quibus ipsi confligendum fuit, prætereundum hoc non est, quod a militibus Hispanis, Saxoniam vastantibus, in museo suspensus, sed auspicato ab uxore liberatus fuerit. Obiit venerabilis Senex Kembergæ anno 1551.

* * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno M DCC III.

Preußische Krönungs-Geschicht/ oder Verlauff der Ceremonien/ mit welchen der Allerdurchl. Großmächtigste Fürst und Herr/ Herr Friedrich der dritte/ Marggraff und Churfürst zu Brandenburg/ die Königl. Würde des von ihm gestiffteten Königreichs Preussen angenommen/ :c.

Hoc eſt:

ACTA CORONATIONIS BORUSSICÆ, SIVE Deſcriptio Ceremoniarum, quibus Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, D. FRIDERICUS III, Marchio & Elector Brandenburgicus, Regalem Dignitatem Regni Boruſſici a ſe conſtituti adſumpſit, & ſe atque Conjugem Sereniſſimam, SOPHIAM CHARLOTTAM, Electorali Brunſuicenſi Domo ortam, Unctionis ritu Regem & Reginam conſecrari voluit.

Coloniæ ad Spreeam, 1702. fol.
Conſtant 2 Alphab. 13. plag.

QUod multis ſeculis nemo mortalium viderat, eo Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps Elector Brandenburgicus FRIDERICUS III novum ſeculum mirifice ac ſplendidiſſime auſpicatus eſt, novo Regno in Boruſſia conſtituto, cujus ipſemet ſe Regem, idemque Conjugem Sereniſſimam Reginam, nemine quidquam conferente, tantum adnuente Deo, creavit. Multæ prodierunt

augustæ hujus Inaugurationis Descriptiones, sed nulla plenior, neque verior hac ipsa, quam exhibemus, quia, qui collegit atque composuit, Vir Nobilissimus JOANNES a BESSER, Serenissimi Regis Borussiæ Consiliarius ac Supremus Magister Ceremoniarum, non ab aliis audivit, sed vidit, interfuit, & Regis jussu egit ac ordinavit: & quia elegantissimis studiis imbutus est, more suo, id est scite ac eleganter consignavit omnia. Præfatione ad Potentissimum Regem, sub qua ipse nomen suum, ut de Autore constet, subnotavit, rei admirabilitatem prædicat, novæ prorsus post Portugalliæ Siciliæque Regna, ante sexcentos circiter annos constituta. Neque enim inde usque ulla provincia seu principatus in Regni evecta sublimitatem est, nisi Hibernia, quæ vero non novum Regem accepit, sed quem olim Regem suum respectu Angliæ, etiam Majores ejus, venerata fuerat. Et illud dignum admiratione fuit, quod sine ullius injuria, sine bello, sola virtute Regis & inde manante existimatione, quam apud magnos Principes meruerat, Borussiam suam Regnum fecit, & se illius Regem. Ritus autem & ceremoniæ plane singulares fuerunt, ab ipso Rege sapientissimo ordinatæ ac dispositæ. Hæc in præfatione. Opus ipsum Nobilissimus Autor orditur a caussa, qua factum fuerit, ut Borussiæ tanta fortuna & dignitas accresceret, quam virtutem FRIDERICI WILHELMI dicit, summi Herois Brandenburgici, qui primus nexum illum, quo Ducatus Borussiæ Poloniæ Regno obligatus erat, dissolverit. Addit de vaticiniis quibusdam, JOACHIMI I Electoris Brandeburgici, qui ex astrorum significatione prædixerit, aliquando fore, ut Domus sua in culmen Regium evehatur: & Bœdeckeri, Pomerani poetæ, qui A. 1657, quum Regiomonti Serenissimus FRIDERICUS nasceretur, hos versus de ipso scripsit, & A. 1692 ad Eundem dato carmine repetiit:

Nascitur in Regis Fridericus Monte. quid illud?
Prædicunt Musæ: REX Fridericus erit.

Narrationis autem initium sumit Autor ab itinere, ex Marchia in Borussiam exeunte seculo, id est mense Decembri 1700, suscepto, ut ineunte novo anno atque seculo novum decus, idque summum ac vere Regium, temporibus adderetur. Dilata autem Coronatio apparatus caussa est in XVIII Januarii, qui cum appropinquaret, triduo ante sive die XV, voce præconis, præeunte æneatorum

XXIV

XXIV & tympaniſtarum equeſtrium choro, & ſplendidiſſimo quoque Aulicorum comitante, inſtans auguſta ſolennitas per civitatem Regiomontanam publice fuit edicta. Sequenti die novus Ordo Equitum, a nigra ſeu Boruſſica Aquila nomen habiturus, inſtitutus eſt, in eumque lecti Filius Regis, Regni Heres; deinde tres Fratres Regis, Dux Curlandiæ, Dux Holſatiæ, & multi Comites, aliique ſummi Aulæ Miniſtri Regiæ. Cancellarius autem Ordinis, Comes de Wartenberg, Supremus Camerarius Regis, creatus eſt.

Cum illuxiſſet dies XVIII, qui inaugurationi Regiæ deſtinatus erat, Rexque & Regina veſtimentis Regiis induti eſſent, Rex ſibi ipſe Coronam impoſuit, ipſeque Sceptrum ſumſit, quia nemini, præter Deum, accepta illa refert: Reginæ autem Rex Coronam impoſuit. Et hæc intra Arcem facta, antequam in Templum prodiretur. Proceſſum dein hora X fuit ad Templum Arci conjunctum, per viam panno rufo contectam. Ordo autem deductionis in Templum talis fuit:

Poſt duos caduceatores, coronatis caduceis & pictis veſtimentis ornatos, ac duodecim æneatores cum tympaniſta, antecurſores Regii, & adoleſcentes nobiles, Regi apparentes, ibant: dein Collegia Miniſtrorum varia ad ſummum usque, ſeu Intimorum Status Regii Conſiliariorum, ex quo præſentes erant Illuſtrisſimi Domini de Fuchs & de Schmettau. Poſt hos iterum duo caduceatores, tympaniſta & duodecim æneatores: dein duo Marſchalli cum ſcipionibus, in quorum apice Aquila, inſigne Regni, effigiata erat: ſequebatur Cancellarius Creutz Sigillum Regni portans: poſt quem pari dignitate Miniſter (Land-Hofmeiſter) geſtans Regni Pomum: tandem Burggravius Supremus tenens Gladium Regalem. Tum incedebat Sereniſſimus Princeps Juventutis, Heres Regni, & poſt eum ſiniſtrorſus Gubernator ejus, Comes de Dohna. Nunc, qui omnium oculos & reverentiam in ſe convertit, ipſe REX Boruſſiæ FRIDERICUS, Coronam capite geſtans, Sceptrum tenens manu, gradiens ſub umbraculo coccinei coloris holoſerico, quod a decem nobiliſſimis Proceribus portabatur. Syrma purpuræ ſive pallii Regalis pone Regem Miniſter primarius Comes de Wartenberg cum duobus Comitibus Cubicula-

culariis manu sustinebant, ne longitudine traheretur. Proximus ibat Præfectus militiæ Regni, Comes de Barfus: & a lateribus umbraculi (quod Cœlum a similitudine vocant) retrorsum tamen, Corporis custodes, inter quos medius Comes de Dohna a Reichertswalde Vexillum Regni gerens, cui ejusdem insignia intexta erant.

Regina sequebatur cum comitatu suo. Præibat Dux Holsatiæ Fridericus Ludovicus, Generalis Præfectus militiæ equestris: ipsa Regina sub pari umbraculo coronata, & utrimque a Marchionibus, Fratribus Regis, ducta processit: Aulæ Magister ejus ad sinistram ibat: Dux Holsata & ambæ Magistræ Aulicæ Regalis pallii gerebant syrma: alius autem, nobilis genere, Holsatæ Principis syrma excipiebat. Utrimque Corporis custodes succedebant, & post eos Princeps Virgo Holsata, ducta ab Reginæ Cubiculario de Gromkau. Tum reliquæ ex Gynæceo Reginæ, & nobiles fœminæ civitatis Regiomontanæ.

Ad Unctionis sacratissimum actum Rex duos ex primariis suis Theologis, tanquam Episcopos elegerat, Ursinum, Berolinensem Aulæ Antistitem, & Sandenium, Regiomontanum. Hi in atrio Templi, cum sex aliis Ecclesiæ Ministris, tribus Reformatis & totidem Lutheranis, Regem & Reginam intrantes faustis vocibus, præeunte Ursino, exceperunt: inde Rex & Regina quisque Thronum suum occupaverunt. A sacris initium factum, & cantatis hymnis Antistes alter preces recitavit huic actui accommodatas. Deinde, interjecto alio hymno, Ursinus pro concione interpretatus est Dei verba ex 1 Sam. II. 30: *Qui me honorat, eum ego quoque honorabo.* Post sacrum hunc sermonem, & cantatum hymnum *Veni Sancte Spiritus*, Rex de Throno inter clangorem tubarum & tympanorum cum comitatu suo ad aram processit, ante quam scabellum stragulis contectum erat, in quod, positis corona & sceptro, genibus procubuit, & a consecratore Ursino ex balsami pyxide, quam Regis jussu Comes de Wartenberg ei obtulerat, in forma circuli sive coronæ in fronte unctus est, etiam in utraque manu ad pulsum arteriarum, precante & optante eodem Consecratore, ut cujus hoc symbolum & figura sit, Deus Spiritu Sancto ungat & corroboret Regis Majestatem. Cum Supremus Camerarius, Comes de Wartenberg, sub-

ſubtili linteo unguentum deterſiſſet, Rex reſumptis corona & ſceptro, cum ſuis ad Thronum regreſſus eſt. Deinde ad aram Regina cum comitatu ſuo acceſſit, & pari ritu a Conſecratore Epiſcopo inuncta eſt, præterquam quod coronam, quia adligata erat, non depoſuit, nec unguentum Camerarius Supremus, ſed Dux Holſata deterſit, quæ linteolum Conſecratori dedit, hic pyxidem unguenti Summo Camerario de Wartenberg. Regina quoque ad Thronum ſuum reducta, Conſecrator ad aram perſiſtens publice gratulatus eſt: deinde ad utrumque Thronum, comitantibus cæteris Sacerdotibus, qui juxta altare ad latus utrumque ſteterant, & Regi & Reginæ fauſta precatus eſt; indeque ad populum converſus, alta voce dixit: *Timete Deum, honorate Regem & Reginam;* & quæ aliæ precandi hortandique fuerunt formulæ.

Finitis ſacris hymnoque Ambroſii & Auguſtini, & inter canendum tormentis circumquaque exploſis, Supremus Burggravius veniam publicam & captivorum liberationem, gladio, quem manu erectum tenuerat, in ſignum Regiæ clementiæ demiſſo, ex literis recitavit: a qua venia autem Majeſtatis divinæ ac humanæ violatores, deinde voluntarii homicidæ, tandem ob debita ſeu æs alienum in vincula conjecti, excludebantur.

Tum ex Templo in Arcem eodem ordine, quo ingreſſio facta erat, redibatur: & novi nummi, quibus ſacrum caput Regis expreſſum eſt laureatum, cum nomine FRIDERICUS REX; & altera facie Corona, cui ſuperſcriptum, PRIMA MEÆ GENTIS; novi inquimus, tum nummi tam copioſe in populum ejecti ſunt, ut ſinguli homines quidam vicenos ac plures etiam exceperint, & pannus, quo via Regalis conſtrata erat, populo ad diripiendum, etiam inter epulas Regias bos aſſus ad diſcerpendum permiſſus eſt, & vinum duobus tubis publice diffuſum. Interea convivium Regale apparatum fuit, in quo Rex & Regina ſederunt Coronam in capite & omnem Regium ornatum retinentes, niſi quod Sceptrum Ille Cubiculario Comiti de Dohna poſt ſe tenendum tradiderat. Regalis ubique magnificentia, miniſtrantibus Cubiculariis Comitibus. Regi prægustavit Comes de Wartenberg: Reginæ Princeps Holſata. Adſederunt Filius, Heres Regni: & Regis Fratres, & Soror Curlandia cum Filio. Ad unumquemque potum Regis & Reginæ

novem tormenta majora: ad Filii, sex; ad cæterorum Principum, tria explodebantur. Mensa sublata, & Rege, Regina, & convivis, unoquoque in suum conclave, digressis, & insignibus Regni apud Regem depositis; qui ministraverant Proceres, laute quoque ac Regie sunt epulati.

Nox ingruerat, tegens cætera nostri Orbis: Borussiæ & Brandenburgicæ urbes lucebant, & inter accensa lumina pulcherrimas figuras & elegantissimas inscriptiones, Regis sui & Reginæ honori dicatas, ostentabant.

Die insequenti Ordines Regni gratulationis caussa Regem mane adierunt: post meridiem Regum Principumque Legati. Biduo post venationum spectacula edebantur; & cum invesperasset, studiosi Juvenes Academiæ concentu musico Regem suum venerati sunt: interjecto die Senatus Academicus Panegyrico, quem Eloquentiæ Professor Schreiberus dixit, officium Regi subjectissime fecit; qui cum ad Collegium cum Filio & Fratribus & Primoribus Aulæ venisset, ab Rectore & Collegis oratione brevi exceptus; atque ita etiam, cum finita panegyri egrederetur Collegio, dimissus brevi sermone est. Sequentis diei vespera sera, seu nocte potius jam illapsa, ludi pyrobolici miræ artis edebantur: & XXX Januarii die, qui sacer erat & Dominicus, in Templo Palatino D. Sandenius quasi colophonem solennitatibus, ab Unctione adhuc continuatis, sancto sermone, præsentibus Rege & Regina & universa Aula, imposuit. Reliquum tempus Legatis mittendis & audiendis datum, & Regno undique de iis, quæ incolumitatem ejus præstent, est prospectum. Nunc reditus in Marchiam indictus erat, cum tres civitates, e quibus Regiomontum constat, transitoriis molibus construendis, per quas Regem dimitterent, impense operam dederunt. Diversa harum figura erat; prima instar Pyramidis: altera Honoris templum referebat: tertia Arcum triumphalem. Et quod per omnes transitus patebat, communi nomine *Honoris Portæ* sunt appellatæ. Exitus ex urbe illustris fuit & magnificus. Magnus comitatus, qui præibat, oppidanus: Aulici ordinatim sequebantur: Rex equo Hispanico excedebat; Regina curru vecta octojugi: plateæ, per quas exibatur, splendidissime erant ornatæ, & tormentorum tonitru omnia personabant. Itum per Dantiscum, cujus

cujus civitatis Senatus misit, qui obviam Regi salutandi caussa venirent: etiam, qui egressum urbe honorifice prosequerentur. Berolinensium autem apparatus omnium fuit illustrissimus, tam multitudine Portarum Honoris, quas vocant, (septem enim fuerunt) quam nocturnis illuminationibus & pyrobolico spectaculo; quæ cuncta Nobilissimus Autor cum emblematis suis & inscriptionibus in Appendice, quasi altera parte, copiosissime descripsit. Tandem Teutonica Carmina, ingenii sui monumenta, quæ perennius durabunt, quam cuncta cætera, adjecit. Nihil enim aptius inveniri in hoc Regio argumento, nihil exprimi verbis concinnioribus potest: ut vel solo hoc specimine, & si nulla ejus exstarent alia, satis probatum dederit, in Germaniæ Poetis paucos cum illo comparari posse, anteferri forte neminem. Cæterum hæc tantum præmissa sunt minori forma & editione: eadem, sed splendidiora, & in augusta charta, atque plurimis figuris æri incisis illustrata, quamprimum absolverint artifices, subsequentur.

HENRICI VAGEDES, DUM VIVERET, HISTOR. ac Eloquentiæ Professoris in Academia Hasso-Schaumburgica, quæ est Rintelii, OPERA ACADEMICA.

Francof. & Rintelii, apud Forsterum & Enaxium, 1703, in 4. Alphab. 2. plag. 5.

BEne mereri cupiens Clarissimus Philippus Ludovicus Pastoir de Manibus sui in Historiarum atque Eloquentiæ Professione in Academia Rinteliensi antecessoris, Henrici Vagedes, ingenii ejus doctrinæque monumenta, sparsim antea vulgata, in unum colligenda corpus existimavit, atque adeo Dissertationes, Orationes item & Programmata, quæ ipsum autorem agnoscunt, ab interitu vindicavit. Dissertationes igitur comparent undecim, interque eas prima cathedram Petri considerat, & quibus artibus a Paulo IV festum ei sacrum introductum fuerit, exponit. Secunda propagationem linguæ Romanæ, dominationis profanæ sacræque arcanum fuisse probat. Tertia in causas factæ a Paulo III translationis Synodi e Tridentina in Bononiensem urbem inquirit, & igna-

gnarone hujus consilii Pontifice, an conscio, eadem contigerit, explanat. Quarta de spiritu bullari & bulgari concilii Tridentini agit, & unius curiæ Romanæ arbitrio rem omnem ibi actam fuisse ostendit. Qua quidem dissertatione celeberrimus Tigurinorum Theologus, Jo. Heinr. Heideggerus, tantopere delectatus est, ut imperare sibi nequiverit, quin eam suo Concilii Tridentini Tumulo præfigeret. Quinta depositionem Childerici, e stirpe Clodovæi Francorum Regis ultimi, considerat. Sexta ludibria Aulæ Romanæ in translatione Imperii Romani observanda pandit. Septima periodum regni Austrasiæ seu Lotharingiæ, hujusque ortum, progressum, incrementa, mutationes, Germanorum Gallorumque de eo certamina, ac tandem occasum dilucidat. Octava ad Cap. 40. Lib. IV. Annal. Corn. Taciti de reputatione disserit. Nona quæstionum Philosophico-Historicarum Decadem exhibet, ubi inter alia exploditur vulgata de origine septem Electorum opinio, quæ istam Gregorio V. & Ottoni III. attribuat, quin potius credibile esse Autor statuit, quod sensim ille numerus irrepserit; quis priscis temporibus fuerit Canonicorum status? disquiritur; modum in distributione S. Cœnæ olim apud Germanos teneri solitum, magnopere ab hodierno ritu discrepare innuitur, ut reliqua taceamus. Ejusdem instituti sunt sequentes isthanc duæ dissertationes ultimæ, in quibus v. g. virgula mercurialis approbatur: assertio, quod Lutherus ex incubo natus fuerit, inter fabulas rejicitur; a Franciæ & Angliæ Regibus strumas ex phantasia potius & imaginatione ægrorum, quam ex vi quadam peculiari istis concessa curari, perhibetur; dari genus hominum, quod oculos aliaque sensuum instrumenta in pectore gestet, omnino negatur; sudarium S. Veronicæ & Sabaudica corporis Christi sindon reliquiis fictitiis annumerantur; puerorum quoque Hamelensium exitus, & annuus in nocte Calendarum Maji strigum conventus, anilibus nugis accensetur; origo formulæ loquendi, Ich will dich schlagen / du solt Jodut ruffen / statuarum item Rulandi in nonnullis Saxoniæ urbibus, Ordinisque aureæ periscelidis, indagatur, & quæ sunt alia. Orationum binarius est numerus, earundemque altera Panegyrica est Serenissimo Hassorum Principi, Carolo I dicta, cum is A. 1677 imperii curam a Se-

a Sereniſſima Matre ad ſe devolutam ſuſciperet; altera funebris in obitum Dav. Peſtelii, Profeſſoris Juris Primarii, recitata. Programmata ſex maximam partem habendas a ſtudioſis Juvenibus orationes intimant, & pauca pro inſtituti ratione præfantur. Singula hæc bona fide exhibuit Editor, nec quicquam faciei priſtinæ detraxit aut addidit, niſi quod ſummaria Diſputationum commodiori loco, ac in exemplis ſeorſim editis factum antea fuerat, collocarit, & pauca quædam ἁμαρτήματα μνημωνικὰ ſuſtulerit. Addidit vero ſuam de cura Principum aliorumque Magiſtratuum Chriſtianorum circa oppreſſos fidei ſuæ conſanguineos diſſertationem, in qua poſt vetera exempla, Friderici imprimis Tertii, Boruſſiæ Regis, & Caroli, Haſſiæ Landgravii, prona in exules Reformatos gratia plurimum celebratur.

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI DE LUMbrico Terreſtri Schediasma variis Memorabilibus, Curioſitatibus & Obſervationibus illuſtratum.

Francofurti & Lipſiæ, impenſis Joh. Chriſtoph. Stöſſelii, 1703. in 8. plag. 14.

QUoniam juxta Stagiritam *viliorum animalium diſputationem propenſionemque faſtidio quodam puerili ſpreviſſe, moleſteque tuliſſe, dignum nequaquam eſt, cum nulla res ſit naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur*; placuit Clariſſimo Paullino, poſt induſtria variorum ſimplicium tam ex vegetabili quam animali regno petitorum examina, horis ſubciſivis lumbricum terreſtrem curioſius contemplari, arcanaque ejus accuratius rimari. Hinc methodo ſibi ſolenni, in theoreticam & practicam partem tractatum hunc diſpeſcit; in illa nomen, definitionem, vires & præparata lumbrici, in hac uſum ejus ſpecialem in triplici corporis regione & affectibus aliquot externis evolvens. Definit igitur lumbricum per animalculum ſanguineum, frigidum, reptile, oblongo & rotundo corpore, ſexuque diſtinctum; cujus definitionis verba ſingula fuſius examinat. Præ reliquis Caſpari Hoffmanni ſententiæ, qua interſtitia illa copioſa, quibus lumbrici corpus interdiſtinguitur, medullæ adeoque cordis loco habet, ſubſcribere

Xx vere-

veretur, cum annularia ista discrimina, quæ elatiora & colore candidiore conspicua corpus ambiunt, absolute in omnibus individuis non reperiantur. Multo minus Stephano Blancardo assentit, qui vermes hosce, ut amphisbænæ quandam speciem, antrorsum retrorsumque repere, & alteram partem post se trahere putavit: cum enim in horto, subsecuta pluviam serena tempestate, vermis e terra egrediens nihil cibi reperiret, parte illa, quæ prius posterior progrediendi ordine fuerat, iterum in alium locum terræ introitum sibi aperuit; ex quo colligit, partem posteriorem, quæ antea caudæ loco fuerit, jam pro capite ei inserviisse. Exinde tamen nihil probari, contendit Noster, siquidem & canceri caudæ beneficio, præsertim in aqua, non segnius retrorsum ingrediuntur, quam juxta capitis positum alias antrorsum progrediuntur; quin ad manifestam structuræ diversitatem inter utramque lumbrici terrestris extremitatem provocat. Virtutes Medicas dum recenset vermium istorum, vim diaphoreticam, diureticam & anodynam præ reliquis commendat; inter præparata vero 1. vinum, 2. decoctum, 3. aquam, 4. succum, 5. spiritum, 6. liquorem, 7. extractum, 8. essentiam, 9. oleum, 10. sal, 11. pulverem, & 12. caput mortuum commemorat & describit. Mittimus jam curiosas observationes per totum tractatum ex aliorum Medicorum scriptis adductas: sequentem addidisse sufficiet. Dederat Noster juveni XXVI annorum vomitorium, ut futurum naturæ conatum adjuvaret, monens. Hic intrusit minutam pennam anserinam, sed cum vespa forte prætervolans dextræ infigeret vulnusculum, hanc incautius retrahens, pennam digitis elapsam improvido deglutivit. Non vomuit quidem, verum quinquies alvum cum εὐφορίᾳ deposuit. Quarto abhinc die, mane urinam summo cum dolore guttatim excrevit, mox sufflaminato halitu membroque saliva sua illito, cum insigni strepitu profluxit eadem rubicunda, inque ea penna hæc anserina.

GEORGII BAGLIVI, MED. THEOR. IN ROM. Archilyc. Prof. Soc. Reg. Lond. Acad. Imp. Leop. &c. Socii, Specimen quatuor librorum de Fibra Motrice & Morbosa, cui annexæ sunt quatuor Dissertationes.

Ro-

Romæ, typis Jo. Franc. Buagni, 1702. Ultrajecti, apud Gu. vande Water, 1703. Basileæ apud Jo. Georg. König, 1703, 8. Plag. 19.

DUo fere præterlapsi sunt anni, cum *Antonii Pacchioni*, Medicinam Romæ profitentis, *Epistolam de novis circa solidorum ac fluidorum vim in viventibus, ac duræ Menyngu structuram & usum, observationibus*, ad D. Ludovicum Testi, Medicum Venetum datam, Actis insereremus; cum qua idem eodemque modo explicatum argumentum tractat præsens Specimen. In hoc enim conspectum solum exhibet Baglivus, æque ac ille in Epistola sua, eorum, quæ in tractatibus, quos sub manu habent, uberius enodanda venient. Scilicet postquam Noster multos veterum recentiorumque Medicorum libros lectitarat, ex ea tamen lectione parum se utilitatis collegisse adverterat, missis cæteris libris, totum Hippocratis se studio tradidit, aliquam bene medendi rationem inde assecuturus; & cum in Italiæ nosocomiis dictorum illius periculum faceret, non sine admiratione doctrinæ ejus veritatem, tanquam ex Tripode prodeuntem deprehendit. Cognovit nimirum, Hippocratem in morborum curationibus nihil magis præcipere quam balnea, frictiones, exercitationes, unctiones, ustiones, incisiones partium ad ossa, ablutiones, capitis purgationes per sternutatoria, ejusdem lotiones, vellicationes, succussiones, ac hujus generis remedia in solidas corporis humani partes agentia; unde eum ad solida magis, quam recentiores solent, respexisse hariolatus, semper solidum præcipue spectare, ejusque vim, & elaterem, & potestatem in fluida observare ad ejus imitationem cœpit; & postquam hac de re cum Viris magni nominis, multæque eruditionis (inter quos supra laudatum D. Pachionum commemorat) sermones sæpe numero fecerat, in hoc argumentum penitius inquirere sustinuit. Hujus autem Speciminis nunc suppeditare specimen, supervacaneum judicamus, cum mens ipsius ex jam dictis sat pateat. Ad Dissertationes potius huic Specimini annexas progrediemur, postquam commemoraverimus, Baglivum *de Febribus Mesentericis* opus novum, non e lectione librorum, sed ab observatione naturæ petitum, magno suo operi interspersurum esse, in quo has febres non testaceorum, antiacidorum, diluentium, & oleosorum usu vulgari, sed fomentis, bal-

neationibus, repetitis purgationibus, & demum educta cacochylia omni, sero lactis cichoreato vel destillato aliquo ex succis aperientibus, curari magis debere demonstrabit.

Dissertationes annexæ observationes continent & experimenta ad doctrinam de morbis solidorum maxime pertinentia. In *prima* de *anatome fibrarum*, *motu musculorum & morbis solidorum* agitur. Facta fibræ carneæ in debitis liquoribus maceratione, observavit ope microscopii, quamlibet earum ex plurimis ac pene infinitis aliis fibrillis, in fasciculum contractis ac parallelis, componi, quas aliæ sibi quoque mutuo parallelæ, & pares angulos cum utroque tendine constituentes, transversim intersecant, ad id potissimum factæ, ut carnearum rectarum nimiam in motu musculorum dilatationem impediant. A qua structura fibra membranacea in eo discrepat, quod etiamsi hæc itidem plura contineat filula, ista tamen magis sint subtilia, neque parallelo & recto ordine, sed irregulari, inæquali & frequenter veluti rescisso progrediantur, ut in arborum foliis, vel madida papyro microscopio conspicimus. Præcipua, si non tota vis motus, seu potentia movens musculos, in ipsis residet musculis, i.e. in peculiari fibrarum artificio, earumque cum sanguineo tomento proportionata mixtione & impulsu; spiritus vero influentes per nervos nil aliud, quam determinationem ad motum, mutationem globulorum sanguineorum inducendo præstant. Supponitur autem, quod, dato cordis sanguinisque continuo & nunquam cessante motu, fibræ carneæ majores earumque fibrillæ minimæ totidem sint vectes vel funiculi, quorum singula puncta super circulantis sanguinis guttulas, tanquam globulos solidos, veluti super totidem trochleas tracta & semicirculariter mota, superveniente spirituum determinatione, ad motum magnam vim in tendineis extremitatibus producant. At in mechanicis videmus, trochleas in absolvendis motibus fixo hærere principio, nec perenni impulsu hinc inde excurrere, ut sanguinis guttulæ per fibrarum spatia; igitur ut hoc vitetur absurdum, scytalarum ad instar moveri circa fibras, iisdemque suum impulsum continuo communicare creditur sanguis. Et quoniam globuli illi sanguinis velociter currunt, a cordis motu vehementissime impulsi, necesse est, ut fibrarum fila ad conta-
ctum

ctum globulorum currentium premantur, & undulando veluti crispentur: quæ crispatura cum maxime sensibilis fit in medio musculi, ubi sanguis velocius currit, sequitur inde, ut extrema fibrarum singularum versus medium contrahantur, breviora fiant, & apposita sublevent ossa. Quemadmodum igitur, ad motum musculorum recte peragendum, necessaria videtur esse 1.) determinata sanguinis quantitas in ejus fibris, ejusdemque determinata velocitas, 2) proportio debita motus & resistentiæ singulorum liquidorum, per canales suos currentium: ita horum alterum si turbetur, musculorum quoque motus inæqualis & turbatus orietur. Inter affectiones denique fibrarum maxime sensibiles tensio est & laxitas; & existimat Noster, multorum morborum causas veras, sed obscuras, difficiles & a Medicis minus diligenter quæsitas, in hoc solidorum vitiato tono, elatere, structura, mutatoque solidorum ad liquida, & liquidorum ad solida æquilibrio residere potius, quam in mille somniatis acidis, & mille fictis humorum moleculis, quas innovandi cacoëthes nostris temporibus adinvenit. Præ reliquis tamen pueri & senes cæteris ætatibus magis ad morbos observantur proclives, illi ob fibrarum laxitatem nimiam mollitiemque, hi ob extremam siccitatem, & ariditatem. Ex quibus deducit Noster, remedia ad vitam longam & revera dari, & talia dici debere, quæ in humano corpore elaterem cum rotis & rotas cum elatere mollia, laxa & facile flexilia conservare valent. Experimenta demum adducta eo redeunt, ut ratio patescat, qua salinæ particulæ in sanguine redundantes solidas partes varie labefactent, ex quarum varia constitutione chronicorum acutorumque morborum idea certior atque clarior poterit desumi.

Dissertatio II Observationes *circa salivam, ejusque naturam, usum & morbos* continet. Hæc ob insignes suas ac pene innumerabiles virtutes, quas in nobis fundendo, solvendo, abstergendo ac celeriter penetrando producit, primarium chylificationis menstruum pronuntiatur, morbosque epidemicos & contagiosos, ea mediante ab infecto aëre conspurcata, communicari creditur. Morbosam salivam, cum talis naturæ pancreatico vel aliarum glandularum succo junctam, febres lymphaticas lentas cum

aeri calore, circa vespertinas horas se exacerbante producere, docet Noster, quæ si male tractentur, facile in hecticas, in mesentericas occultas, difficiles & lethales, facile transeant. Hinc nunquam ab ægro discedant Medici, jubet, nisi prius linguam inspiciant, utpote quæ lymphæ sanguinisque statum certius, quam alia signa, nobis ostendat. Obiter hic notamus, quod Clarissimus Author ad corrigendam lymphæ acrimoniam, ejusdemque scorbuticam dissolutionem, nec non ad stomachum confortandum, & digestionem juvandam, magno uti se fateatur cum successu potione calida ex decoctione *Ligni Carabaccii*, quod ex Indiis delatum, caryophyllis similem saporem, sed valde temperatum ac plane gratissimum, colorem vero illi caphe vel cinamomi valde affinem habet. Cæteroquin saliva a sale nomen sumsisse dicitur, hocque sal non vulgaris esse naturæ, sed de universali participare, atque intensam rubedinem lucemque vitalem, in sanguinem mutandam & digerendam, in se continere.

Bilis, cujus observationes *Dissertatio III* exhibet, ex sale fixo & volatili, sulphure & phlegmate constat. Hinc in duodeno, ex Authoris mente, cum chylo subacido ac fere caseoso, acidoque pancreatis succo effervescit, cum eoque intime conjuncta in alcali volatile naturæ amicum abit, viscidiores partes scindit ac divellit, massam a putrefactione præservat, & fæces præcipitat. Hinc quando eadem quacunque ex causa ad intestina non descendit, rhabarbarum ante prandium masticare jubet Noster non sine euphoria. Morbos ejus dum commemorat, lentam febriculam puerorum, cum macie, siti, anorexia, pallore, tensione, doloreque hypochondriorum &c. oriri dicit ab amurcosa bile, acri, viscida, circa jecur vicinasque partes coacta & in motu impedita: hinc loco stomachicorum, aromaticorum & deobstruentium, remedia bilem diluendo temperantia, & per alvum subducentia, habita insimul solidorum crispatorum ratione, præscribit; quam medendi methodum similiter in ictero, ab inerti & viscida bile oriundo, observat. Et cum calculi ex sale acri muriatico sanguinis, & acido viscida mucagine primæ digestionis vitio facta concrescant, in vesica fellis facilius & levi de causa coguntur iidem, siquidem dicto sale summopere abundat bilis. Ex quibus


bus reddi posse rationem sibi persuadet Author, cur existentibus calculis in vesica fellea, germinent quoque tales in urinaria, & contra? item cur icterici calculosi sint, & calculo obnoxii ictero facile afficiantur? Vesicæ calculo laborantes cur pallidi, languidi, lassi, ac veluti ad motum impotentes sint, cum capitis affectibus quasi vertiginosis, ejusdemque debilitate, duas recenset causas. Primo, quia ob vehementissimum dolorem, centrum gravitatis fluidorum pene omnium inclinat ad inferas partes circa vesicam, in quibus stimulus potens, vis & crispatura solidorum summopere viget; qua ratione superiores partes corporis, humorum debito & æquilibrato cursu destitutæ, palleat, & ob id etiam universalis languor artus corripit; caputque vertigine ac debilitate vexatur. Secundo, dum bilis heterogeneis impurisque particulis abundat, inepta evadit, quæ chylum solvat, diluat, & sanguificationis rudimentis impregnet; quamobrem crudus indigestusque fit sanguis, pallorem inducens. Ex experimentis circa bilem factis, quorum magnam farraginem allegat, concludit 1) exiguam adesse aquæ portionem in bile; 2) bilis virtutem nil magis acuere vel augere, quam salia lixivialia plantarum, amarasque plantas; 3) bili nihil magis inimicum esse, quam acidum.

In ultima Dissertatione varia tractat argumenta, demonstrans, causam, quæ nos ad dormiendum cogit, non tantum in cerebro, sed maxime in solidis ac fluidis quærendam ac investigandam esse, quorum laxato tono torpor, membrorum concidentia, necessitas decumbendi in horizontali situ, & id genus alia contingunt, quæ somnum antecedunt, vel consequuntur: aëris molem, gravitatem ac circumpulsionem, causam universalem unicam esse, quæ viventia & vegetabilia ad illum sugendum, hauriendumque per proprias fistulas cogit: falsum esse, moveri primum in respiratione thoracem animalis, & vicinum aërem pellere, ut pulmones ingrediatur: aërem autem inspiratum ad nihil aliud inservire, quam ut sanguinem, per pulmones circulantem, elastica vi sua ibidem magis aucta & gravitate sua urgeat, propellat, dimoveat, & torpidum jam ac motui ineptum ad cordis fontem vivida circumpulsione perducat; imo ut hujus magni follis motibus tota fluidorum moles, solidorumque compages in vivida

velut

velut vibratione permaneat. Quod vero nonnulla animalia, licet aëre indigeant, sine ejus tamen usu commode vivant, a peculiari pulmonum mechanismo, & fluidorum ad eos proportione particulari, i. e. peculiari æquilibrio & resistentia pendere existimat, & curiosa testudinis anatome, quam subjungit, probat. Sic ubi de aëris gravitate locutus erat, problema solvit, cur flante borea & cœlo sereno, aër gravior sit, quam austro flante, & calida constitutione; dicens, id contingere, vel quia flante austro pars quædam crassi aëris in pluvias, aut nubes concrescit, quas halitus e terra sublati sustinent, & ita pondus minuunt; vel potius, quia boreali tempore aër fit densior, magisque compactus, propter vapores halitusque terræ cum eo mixtos, & in unum fere corpus concretos. Ideo flante borea asperior ac velut undulosus optico tubo, ob majorem gravitatem atmosphæræ, observatur aër, quam austro; montesque nivibus pleni eminus non ita distincte sereno cœlo cernuntur, ut solent nubilo. His accedit, quod aquilo dum spirat, ruit deorsum, & materiam infra cogit; contra auster rarefaciendo eandem supra attollit. Singulare est, quod a quopiam se accepisse refert Noster, Lunam videlicet, veluti dies critici solent, statutis determinatisque periodis in hæc inferiora influere, mutationesque temporum producere. Qua in re sic procedendum est: Post duas vel tres horas a facto novilunio, vide quæ temporis constitutio, qui venti tum regnent; & qualem constitutionem, qualesque ventos dictis horis observaveris, tales durabunt ad tertium diem Lunæ, ad dictam horam, qua factum est novilunium. Si tertio non mutetur, durabit ad quintum, circa dictam horam; si neque quinto, ad septimum, a 7 ad 9, a 9 ad 11, ab 11 ad 13, ab hoc ad 15, inde ad 17, hinc ad 19, a 19 ad 21, ab hoc ad 23, ab hoc ad 25, ab hoc ad 27 finem Lunaris periodi. Si quid circa mutationem ventorum, aut temporis, aut eorum durationem evenire debet, dictis diebus & ordine recensito eveniet, mutationesque majores ac magis sensibiles in quadraturis Lunæ futuræ sunt. *Quæ si certa sunt*, pergit Noster, *rationem periodorum regularium & ordinatarum in diebus criticis, pro imperscrutabili hactenus habitam, exploratam nunc habebimus, & fere patefactam.* Mittimus experimenta, quæ Clarissimus Author circa

TAB. IV. ad A. 1703. M. Augusti



circa sanguinem fecit: sufficit annotasse, cum ex illis probare, acida inimica esse sanguini, ipsiusque compagem immutare, contra vero alcalia non amica tantum, sed ejusdem naturæ fere affinia existere. Et cum duo sint in sanguine prima ac præcipua principia, acidum & urinosum, prout hoc vel illud in eo dominium obtinet, universam massam simili natura infici; sed acidum regnans authorem esse chronicorum, urinosum vero acutorum morborum.

J. HERMANNI DEMONSTRATIO GEMINÆ FORmulæ a Celeberrimo Dn. JOH. BERNOULLI, in Actis Erudit. Mens. Apr. A. 1701, pro multisectione anguli vel arcus circularis, sine demonstratione exhibitæ.

EGregiæ nimis, ac in universa Geometria perutiles Clarissimi Domini Bernoulli sunt æquationes binæ universales multisectionem anguli cujuslibet mirabili exhibentes facilitate, quam ut Geometræ ob circumseptas eis difficultates, ab earum demonstrationibus pervestigandis deterreri debeant. Si non aliunde, vel hoc saltem capite magni videntur faciendæ, quod justos *Oughtredi* & celeberrimi *Wallisii* de Sectionibus angularibus tractatus, quibus concinnandis non inutilem se locasse operam omnino eorum opinati sunt Auctores, compendiosa sua Universalitate quasi absorbeant. Haut ingratum igitur harum rerum intelligentibus existimavi futurum, si utriusque seriei infinitæ, quales laudatissimus Dn. Bernoulli citato in loco publicavit, demonstrationes ab aliquo jam tempore a me inventæ heic loci pariter comparerent. Quod ergo ut distincte fiat; centro G, radioque A G semicirculus describatur ACEF (Fig. I.), & detur arcus quilibet AB, cujus Chorda AB $=a$, Chorda complementi BF $=b$; Radius AG $=q$, Chorda arcus multipli AE $=x$, hujus Chordæ compl. $=y$. His ita positis, si BC $=$ AB, rectæque BC, AC & BG ductæ intelligantur, fient $\triangle\triangle$. ABC & BGF similia, ergo BG (q). BF (b) :: AB (a). AC $= \frac{ab}{q} =$ chordæ arcus dupli. Chorda AD arcus tripli ABCD invenietur ex consideratione TAB. IV. Fig. I.

Yy qua-

quadrilateri ABCD segmento ACD inscripti, notum enim eſt, BC in AD + AB in CD = AC in BD, hincque obtinebitur analytice $AD = \frac{abb}{qq} - a$ = Chordæ arcus tripli ipſius AB. Chorda arcus quadrupli, quæ eſt AE, hoc pariter modo elicietur, quia in quadrilatero ACDE AC in DE + CD in AE = AD in CE, inde colligitur eſſe $AE = \frac{ab^3}{q^3} - \frac{2ab}{q}$. & ita porro in infinitum. In primis autem id in hoc negotio notandum, ut talia aſſumantur quadrilatera, quorum alterutra ex diagonalibus dupli arcus chordæ ſemper æquetur; ſuper hoc enim principio ſequens facile conſtruetur Tabella,

a	Chorda arcus ſimplicis
$\frac{ab}{q}$	Chorda arc. dupli prioris
$\frac{ab^2}{qq} - a$	Chord. arc. tripli
$\frac{ab^3}{q^3} - \frac{2ab}{q}$ . . .	Chorda arcus quadrupli
$\frac{ab^4}{q^4} - \frac{3abb}{qq} + a$ . . .	Chord. arc. 5pli
$\frac{ab^5}{q^5} - \frac{4ab^3}{q^3} + \frac{3ab}{q}$	Ch. arc. 6pli
$\frac{ab^6}{q^6} - \frac{5ab^4}{q^4} + \frac{6abb}{qq} - a$	Ch. arc. 7pli
$\frac{ab^7}{q^7} - \frac{6ab^5}{q^5} + \frac{10ab^3}{q^3} - \frac{4ab}{q}$	Ch. a. 8pli

$\frac{ab^8}{q^8}$

$$\frac{ab^8}{q^8} - \frac{8ab^6}{q^6} + \frac{15ab^4}{q^4} - \frac{10abb}{qq} + a\text{; c. a. 9pli}$$

P	Q	R	S	T

in qua constantes hæ progressionis observantur Leges.

I. Signa + & — alternatim sese excipere.

II. Literam *a*, qua chorda arcus simplicis designatur, ad unicam tantum in singulis seriebus perpendicularibus P, Q, R, S, T, &c. assurgere dimensionem.

III. Coëfficientes seriei P constituere seriem æqualium h. e. ex meris unitatibus constantem, literamque *b* ad eam ibi potestatem elevari, cujus exponens sit numerus multipli arcus unitate minutus, cui ad modum fractionis subscripta litera *q* ad totidem dimensiones est perducta, adeoque ponendo indefinite literam *n* pro numero multipli arcus, fiet huic respondens seriei P, terminus $\frac{ab^{n-1}}{q^{n-1}}$.

IV. Quemlibet Coëfficientem Seriei verticalis Q, excerpi ex serie numerorum naturalium & binario semper a numero multipli arcus deficere, potestatem vero literæ *b*, duabus dimensionibus esse imminutam, hocque in seriebus R, S, T verticalibus ubique obtinere, ut dimensiones ibi binario decrescant; & adjecta tabula ostendit, literam *q* in denominatore semper tot præcise dimensiones habere, quot litera *b* in Numeratore, unde pro *n* multiplo arcus, seriei Q, membrum respondens erit $\frac{n\text{-}1ab^{n-3}}{q^{n-3}}$.

V. Seriei R coëfficientes sunt trigonales Numeri, quorum radices quaternario a respondentis multipli numero ubique deficiunt, adeoque terminus hujus seriei in Casu indefinitæ Sectionis angularis, erit $\frac{n\text{-}3.n\text{-}4ab^{n-5}}{1.2q^{n-5}}$.

VI. Coëfficientes seriei Verticalis S conficiunt numeros Pyramidales, quorum vero radices senario ipso arcus multipli respon-

 den-

dentis numero minores deprehenduntur, hujus ergo pro indefinita arcus multiplicatione debitus terminus erit $\frac{n-4.n-5.n-6ab^{n-7}}{1.2.3.q^{n-7}}$.

VII. Seriei perpendicularis T coëfficiens omnis est numerus triangulo-triangularis, cujus radix octonario a multipli arcus numero superatur, unde $\frac{n-5,n-6,n-7,n-8,ab^{n-9}}{1.2.3.4.q^{n-9}}$ respondebit indefinitæ Sectioni in Serie T, & ita deinceps. In genere ergo observandum erit, coëfficientes serierum P, Q, R, S, T &c; esse series numerorum figuratorum haud interrupto ordine se invicem excipientes, ita tamen comparatos, ut radix cujusvis coëfficientis binario magis a numero multipli arcus deficiat, quam respondentis termini radix vel latus seriei proxime eam antecedentis. Hoc igitur pacto pro indefinita multiplicatione arcus cujusvis hanc invenimus universalem Chordæ expressionem:

$$x = \frac{ab^{n-1}}{q^{n-1}} - \frac{n-2.1b^{n-3}}{1q^{n-3}} + \frac{n-3.n-4\,ab^{n-5}}{1.2q^{n-5}} - \frac{n-4.n-5.n-6\,ab^{n-7}}{1.2.3q^{n-7}} + \frac{n-5.n-6.n-7.n-8ab^{n-9}}{1.2.3.4q^{n-9}}$$

&c; vel ponendo q = 1;

$$x = ab^{n-1} - \frac{n-2ab^{n-3}}{1} + \frac{n-3.n-4ab^{n-5}}{1.2} - \frac{n-4.n-5.n-6ab^{n-7}}{1.2.3} + \frac{n-5.n-6.n-7.n-8ab^{n-9}}{1.2.3\ 4}$$

&c. Hæcque ipsissima prima Clarissimi Inventoris formula primo nobis erat demonstranda.

TAB. IV. Fig. 2. (Fig. 2.) Iisdem, quæ supra retentis symbolis excepta q, qua ipsa diameter Circuli designabitur, ductaque perpendiculari B G ad Chordam arcus dupli A C, fient △△ ABG & FAB similia, unde AF (q). BF (b) :: AB (a). AG $= \frac{ab}{q}$ unde 2 A G = AC

$= AC = \frac{2ab}{q} =$ chordæ arcus dupli. Sit porro AD chorda arcus tripli, ductaque $CK = CD$, fiet $AK = AB$, nam quia $CKD = CDK$ (propter arcus AC & BD quibus insistunt æquales) $= BAD$, & CK ipsi AB parallela, hancque ob causam $ACK = BAC = BCA$, atque adeo $AB = AK$. Et quia $AD = AH + (HD = HK)$, HK vero $= AH - (AB = AK)$ erit $AD = 2AH - AB$; propterque allatam modo rationem Si $DL = DE$, erit DL parallela ipsi AB, $AL = AC$ & $AE = 2AI - AC$ & ita deinceps. Quia ergo $\triangle\triangle$. ACH, ADI &c; & FAB similia sunt, erit

$FA (q).\ FB (b) :: AC \left(\frac{2ab}{q}\right).\ AH = \frac{2abb}{qq}$, adeoque $2AH -$

$AB = AD = \frac{3abb - a^3}{qq}$.

It. $FA (q).\ FB (b) :: AD \left(\frac{3abb - a^3}{qq}\right).\ AI = \frac{3ab^3 - a^3 b}{q^3}$, adeoque

$2AI - AC = AE = \frac{4ab^3 - 4a^3 b}{q^3}$. Hocque modo non difficulter inveniuntur chordæ arcuum quintupli, sextupli &c. sequenti laterculo exhibendæ.

Chordæ	Chordæ complementi	
a	b	arcus simplicis
$\frac{2ab}{q}$	$\frac{bb - aa}{q}$	arcus dupli
$\frac{3abb - a^3}{qq}$	$\frac{b^3 - 3aab}{qq}$	arcus tripli
$\frac{4ab^3 - 4a^3 b}{q^3}$	$\frac{b^4 - 6aabb + a^4}{q^3}$	arc. 4pli
$\frac{5ab^4 - 10a^3 bb + a^5}{q^4}$	$\frac{b^5 - 10aab^3 + 5a^4}{q^4}$	a. 5pli
$\frac{6ab^5 - 20a^3 b^3 + 6a^5}{q^5}$	$\frac{b^6 - 15aab^4 + 15a^4 b - a^6}{q^5}$	a. 6pl.
&c; &c;	&c; &c;	

A	B	C	D	E
1.	0	0	0	0
2.	1	0	0	0
3.	3	1	0	0
4.	6	4	1	0
5.	10	10	5	1
6.	15	20	15	6
n,	$\frac{n.n-1}{1.2}$,	$\frac{n.n-1.n-2}{1.2.3}$,	$\frac{n.n-1.n-2.n-3}{1.2.3.4}$,	$\frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4}{1.2.3.4.5}$

Chordæ complementorum hoc etiam in laterculo expressæ ita elici debent. Triangula CDH & AFC similia

sunt

Sunt, quia anguli CDA & CFA eidem arcui ABC inſiſtunt, angulique CHD (per conſtruct.) & ACF recti ſunt. Adeoque CD (a). HD ($= HA - AB = \frac{abb - a^3}{qq}$) :: AF (q). CF $= \frac{bb.aa}{q}$. Ob eandem rationem △△DIE & DAF ſimilia ſunt, eritque ideo DE (a). JE ($= AI - AC = \frac{ab^3 - 3a^3 b}{q^3}$) :: AF (q). DF $= \frac{b^3 - 3aab}{qq}$. Atque hujuſmodi chordæ complementi ſimili analyſi, quouſque placuerit, continuare licebit. Obſervatur iterum in adjecto laterculo conſtans progreſſionis Lex: Signa + & — ut ſupra alternatim etiam ponuntur. In formulis Chordarum illius verticalis ſeriei, ubi *a* unius dimenſionis, coëfficientes conficiunt ſeriem A numerorum naturalium, exponensque poteſtatis *b* eſt numerus multipli arcus unitate minutus. Sequens vero ſeries verticalis, ubi *a* ad tres aſſurgit dimenſiones, coëfficientes habet numeros pyramidales ſeriem C conſtituentes, poteſtas vero ipſius *b* binario decrevit. In tertia ſerie perpendiculari, ubi *a* ad quintam elata eſt dimenſionem, coëfficientes formant ſeriem E numerorum triangulo-Pyramidales dictorum, dimenſio vero ipſius *b* binario itidem minor eſt, quam in ſerie immediate antecedente. Patet igitur, ſingulorum terminorum coëfficientes excerpi ex ſeriebus numerorum figuratorum A, C, E, &c; non immediate, ut in præcedentibus, ſed per ſaltum intermediarum B, D &c ſe inſequentibus. Cætera ex inſpectione formularum attendenti manifeſta reddentur. In formulis pro chordis compl. id obſervare licet, literam *b* ad eam præciſe evectam eſſe poteſtatem, cujus index eſt numerus multipli arcus, in ſequentibus vero membris dimenſiones perinde ac in formulis chordarum, binario ſemper decreſcere, coëfficientesque ex ſeriebus B, D &c; excerpi in chordarum formulis præteritis. Indefinite igitur pro numero arcus multipli ponendo *n* ut ſupra, ei reſpondebit in ſerie figurata B quantitas $\frac{n.n-1}{1.2}$. In ſerie C, $\frac{n.n-1\ n-2}{1.2.3}$. In ſerie

D,

D, $\frac{n.n-1.n-2.n-3}{1.2.3.4}$. In ſerie E, $\frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4}{1.2.3.4.5}$ & ita in infinitum: ubi ſtatim patet, hujusmodi terminos coëfficientes eſſe binomii ad indefinitam poteſtatem n ſublati. Ex demonſtratis hactenus ſuperque iis factis obſervationibus colligere datum eſt, fore tum

$$x = \frac{nab^{n-1}}{q^{n-1}} - \frac{n.n-1.n-2\,a^3 b^{n-3}}{1.2.3\,q^{n-1}} + \frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4\,a^5 b^{n-5}}{1.2.3.4.5\,q^{n-5}}$$

$$- \frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4.n-5.n-6\,ab^{n-7}}{1.2.3.4.5.6\,q^{n-1}} \text{ \&c ; tum } y = \frac{b^n}{q^{n-1}}$$

$$- \frac{n.n-1\,aab^{n-2}}{1.2\,q^{n-1}} + \frac{n.n-1.n-2.n-3\,a^4 b^{n-4}}{1.2.3.4\,q^{n-1}} - \frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4.n-5\,a^6 b^{n-6}}{1.2.3.4.5.6\,q^{n-1}} \text{ \&c;}$$

Quod ſi $q = 1$, q^{n-1} unitati æquivalebit, alteraque emerget Clariſſimi Dn. Bernoulli formula, quam demonſtrandam itidem ſuſcepimus.

Cæterum ſciendum, etiam hanc poſteriorem formulam alterius cujusdam nobiliſſimi Problematis in ſe quoque complecti ſolutionem, nempe *ex dato arcu inveniendi ejus chordam*; quod ita ex noſtra formula deducitur. Arcus AB (in Fig. II) tantæ concipiendus eſt exilitatis, ut cum ſua chorda AB vel a plane confundatur; n vero adeo magnus, ut in arcum infinite parvum AB ductus producat arcum AE finitæ & determinatæ magnitudinis, qui vocetur f: h. e. $f = na$; & quia AB ad totum Semicirculum rationem habet infinite parvam, æquabitur b chorda complementi ad ſemicirculum ipſi diametro q, adeoque ponendo in utraque formula loco b, q & loco $n-1$, vel $n-2$, aut $n-3$ ſive $n-4$ &c; n quia numeri finiti infinito additi evaneſcunt. Erit

$$x = na - \frac{n^3 a^3}{1.2.3qq} + \frac{n^5 a^5}{1.2.3.4.5q^4} - \frac{n^7 a^7}{1.2.3.4.5.6.7q^6} \text{ \&c ;}$$

$$\text{vel } y = q - \frac{nnaa}{1.2.q} + \frac{n^4 a^4}{1.2.3.4q^3} - \frac{n^6 a^6}{1.2.3.4.5.6q^5} \text{ \&c ;}$$

Vel utrobique ſubſtituendo loco na ſuum valorem f;

$x =$

$$x = f - \frac{f^3}{1.2.3qq} + \frac{f^5}{1.2.3.4.5q^4} - \frac{f^7}{1.2.3.4.5.6.7q^6} \text{ \&c ;}$$

$$\text{vel } y = q - \frac{ff}{1.2q} + \frac{f^4}{1.2.3.4q^3} - \frac{f^6}{1.2.3.4.5.6q^5} \text{ \&c ;}$$

Quæ mirifice mutatis mutandis cum iis conveniunt, quæ illustrissimus in Republica literaria atque Amplissimus Dn. *Leibnitius* ante decennium de Problemate ex dato arcu ejus sinum inveniendi, edidit. Vid. Act. Erudit. A. 1693. pag. 179.

Ingeniosissimi Dn. Jacobi Bernoulli apud nos Professoris Solutio duplex subtilissima *Problematis angularis* Societati Parisiensi transmissa, brevi inter Commentarios illius Academiæ propediem publicandos lucem videbit.

In aliam adhuc eamque elegantem jamdudum incidimus formulam pro hoc, quod impræsentiarum tractavimus, Problemate angulari, methodo longe diversa ab ea, quam hic impertiti sumus; eandemque prorsus formulam via tamen diversissima a mea pariter elicuit Celeberrimus Jacobus Bernoulli, quod patebit, quamprimum uterque modus lucem aspexerit publicam. Formulam, de qua loquor, hic non appono, quod ea in aliqua ex Epistolis Illustris *Newtoni* ad *Oldenburgium* A. 1676 data, sed neque methodo ad eam perveniendi neque demonstratione stipata extet, quæque videri potest in Tomo II Operum Math. Rever. *Wallisii* pag. 348. & Tom. III. pag. 625.

CORPUS JURIS VENATORIO-FORESTALIS ROMANO-Germanici Tripartitum, olim opera ac studio AHASVERI FRITSCHII J. U. D. Com. Palat. Cæs. Cancellarii Schwarzb. &c. compilatum, nunc altero tanto adauctum, cum Præfatione SAMUELIS STRYKII JC. Reg. Maj. Pruss. Consiliarii intimi & Antecessoris in alma Fridericiana.

Lipsiæ, impensis Joh. Ludovici Gleditschii, 1702, fol.
Constat 18. alph.

Ahas-

AHasverus Fritschius, rerum patriarum, dum viveret, eximie peritus, ac variis libris, quos vel ipse composuit, vel edi curavit, etiam post fata notissimus scriptor, anno 1675 publici juris fecit Corpus Juris Venatorio-Forestalis Romano-Germanici tripartitum, quod nunc Johannes Ludovicus Gleditschius, Bibliopola apud Lipsienses integerrimus ac de re libraria meritissimus, altero tanto auctius exhibet, Illustri Strykio præfationem addente, in qua id demonstrandum sibi sumsit Vir summus, quod restricta venandi libertas in Germania, ex prohibito armorum usu resultet; ex quo ille amplius infert, militibus seu vasallis olim jus venandi, tam in Germania quam alibi, semper liberum fuisse, cum iis armorum usus non tantum non denegatus, sed & injunctus fuerit. Isto igitur rerum statu, ut amplius ille censet, neque ab Imperatore Vasallis illustribus, neque ab his Nobilibus, jus venandi ipsum, sed solum jus banni ferini seu forestæ, der Wildbann/ i. e. jus alios a venatione in certo districtu excludendi, per investituram concessum est. Hinc eorum sententiam, qui per vocem forestæ seu foresti sylvam tantum, vel arbores ibi contentas denotari arbitrantur, & infrequens non esse in Germania, ut uni debeatur jus forestæ, die Forstgerechtigkeit / alii autem venatio, inde amplius eliciunt, falsam esse, ultro consequitur: nam jus forestæ venationem præsupponit, ac ex nativa sua significatione jus banniendi, seu alios ab usu certi alicujus loci excludendi, denotat, adeo ut olim etiam *forestæ piscium*, ac *flumina forestata* occurrerint. Interim verum manet, quod jus foresti & venationis semper distincta fuerint: nam qui illo, intuitu ferarum, gaudet, jus venandi quoque cum exclusione aliorum possidet, ac insuper omni sylvarum utilitate fruitur; sed qui hoc solum habet, nec alios a venatione arcere, nec cætera nemorum compendia sibi asserere potest: jurisdictionem tamen forestalem jus forestæ simul non includit, ut hactenus illud nonnullorum assertum, daß die förstliche Gerichtsbarkeit mit der Jagtgerechtigkeit keine Gemeinschafft habe / procedat. Olim igitur investitura cum banno ferino, plenum jus venandi præsupposuit ac inclusit, sed Principes successu temporis a Nobilibus emtione, permutatione similive contractu, majorum ferarum persecutionem sibi quæsiverunt,

runt, inde invaluit diſtinctio der Ober- und Unter-Jagten/ & tandem etiam, quod penitus ab uſu Germaniæ priſco alienum eſt, ac ante duo circiter ſecula auditum non fuit, der Ober- und Unter Wildbann. Ad quam recentiorem praxin etiam pertinet aſſertum illud hodie admodum ſolenne, *conceſſa venatione tantum conceſſam eſſe venationem inferiorem:* quæ omnia Vir Illuſtris eo fine diſſeruit, ut quanta opus ſit circumſpectione, in literis inveſtiturarum antiquioribus interpretandis, inde intelligatur. Opus ipſum quod attinet, ut olim, ita nunc etiam tripartitum idem comparet. In prima parte variorum Autorum, nempe Sebaſtiani Medices, Georgii Mohr, Friderici Pruckmanni, Franciſci Zoanetti, Sebaſtiani Khraiſſeri, Ahaſveri Fritſchii, Helfrici Ulrici Hunnii, Jacobi Ottonis, Noe Meurers, Ferdinandi Chriſtophori Harprechti, Chriſtophori Feſchii, Erneſti Friderici Schröteri, Johannis Thomæ Cludii, Anonymi cujusdam, & Ottonis Menckenii, de re venatoria tractatus & diſſertationes exhibentur. Pars ſecunda varia variorum JCtorum, nimirum Schurffii, Cohtmanni, Merckelbachii, Gœdenii, Beſoldi, Piſtoris, Richteri, Everhardi, Pruckmanni, Wehneri, Cravettæ, Coleri, JCtorum Argentoratenſium, Klockii, Finckelthuſii, Carpzvovii, Berlichii, Heigii, Speckhanſii, Franzkii, Biedenbachii, Lynckeri, Strykii, Harprechti, Mauritii, Rivini, ac inprimis Heroldi, conſilia, reſponſa, deciſiones vel obſervationes adducit. Tertia pars ordinationibus variorum Imperii Statuum repleta eſt: hoc loco igitur comparent ſanctiones & mandata rem venatoriam in ditionibus Saxonicis, Luſatiæ, Altenburgenſibus, Hennebergicis, Magdeburgenſibus, Bavaricis, Brunſuico-Luneburgicis, Würtembergenſibus, Haſſiacis, Mecklenburgiacis, Anhaltinis, Schwarzburgicis, Stolbergenſibus, Mompelgardenſibus, Hohenloicis, Rutheno-Plavicis, Pruſſicis, Marchicis, Angriæ & Weſtphaliæ, concernentia. Huic parti tertiæ acceſſerunt tres Appendices, quarum prima Cyriaci Spangenbergii Theologi de venationum uſu & abuſu diſquiſitionem, ſecunda Ahaſveri Fritſchii venatorem peccantem, ſeu tractatum de peccatis venatorum, tertia varias ordinationes ſerius transmiſſas Electorum Saxonicorum & Brandenburgenſium, ut & nonnullorum Saxoniæ Ducum ſiſtit. Hæc brevis

vis totius operis delineatio est, cujus habitum usumque tam ex indice materiarum generali, quam rerum speciali, quem copiosissimum adjici curavit solertissimus Bibliopola, amplius intelligere licet. De cætero uti, judicio Illustris Strykii, in præfatione antea laudata, inter cæteros antiquiores Scriptores, qui rem venatoriam Germanicam tradiderunt, eminet opus Noe Meureri, utpote cum ex eo plerique hauserint, qui quicquam secundum Germaniæ mores de hac materia scripserunt: ita in universum Scriptores modo indicati non easdem præsupponunt hypotheses. Nam plerique jus venandi in civitatibus cuique vi libertatis naturalis competere, ac successive variis mediis Imperantibus assertum esse censent: alii vero imperio civili illud inesse, ac adeo neminem subditorum, sine Imperantis concessione, sibi id asserere posse, doctrina tamen non satis constanti arbitrantur. Ut nonnulla, præmissis generalibus, specialius tangamus, ex Observationibus Forestalibus Consultativo-Decisivis Dn. Joh. Christophori Heroldi, JCti, judice Strykio, rerum usu & experientia exercitatissimi, ac Sacræ Regiæ Majestatis Borussicæ, duorumque Electorum Brandenburgensium, ut & Reverendissimi ultimi Domini Administratoris olim Archiepiscopatus, nunc Ducatus Magdeburgensis, per semiseculum fere, Regiminis, Aulæ, Justitiæ, Consistorii, Limitum, Foresti & Venationum Consiliarii, quædam, cum hactenus illæ nondum impressæ sint, delibare libet. In observatione prima hic proponitur casus: Dux quidam Comitibus quibusdam in feudum concesserat sylvam, cum omnibus pertinentiis, commoditatibus, gratiis, juribus & privilegiis, nullo excepto. Comites Nobilibus sylvam memoratam, cum juribus illis non solum, sed & nominatim, cum jure venandi superiore & inferiore, in subfeudum dederunt, quod jus etiam subvasalli, Domino feudi supremo sciente & patiente, exercuerunt; sed Comitum & Vasallorum familia extincta, dominioque directo sylvæ subinfeudatæ ad Ducem, velut supremum feudi Dominum, in solidum reverso, Nobilibus subvasallis jus venandi laudatus feudi Dominus amplius relinquere haud vult, causatus, in sui præjudicium, illud a Comitibus in subfeudum vasallis non potuisse concedi, cum in literis investituræ id expresse non sit concessum. Hinc oritur

ritur quæstio: an jus venandi hodie ita ad Regalia minora pertineat, ut nemini illud in proprio fundo, superiori licet jurisdictione instructo, exercere, ac cum sylva expresse in subfeudum alii concedere liceat, nisi a domino territoriali de eo sit diserte & literaliter investitus? Contra necessitatem disertæ expressionis, adeoque pro vasallo & subvasallo, urgetur investituræ primæ generalitas, singulorumque verborum in ea contentorum emphasis; deinde quod ex jure communi, venationes pro fructibus sylvæ habeantur; tertio quod jus venandi in literis investituræ exceptum, probari nequeat; inprimis cum quarto non ex tempore præsenti, sed antiquissimo illo, quo concessio facta est, investituræ interpretatio peti debeat. His accedit, quod quinto, quæ generaliter, implicite & tacite fiunt, perinde vera sint suoque gaudeant effectu, ac ea, quæ specialiter & diserte peraguntur; præterea jus venandi nec olim ad Regalia pertinuerit, nec hodie rationibus satis validis illis annumeretur, adeoque a multis eximiis JCtis ad servitutes reales, vel personales, aut jurisdictionales, imo ad pacta personalia, aut ad ejusmodi reservata, quæ facile communicati soleant, referatur. Hinc nisi dissentientes, & jus venandi ad Regalia certo pertinere, ac dominum feudi illud nec potuisse nec voluisse concedere, probaverint, omnis eorum labor irritus septimo existimatur; maxime cum octavo JCti Lipsienses, Wittebergenses & Helmstadienses, suo suffragio vasalli & subvasalli causam tueantur. E contrario pro domino feudi his rationibus certatur. Primo quod sub locutione generali ea, quæ ob singularem affectionem quis excepturus præsumatur, quale utique sit jus venandi, non contineantur; deinde, quod jus illud ad Regalia pertineat, hæc autem nemini privato competant, nisi titulum & specialem concessionem, aut immemorialem præscriptionem docuerit, adeo ut non pauci JCti existiment, venatione licet nominatim concessa, attamen inferiorem solum esse intelligendam. Quibus præsuppositis, ad rationes prioris sententiæ respondetur, venationes ne quidem jure communi ad fructus fundi referri, cum eodem feræ non jure soli, sed simpliciter jure capionis, acquirantur; deinde solidis rationibus ostendi non posse, quod jus venandi ad servitutes reales, personales, jurisdictionales, aut pacta per-

perſonalia ſpectet. Porro laudata inveſtituræ generalitas, ob peculiarem juris venandi indolem, ſine effectu eſſe exiſtimatur, ut non opus ſit, ejus a generali conceſſione exceptionem ſpeciatim probare, maxime cum jam ab antiquiſſimo tempore jus venandi Regalibus fuerit annumeratum, nec adeo ſub fundi acceſſionibus contineatur, ac implicite taciteque concedi ſoleat; non refragantibus Doctoribus in contrariam partem allegatis, cum illi non de jure conſuetudinario Germanico, ſed civili loquantur, ac ſecundum hoc, jus venandi ad Regalia non pertinere, pronuncient. Juxta hæc adeo cum Principes, in concedendo jure venandi, non admodum liberales eſſe ſoleant, id citra ſpecialem conceſſionem privatis aſſeri non poſſe contenditur; quem in finem non tantum plurium JCtorum teſtimonia ſingularia, ſed & diverſorum Collegiorum reſponſa allegantur. His ita in utramque partem diſputatis, Camera Imperialis A. 1669 pronunciavit, ſubvaſallum, quantum ad venationem ſuperiorem, melius probare debere, quod ipſe ejusque majores eam uſu & præſcriptione acquiſiverint. Sed poſt illam ſententiam, lis tota per ceſſionem & refutationem, ſive potius venditionem totius ſylvæ compoſita eſt. In obſervatione ſecunda quæritur: an ſubditi, juxta regulas rectæ rationis, ut & jura communia, contra dominum territorialem, quoad jus venandi aliaque Regalia, præſcriptione ſe tueri queant? id quod hisce fere rationibus affirmatur. Primo quod Principes ex jure naturali obligentur ad ea, quæ ob utilitatem publicam jure poſitivo introducta ſunt, ſervanda, adeoque iis minimum præſcriptio immemorialis obſit, conſpirantibus in hoc pluribus Collegiis Juridicis & JCtis longa ſerie relatis. Deinde quod iſta ſententia non tantum Jure Canonico, ſed & Receſſibus Imperii obtineat, adeo ut per tempus immemoriale immunitatem a contributionibus Imperii acquirere, ac bona domanialia præſcribere, ex nonnullorum ſententia, ſubditi poſſint, imo & in eccleſiaſticis præſcriptione ſeſe tueri queant, negligentia miniſtrorum etiam dominis ipſis nocente. His accedunt tertio ſuffragia JCtorum Gallorum, Hiſpanorum, Italorum, Anglorum, Belgarum, ut & legum exterarum, in eo conſentientium, quod ſubditi omnia jura, quæ non tangunt ſuperioritatem ipſam, nec competunt Prin-

 cipi

cipi in signum universalis subjectionis & supremæ potestatis, contra superiorem præscribere queant. Quæ in genere dicta, speciatim ad jus venandi a scriptoribus applicantur, adeo, ut Dominus prohibens subditos venari in loco, in quo ex diuturna consuetudine venari poterant, violentiam iis inferre dicatur. Atque hanc sententiam Serenissimi Electores Brandenburgici, in Ducatu Magdeburgico, eatenus admiserunt, ut eos, qui, deficiente concessione expressa, immemorialem continuamque, ac ante Instrumentum Pacis Osnabrugensis completam præscriptionem docuerint, in quieto juris venandi exercitio sese esse relicturos, clementissime edixerint. In observatione tertia Alexander quidam produxerat rotulum testium super asserto jure venandi, partim in judicio, sed extra processum, partim coram Notario & testibus examinatorum, petieratque decretum manutenentiæ, contra Dominum territorii, in judicio summarissimi possessorii concedendum. Quærebatur, an tale decretum roganti impertiendum sit? Ita visum est Dominis Scabinis Lipsiensibus, JCtis Jenensibus, ac in simili casu Francofurtensibus, hac ratione præcipue motis, quod Rei titulum emti venditi documentis habilibus, ac immemorialem præscriptionem testibus omni exceptione majoribus, docuerint. Ast in alio casu Domini JCti Lipsienses pronunciarunt, in causis venationem concernentibus, momentaneum possessorium locum non habere; quam sententiam, in causa simili, Regimen Ducatus Magdeburgensis, ut & Facultas Juridica Hallensis probarunt, censente Nostro, quanquam ratio decidendi addita alio spectet; nempe in possessorio pronunciari ideo non potuisse, quod actor non illud, sed potius actionem negativam utilem instituerit. His tria in laudata observatione adjiciuntur, primo, rotulum testium, coram Notario & testibus confectum, demonstrando juri venandi non sufficere, sed id legaliter probandum esse; *secundo*, in Ducatu Magdeburgico, deficiente concessione *expressa*, nullam aliam præscriptionem jus venandi tueri, quam immemorialem ac sine interruptione, ante Instrumentum Pacis Westphalicæ completam; tertio, in probatione juris venandi, juramentum suppletorium non videri locum habere, cum sit causa magna & ardua, quæ requirat plenissimam probationem contra territorii Dominum, qui

qui intentionem, ex præsumtione & assistentia juris plene fundatam, ac contra semiplenam probationem militantem, pro se habet; quanquam Facultas Juridica Erfurdensis in contrariam iverit sententiam, ac jusjurandum suppletorium admiserit.

JO. GEORG. DORSCHÆI, DOCT. THEOLOGI & Prof. Argent. ac Rostoch. Primarii, ad entheas S. Jesaiæ Prophetias, earumque singula capita, Analysis.
Hamburgi, apud Godofr. Libernickel, 1703, 4.
Alphab. 1. plag. 9.

QUam in præfatione ad opus isthoc posthumum, primo loco celebrat Maxime Rev. Fechtius interpretandi sacras literas rationem, juxta quam id agant Interpretes, ut omnes quasi sacri textus divitias & recessus exhauriant, & quicquid uspiam vel in vocum philologia, vel in contextus scrutinio, vel in reliquæ scripturæ collatione, vel in consideratione historiæ argumento quorumlibet locorum coævæ, vel denique in materiæ ipsius enucleatione, cogitari dicive potest, summa diligentia, labore, copia, judicio conferant in medium; ea Beatus noster Carpzovius in Jesaiæ Prophetiis exponendis dexterrime usus est, dum singulas atque universas pro lectionibus publicis ista methodo excussit. Et dolendum sane, quod in publicos usus laborem illum morte præventus Vir summus edere non potuerit. Equidem sermonum ad populum e sacra cathedra habitorum, in quibus dicta Jesaiana Evangelicis pericopis Dominicalibus & Festivalibus parallela enucleavit, bonam partem ipse, dum viveret, prælo submisit; verum & hæc opera cito nimis abrupta est, & aliena, ut ad finem perduceretur, eguit industria. Interea dum Sebastiani Schmidii novissimo in hunc Prophetam Commentario se delectarunt hactenus, qui genuinum ejus sensum nosse desiderant, veterem equidem, sed nondum hactenus publice visam explicationem e tenebris producit celeberrimus Fechtius, eam nempe, quæ Jo. Georgium Dorscheum, consummatissimum sui ævi Theologum, autorem agnoscit. In hujus enim literariis reliquiis ab interitu vindicandis, ut sollicitum se jam ante gessit insigne hodie Academiæ Gryphiswaldensis decus, Jo. Frid. Mayerus, quando & Dorscheanum in Marcum Commentarium, & Aphorismos ejus-

ejusdem Theologicos e manuſcripto edidit; ita non minus de beati Viri Manibus bene mereri cupiens laudatus Fechtius, has ejus in Jeſaiam prælectiones Academicas nunc ſiſtit, impoſterum Exegeſes Dorſchei integras in quatuor Evangeliſtas & Apoſtolorum Acta ſuperadditurus, ſua inſtructas præfatione, in qua, qualis quantusque Theologus fuerit Dorſcheus, recenſita vita ſcriptisque ipſius, palam reddere conſtituit. Quemadmodum vero Dorſcheus in Academia Argentoratenſi, auditoribus publicis æque ac privatis, complures in libros Biblicos dictavit expoſitiones, breviores illas quidem, ſed ad ſtudioſorum tamen Theologiæ uſum apprime comparatas: ita in hunc cenſum & iſthæc Jeſaiæ explicatio merito connumeratur, in qua poſt præmiſſam ſingulorum capitum interpretationi apodixin, pœnitentiam valide urgentem, mox accuratam ſubnectit analyſin, quæ & brevitate ſe commendat, & de iis, quæ difficilia dubiaque videri poſſunt, judicium interponit, ſcrupuloſque vero ſenſui obſtantes removet.

ANTONII PACCHIONI REGIENSIS, PHILOSOphi & Medici, de Dura Meningis Fabrica & Uſu Disquiſitio Anatomica.

Romæ, typis D. A. Herculis, 1701, in 8.

Conſtat plag. 9, cum figurarum æneorum tabulis 5.

Etiamſi Clariſſimus Pacchionus ultra decennium in id incubuerit ſedulo, ut opus ſuum novum de æquilibrio fluidorum ac ſolidorum, eorumque viribus & morbis, nec non duræ meningis fabrica abſolveret, prout in Epiſtola, Actis noſtris A. 1701 Menſ. Septembri inſerta, D. Ludovico Teſti, Venetorum Medico, ſignificaverat; variis nihilominus graviter ægrotantium morbis, aliisque externis ac domeſticis curis diſtractus atque impeditus fuit, quo minus illud publici facere juris ſibi licuerit. Amicorum interim quotidianis fatigatus precibus, id cepit conſilii, ut partem ſaltem iſtius operis cum orbe literato communicaret. Præſenti igitur opuſculo, quod Illuſtriſſimo Clariſſimoque Viro, D. Joh. Mariæ Lanciſio, Pontificis Maximi Clementis XI Intimo Cubiculario & Medico a Secretis, Archiatro Collegiali, nec non in Romano Archilycæo Publico Practicæ Profeſſori ſacrum eſſe voluit, duræ

duræ meningis fabricam & usum exhibet; quam propter ventriculos, septa, lacertos, (quorum nomen non tam parti musculosæ, quam conspicuis quibusdam fibrarum manipulis tribuit,) & vim propulsandi spiritus, cor cerebri & fluidi nervei vocitare non dubitat. Brevem ejus conspectum cognoscere qui desiderat, evolvat annum Actorum nostrorum supra commemoratum, pag. 418. & 419, atque voti sui satis superque compos fiet, ita ut plura his addere, superfluum judicemus. Ut autem mens Authoris eo melius percipiatur, præcipua schemata Lectorum oculis usurpanda hic exhibere voluimus. Calci hujus opusculi experimenta & observationes practico-anatomicas, ad duræ meningis usum roborandum spectantes subjungit Noster; ex quibus paucas indicabimus. Molossum in sinistro syncipite terebra perfodit, & duram matrem delicate absque ulla læsione detectam gossypio, spiritu nitri parum imbuto, & soli ossis foramini adaptato, irritavit Noster. Canis vehementer ejulabat, sese undiquaque distorquens, quousque renovato sæpius gossypio, nunc spiritu sulphuris, nunc vitrioli madefacto, in somnolentiam, seu potius stupiditatem, & postmodum in tremorem plane incredibilem incideret. Dempto gossypio, ablutoque vulnere, animal ad se rediens omni expers malo videbatur. Demum immissum gossypium per duas noctes reliquit. Tum frigidos sinistros pedes, motuque prorsus expertes, dexteros calidiores, & convulsivis motibus per vices obnoxios observavit. Spuma ex ore prolabebatur; oculi in gyrum aliquoties acti non integre claudebantur; canis omnino absque sensu, cum respiratione parva ac lenta apparebat, donec post 57 horas, imminuto pedetentim anhelitu moreretur. Aperto cranio duram matrem circa terebrationem animadvertit. Nil prorsus vel sensibiliter saltem piæ matri communicatum, naturalis ejusdem color ac crassities indicare videbantur. Alii cani postquam prope suturam sagittalem, decoctum anodynum per dies 15 assidue injecerat, post 8 dies ipsum surdum, & sensibus pene orbatum observavit, quousque stupidus prorsum factus, cibis haud amplius se reficiens, & levibus membrorum contorsionibus correptus, e vita decessit. Secto cranio, suturæ filamenta elongata, ac duram meningem plus quam par sit a cranio dissitam, flaccessentem, subalbam, & circa terebrationem ex decoctionis tinctura flavescen-

tem conspexit. De delicatula illa catulorum specie, quæ a Bononia nomen, & fossulam ad os frontis habet, observavit, quod, si caput vel leviter aqua, vel molli aliquo liquore abluatur, facile iis visus hebetetur, & suffusio inducatur, ex pulvere autem ossis sepiæ oculis ad plures dies sufflato malum cesset. Quæ & similia observata & phænomena ex hypothesi sua eleganter Noster explicat.

FIGURARUM EXPLICATIO.

FIGURA TERTIA.

TAB. IV. Fig. 3. Duræ Meningis mulieris, ob vulnus capitis interemtæ, portio superior incrassata; unicum tantum latus cum falce, & lacertis, posterioris fibrarum glomi vestigia, & intersepti portiunculam adnexam, exhibens.

AAAA Meningis dimidia concavitas cerebrum complectens.

B Falcis pars anterior tendinea, & reticularis, in os ethmoideum inserta.

C Tendo subrotundus, parum extensus, in parte infima, ad basin falcis locatus, & in medio interseptorum insidens.

DDDD Situs, ubi meninx in falcem curvatur, & hujus dorsum respondet.

eeee Lacerti pyramidales, eorumque pars veluti tendinea; & utraque, inferior & superior, fibrarum in falcem, & meningem insertio.

F Lacerti pyramidalis morbose relaxati effigies.

G Fibræ posterioris lacerti ex pyramidalibus ad subrotundum tendinem inclinantes.

H Lacerti pyramidalis anterioris productio, falcis dorso adstans, & ad os ethmoideum propendens.

iii Posteriores falcis lacerti a meninge orti, cum propriis fibrarum expansionibus, in subrotundum tendinem insertis.

L Lacertorum segmenta, ad interseptum, & subrotundum pariter tendinem spectantia.

mmm Fibrarum glomum posteriorem constituentium, e tergo postremi lacerti (in meninge admodum incrassata) erumpentium vestigia, in subrotundum tendinem implantata.

nnn Vestigia fibrarum, internum meningis planum contexentium, ad falcis dorsum anterius, in valde incrassata membrana, conspicua.

FIGURARUM QUARTA

Fig. 4. Exhibet segmentum laterale cavitatis cerebelli, cum lacertulis cau-

caudici adſtantibus, & reliqua fibrarum craſſiorum, in continuato latere, expanſione.

aa Pars inferior magno occipitis foramini affixa.

b Pars ſuperior, & interior ad foramen ovale tendens.

c Membranæ elixatæ craſſities, qua caudicis lateri adnectitur.

d Sinus transverſalis foramen, ſanguinem in jugulares vehentis.

eee Lacertuli.

ff Fibrarum ſtratum ſub lacertulis excurrentium.

g Lacerti, ſeu potius, fibræ craſſiores continuati lateris ſimul coëuntes, ad foramen ovale inclinantes, cum ſubſtratarum fibrillarum veſtigiis.

FIGURA QUINTA

Exhibet ſegmentum poſticum, & ſuperius elixatæ meningis, cujus planum fibrarum intimum criſpatum, inteſtinulorum convolutioni ſimile apparet.

aa Sinus tertius, ſive longitudinalis, per medium ſectus.

b Superior poſtremi pyramidalis lacerti per medium ſecti expanſio.

c Sinus tertii extremitas in laterales inclinata.

dd Fibrarum glomus poſterior, per longiorem cocturam fortius contractus.

eee Interioris ſtrati fibræ ſimiliter in formam inteſtinulorum contractæ, & convolutæ.

CHRISTIANI HUGENII, ZELEMII, DUM VIveret, Toparchæ, Opuſcula Poſthuma, quæ continent Dioptricam, Commentarios de Vitris figurandis, Diſſertationem de Corona & Parheliis, Tractatum de Motu & de Vi Centrifuga, Deſcriptionem Automati Planetarii.

Lugduni Batavorum, apud Cornelium Bouteſteyn, 1703, 4.

Conſtat 2. Alph. 19. plag. cum 24. tab. æneis.

Virum & meritorum magnitudine, & fama vere Illuſtrem, *Chriſtianum Hugenium*, orbis eruditus ut admiratus eſt viventem, ita doluit mortuum. In abitus perpetui ſolatium edita ſunt, tum Autoris ipſius voluntate, tum Virorum in Acad. Leidenſi Clariſſimorum, *Burcheri de Volder*, & *Bernhardi Fullenii* labore, ſcripta hæc poſthuma, quorum & conditionem, & epitomen Editores ipſi ſuæ ad Lectores præfationi inſeruerunt. Hinc paucis tan-

tum indicium contentorum facientes, ad ipsam libri inspectionem ablegamus harum rerum gnaros. Dioptrica ut ut dudum conscripta, novissimis tamen circa refractionem inventis innititur. Postquam enim generaliter mensuram refractionis, punctaque concursus dispersusque radiorum determinasset, cum cura id, quod in vulgaribus dioptricis libellis forsan frustra quæras, agit. Perquirit nempe *aberrationem radiorum*, quæ ex duplici causa oritur; vel *ex figura*, qua varie incidentes radii non ad idem punctum concursus diriguntur; vel *ex dissipatione lucis*, qua idem radius in plures diffringitur, & ex una linea in triangulum quoddam quasi distenditur, unde colores generantur; uti ex accuratissimis Neutoni experimentis patet. Utraque radiorum aberratio, maxime autem posterior, in visione confusionem parit, si nimia sit; hinc in telescopiis & microscopiis certi limites sunt ponendi, ne nimius fiat angulus aberrationis hujus in oculo; quod utique hic sufficienter præstitit Autor, & ex hac cautela, aperturarum in vitris tuborum objectivis, & in ocularibus focorum mensuram computat, quæ longitudinum datarum est subduplicata. Microscopia pariter huic fini adaptare docet. Notari autem meretur modus conficiendarum pro microscopiis Leuenhokianis sphærularum, pag. 225. communicatus.

Sphærulæ quo minores, eo facilius conficiuntur, hoc modo: Fragmina vitri minima ad imam lucernæ flammam, qua parte cœruleus color conspicitur, admoventur, ut candescant, atque ita filo ferreo, quantum tenuissimum duci potest, excepta, ac porro dextre versata, in globulos abeunt, qui satis magni, si granum sinapi æquaverint. Ex pluribus ita paratis aliquos probos reperies, idque experieris, postquam lamellæ æreæ eos incluseris. Quod ita fit: lamellam ex ære tenuissimo digiti latitudine, longitudine dupla complicabis, tum medium hoc rectangulum acus cuspide perforabis; foramina opposita coticula lævigabis, ne quid scabri circa margines adhæreat, & flammæ fuligine inficies, ne quid fulgidum intus remaneat. Inde sphærulam adhuc filo ferreo hærentem intra lamellam atque ad ipsa foramina inferes, pressamque continebis adactis circum æneis tribus claviculis ex filo desectis malleoque firmatis. Sic levi opera plura microscopia efficies, ex quibus quæ optima seliges.

Sub-

Subjunguntur, ut theoriam sequatur praxis, *Commentarii de formandis poliendisque vitris ad telescopia*; ubi in eo ab aliorum methodis differt Autor, quod ab initio ad finem usque, non solum in patinis sphærice excavandis, sed & vitris primum in figuram debitam terendis, dein ad polituram disponendis, demum perpoliendis, omnia machinis sibi peculiaribus peragat, nihil autem motui manus libero permissum velit, lentium perfectioni motus potius regulares, quam arbitrarios & facile degenerantes convenire ratus. Modum ipsi Autori usitatum ex figuris æneis perspicere licebit.

Quæ *de Coronis & Parheliis* sequuntur, continent varias talium meteororum observationes; ideam autem hypotheseos, unde causæ apparitionum redduntur, brevibus indicamus. Statuit nempe Autor, aërem tum temporis confertim repletum esse effluviis humidis, pro Coronarum quidem phænomeno globulis, pro Parheliorum autem ortu cylindris, semiliquatis extrinsecus, in medio sui autem nivalem opacumque minorem globulum seu cylindrulum retinentibus, quo nucleo opaco radii lucis transire prohibentur, donec in semiliquata vel aquosa vel glaciali parte extrinseca, ad certum angulum refracti, tandem oculo spectantis illabantur; quod & tabulis computatis determinatum est.

De *Motu Corporum ex Percussione*, inquirit celeritatis mutuæ quantitatem; ubi notabile est circa quæstionem antehac ventilatam, quod Propos. VI de quantitate motus demonstret, eam non semper post impulsum eandem conservari, sed vel augeri posse, vel minui.

Quas jam olim Operi æstimatissimo de *Horologio Oscillatorio* addidit in fine propositiones *de Vi Centrifuga*, hic aliquot novis insertis demonstratas cernere licet, ubi inprimis pendula filo annexa rei dilucidandæ adhibet, viresque eorum centrifugas ex tensione filorum seu funium æstimat.

Tandem egregii artificii mechanici descriptio operi finem facit. Est illud *Automaton Planetarium*, quo anomaliæ planetarum omnium, ad hypothesin Copernici, sed juxta proportiones Kepleri, visui exhibentur, tanta subtilitate, ut intra viginti annos vix observabilis a cœlo dissensus oriri queat. Constructionem ipsam grandibus figuris æneis ita coram oculis sistit, ut illi, qui ta-

libus delectantur machinis, non solum rationem compagis hujus percipere, sed &, si prudens felixque mechanici manus accesserit, facile possint hoc exemplar imitari.

JACOBI GRONOVII NOTITIA ET ILLUSTRATIO Dissertationis nuperæ de morte Judæ & verbo ἀπάγχεσθαι.

Lugduni Batavorum apud Jordanum Luchtmans, A. 1703, plag. 8. in 4.

JACOBI PERIZONII RESPONSIO AD NOTITIAM nuperam.

Lugduni Batavorum, apud Jo. du Vivie & Isaacum Severinum, A 1703, plag. 8. in 8.

INdicavimus supra, mense Januario hujus anni, quæ de morte Judæ & verbo ἀπάγχεσθαι disputaverint celeberrimi Viri, Jacobus Gronovius & Jacobus Perizonius, & quam quisque inierit sententiam; jam quid præsidii ad fulciendam eam denuo attulerint, strictim persequemur. Id inprimis ægre fert Gronovius, pronunciasse Perizonium, verba Act. I, 18 præter omnium veterum Patrum, Græcorum ac Latinorum, mentem a se explicata esse. Ita vero explanarat Gronovius, ut non de morte Judæ, sed de eo, quod illi jam mortuo, seu cadaveri ejus acciderit, ibi agi adseruerit. Ut ergo conficiat, perperam se hujus rei argui, Chrysostomi, Athanasii, Aratoris, Anonymi cujusdam, & Origenis verba allegat, & quod idem prorsus sentiant statuantque (de moriente nempe egisse Matthæum, de mortuo seu cadavere agere verba Lucæ) evincere conatur. Enimvero miratur Perizonius, cur in dedicatione Exercitationum jactarit, *a Pallade animum & efficaciam inspiratam, ut magnos Viros irrito labore liberaret, ad quod venerit & junior & tardus post XV seculorum tenebras, & millena aliquot ingenia*, sed & se *egregio probasse documento*, *res Christianas ex verbis Gentilium elucidari melius posse*, *quam ex omnibus horum Christianorum evanidis conjecturis*, si, ut Matthæi, ita & Lucæ in Actis locum eodem modo, quo ipse, interpretati fuerint Athanasius, Chrysostomus, & seriores ætate, qui vix XIV aut XIII sæculis a nobis absint. Quo vero res omnis quam accura-

curatissime definiatur, singula loca penitus perquirit, & qui sensus illorum, quæ vis, multum diligenterque indagat. Locus Chrysostomi hic est: εἰς βρόχον Ἰούδαν ἤγαγε, καὶ μέσον λακῆσαι πεποίηκε, καὶ μετ᾽ ἐκεῖνα πάντα εἰς γέενναν παρέπεμψε. Nihil causæ esse ait Perizonius, cur concludi debeat, verba εἰς βρόχον Ἰούδαν ἤγαγε de Juda in laqueo mortuo, reliqua vero de cadavere intellexisse Chrysostomum. Certe si tanta vis voculæ καὶ sit, ut illa, quæ ea connectantur, de eadem morte dici nequeant, futurum, ut 2. Sam. XVII, 23 in verbis: καὶ ἐνετείλατο τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, καὶ ἀπήγξατο, καὶ ἀπέθανε, & *mandata dedit familiæ suæ, & ἀπήγξατο, & mortuus est*, vox ἀπέθανε aliquid significet, quod post mortem evenerit Achitopheli; imo futurum, ut in epistola ad Philippenses (cui Gronovius nihilo minorem tribuat auctoritatem, quam genuinis Ignatii epistolis) locus de Diabolo & Juda, καὶ βρόχον αὐτῷ δείκνυσι, καὶ ἀγχόνην διδάσκει, *Et laqueum illi ostendit, & suspendium docet*, per βρόχον & ἀγχόνην res plane diversas denotet, adeo ut non unius mortis circumstantiæ sint, sed distinguantur in tempus mortis & post mortem. Non majorem vim inesse ait loco Athanasii: ἄγουσι τὸν Ἰησοῦν πρὸς Πιλάτον, ἀπάγχεται Ἰούδας, nec non Origenis: ἀπελθὼν ἀπήγξατο, μηδὲ περιμείνας ἰδεῖν τοῦ περὶ τὸν Ἰησοῦν παρὰ τῷ Πιλάτῳ κρίματος τὸ τέλος; nam ἀπάγξασθαι Judam, neminem negare, sed quæri solum, qua ratione illius verbi significatus cum loco Actorum sit conciliandus. Neque facere cum Clarissimo Gronovio Aratorem, qui canat:

> cœli terræque perosus
> Inter utrumque perit, nullis condenda sepulchris
> Viscera rupta fluunt.

Non enim inde necessario effici, viscera effluxisse post suspendium in voraginem, & non ex pendente: imo Aratorem aperte adversari Gronovio, dum lib. I Hist. Apostol. v. 449 de Ario scribat:

> Fusa ruit Arrius alvo
> Infelix, plus mente cadens, lethumque peremptus
> Cum Juda commune tulit, qui gutture pendens
> Visceribus vacuatus obit.

De

De loco Anonymi ad Nectarium ita Clarissimus Gronovius censet: *manifeste eas voces Lucæ de cadavere accipiunt verba Epistolæ Græcæ Anonymi ad Nectarium in Defens.* p. 58. *cum dicit:* Εἰκὸς τὸ τελειωθῆναί τε δι' ἀγχόνης αὐτὸν (ubi jam mortuus est) καὶ τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ ἐκχυθῆναι . . . κἀντεῦθεν εἰς γῆν κατενεχθέντος ἐκείνου καὶ οὕτω μέσου λελακηκότος, ὡς θέαμα προκεῖσθαι τοῖς πᾶσιν ἐξαίσιον. At vero monet Clarissimus Perizonius, a Gronovio aliqua omitti; ita enim Anonymum dicere: εἰκὸς γὰρ καὶ ἀμφότερα ταῦτα γενέσθαι ἐν τῷ τότε, τὸ τελειωθῆναί τε δι' ἀγχόνης αὐτὸν, καὶ τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ ἐκχυθῆναι. *Probabile enim, utraque illa accidisse tunc simul, & consummatum eum esse per suspendium, & viscera ejus effusa.* Ejus rei gratia puncta quoque nonnulla inserta, & hæc ejecta verba fuisse, ἅτε τοῦ καλωδίου διαῤῥαγέντος, ἐν ᾧ ἀπηώρητο, κἀντεῦθεν εἰς γῆν κατενεχθέντος, καὶ οὕτω μέσου λελακηκότος, *utpote funiculo disrupto, quo pendebat in alto, & inde in terram delato Juda & sic medio rupto.* Cæterum, ut ut Patres in *suspendium* & hunc verbi ἀπήγξατο sensum apud Matthæum consentiant; nihil tamen consensum istum ad hanc rem facere, ubi de sensu verborum Lucæ disputetur. Addit inde quædam de Jesuitis Dombensibus, inprimis quod agnoverint, optime se probasse, τὸ ἀπάγξασθαι latiorem habere, quam solius suspendii, significationem. His perquisitis, ad ipsa verba Act. II v. 18. accedunt, existimatque Gronovius, si simplex ibi processus actionum vivi enarraretur, frustra interponi, *ergo*, & *ille ergo*. Debuisse enim Lucam in enarratione actorum vivi progredi, *& sustinuit hujus muneris partes, & comparavit* &c. ut omnia de vivo intelligerentur. Sed cum magnus illic hiatus sit, par esse monet, ut statuamus, magnam Judæ istius mutationem contigisse, magnumque rerum ab illo jam mutato & misero actorum interventum declarari, a quibus referendis Lucas abhorruerit, & proinde perrexerit connectendo, vocula interposita, οὗτος μὲν οὖν ἐκτήσατο &c. Respondet Perizonius, particulas has inservire vel maxime scriptoribus, quando ab rei totius descriptione transitum faciant ad peculiare illud, quod potissimum de ea dicere velint, ideoque per *ergo*, *vero* & similes Latinas verti. Nexum proinde concinnum & pulchrum ver-

verborum esse. Petrum enim, quum dixisset de Juda ductore illorum, qui ceperunt Jesum, fuisse eum etiam unum ex Apostolis; pergere jam per hasce particulas ad illud, quod potissimum exponere auditoribus suis voluerit, nempe, illum ergo Judam, qui fuerit inter Apostolos, pœnitentia sceleris ad desperationem adactum, primum pecuniam, mercedem sceleris sui, (qua deinde ager emptus fuerit facto ipsius insignis, dum vocetur ager *sanguinis*) ultro abjecisse, & dein, abjecta ita pecunia, in eadem illa desperatione præcipitem factum periisse, rupto ventre & effusis intestinis. Qua de re dum commentatur Perizonius, notat, male a Gronovio voculas οὗτος μὲν οὖν verti *ille quidem igitur*, seque autoritate Fr. Vigerii & H. Stephani munit, & rectius per *& vero, imo vero, cæterum*, exponi contendit. Sed repetit Gronovius, quod Judas dicatur agrum acquisivisse, idque præmittatur proxime ante controversa nobis verba, cumque ager ille emptus sit post mortem Judæ, verba quoque ista non de morte, sed de cadavere exponenda esse. Ad quæ, & alia, & hoc inprimis Perizonius reponit, nondum confectum esse, an post mortem Judæ ager emptus sit; certe ex verbis Lucæ id non patere, nec facile probari posse, eo quod ipse fateatur Gronovius, *orbem Christianum hæsisse hucusque incertum & fluctuantem de tempore strangulati proditoris*. Plura adhuc restant commemoranda, de quibus eruditissimi Viri contendunt. Enimvero cum pleraque ita constituta sint, ut de scopo propositæ disputationis declinent, & paulo acerbius expediantur, tum ejusmodi esse intelligimus, ut scientes prudentesque a recensendis iis abstineamus.

OBSERVATIONUM SELECTARUM, AD REM litterariam spectantium, Tomus VII.

Halæ Magdeburgicæ, apud Rengerum, 1703, in 8.

Plag. 30.

QUemadmodum Observationes has selectas ad rem spectare litterariam, ipse titulus indicat: ita *quartum* inter eas locum, post tres priores ad rem Medicam spectantes, quæ obtinet, conversationibus dicata est litterariis, quæ variis olim in locis, & in

Byzantinorum maxime Imperatorum bibliothecis institutæ perhibentur, sed præ cæteris tamen Deipnosophistarum in museo Alexandrino conventus celebratur. Observatio V quæstionem examinat, cur mors in undis Gentilibus olim, præ aliis mortis generibus, maxime invisa fuerit? & sicut ad rationes genuinas ista refert, quod bello cadere gloriosius illi judicarint, magisque homini conveniens existimarint efflare animam in aerem, ac sepulturæ insuper spem dulciorem conceperint: ita Servio imprimis contradicit & Synesio, qui putarint, ista ratione non corpori tantum, sed ipsi quoque animo moriendum esse, cum, ex ratione sigillatim a Servio allegata, anima sit ignea. Et hæc quidem Observatio nova non est, sed jam A. 1667 Dissertatione publica a Jacobo Thomasio, Professore tum in Lipsiensi hac Academia celeberrimo, proposita: cui & ea debentur, quæ mox Obs. VI & VII de Latrocinio Gentis in Gentem referuntur, ab eodem, in Dissertatione itidem quadam Academica, quondam publico eruditorum examini subjecta. Nimirum cum binæ istæ Dissertationes summo studio elaboratæ essent, legique ab omnibus mererentur, nec ullo tamen pretio comparari a quoquam possent, laudando consilio Clarissimi Observationum Collectores eas denuo, distinctis accuratius paragraphis, eorumque summis cuique Observationi præmissis, prælo committendas censuerunt, de re litteraria hoc facto optime meriti. Obs. VIII Hieronymi Hirnhaimii tractatum de typho generis humani, sive de perverso scientiarum studio recenset. Nona, itemque decima tertia, Paganini Gaudentii volumen de Philosophia apud Romanos illustrat, & Autorem, quod erudite, perspicue atque solide rem susceptam ubivis exposuerit, commendat; in eo autem, quod interdum se suaque acrius defendat, & in alios acerbe ac contumeliose invehatur, humani aliquid passum esse, non dissimulat. Observ. X loci alicujus Scripturæ sacræ Novi Testamenti illustrationem sibi sumit, dicti puta Hebr. X, 4. 5. quod hic subjicimus: *Ἀδύνατον γὰρ αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας·* ΔΙΟ` ʽΕΙΣΕΡΧΟ´ΜΕΝΟΣ ʽΕΙΣ ΤΟ`Ν ΚΟ´ΣΜΟΝ ΛΕ´ΓΕΙ· *Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας· σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.* Huic ut sensum hactenus inauditum inferat, ex mente nonneminis hæc præsupponit: Autorem Epistolæ ad Hebræos

bræos non tam pure, proprie ac luculenter ubivis loqui, ut eruditis lectoribus nihil eogitandum illustrandumque reliquerit; epistolam illam aut Hebraice primum scriptam fuisse, aut certe ab homine Hebræo, quisquis tandem sit; Hebræos, aut potius Hellenistas, sæpe vocabulis linguæ peregrinæ easdem significationes subjicere, quascunque vocabula linguæ Hebrææ habeant; nomina & verba, ab Hebræis derivata, habere posse, & revera ex intentione scriptoris sæpe habere omnes eas significationes, quascunque verba habeant; istas significationes alias aliis obscuriores esse, & hanc ob causam ipsa illa nomina lectorem imprudentiorem sæpe fallere, quia facile contingat, ut significatio notior & usitatior mentis aciem præstringat, ignotior vero & autoris propria prorsus lateat, veluti tenebris quibusdam involuta; denique Hebræos & Hellenistas frequenter omittere nomen personæ, quæ aliquid egisse dicatur, Has hypotheses præsupponit Autor Observationis, ut eo commodius ad sequentem præsentis loci expositionem easdem accommodare valeat. Dicit enim, *κόσμον* esse Hebraicum עלם, & significare rem abstrusam, incognitam; secretam personam, quæ *λέγει dicat*, omissam esse censet consulto & ex more; unde hanc emergere orationem inquit: *quare ingrediens in secretum*, *ait David* &c. Facile patere autumat, vocem *ingrediens* metaphoricam esse, atque per *secretum* intelligi sublimiorem sapientiam, ignotiorem præstantioremque philosophiam, unde sententia sit: *idcirco etiam David*, *cum occultiori illi sapientiæ studet*, *seu*, *cum in ignotioris philosophiæ adyta penetrat*, *ait*, *&c.* Obs. XII metallorum emendationem modico fructu profuturam esse innuit. Obs. XIV titulum *semper Augusti*, quo hodienum utuntur Imperatores Romani, perperam in lingua vernacula efferri autumat per *allezeit Mehrer des Reichs*, cum Augustus non tam ab auctu, quam ab augurio dicatur, & Augustus idem sit ac sanctus; unde, si rem accuratius pensitare velis, Imperator semper Augustus eadem ratione dicatur ac sacrum Romanum Imperium, & sanctum potius, quam augentem denotet, meliusque transferatur *allezeit geheiligter Kayser*. Observatio XV vitam, mortem ac scripta Hugonis Grotii exhibet. Obs. XVI Imperatores, post renunciationem ab Henrico V fa-

ctam Calixto Papæ, jus in Episcopos Germaniæ haud perdidisse, probatum dat. Decima octava Jo. Launoji Dissertationem de vera causa secessus S. Brunonis in eremum approbat, & quicquid de Doctoris illius aut Canonici Parisiensis horrendis in feretro vocibus: *justo Dei judicio accusatus sum, judicatus sum, damnatus sum!* tradatur, fabulis accenset. Vigesima prima atque ultima Alexandri Alesii vitam exponit.

NOVA LITTERARIA.

Quantos in Ecclesia Gallicana motus libellus quidam, Resolutionem Casus Conscientiæ complexus (*Cas de Conscience proposé par un Confesseur de Provence, touchant un Ecclesiastique qui est sous sa conduite, & resolu par plusieurs Docteurs de la Faculté de Theologie de Paris*) nuper concitarit, publice constat: ast originem controversiæ ac momenta non omnes forte exacte habent cognita. Tametsi enim totius negotii Historia in Novis Reipublicæ Literariæ (*Nouvelles de la Republique des Lettres*) Jacobi Bernardi, quæ per mensium intervalla Amstelodami eduntur, mense hujus anni Majo pag. 335-349, & plenius in Commentariis Historiæ Scientiarum & Bonarum Artium componendæ inservituris (*Memoires pour l'Histoire des Sciences & des Beaux Arts*) qui in Gallia a Jesuitis Trevoltiensibus vulgati, Amstelodami post cum luculentis accessionibus recuduntur, mense Martio p. 206-215, Aprili p. 297-314, Majo p. 372-377, exposita prostat; multos tamen esse non dubitamus, qui aut Gallice nesciunt, aut non mature satis libros hosce nanciscuntur; quorum proinde in gratiam, de ista quædam edisserere non gravabimur. Clericus quidam in Provincia, ab aliis apud Confessarium suum in suspicionem novarum & singularium circa sacra opinionum adductus erat. Confessarius, quod absolutionem largiri homini hæreseos suspecto religioni duceret, nec inauditum tamen condemnare vellet, privatum cum eo colloquium instituit, utque mentem ejus accurate exploraret, quæstiones ipsi de novem capitibus, in quibus erroneæ doctrinæ insimulatus erat, nempe de quinque Propositionibus Jansenii, de Prædestina-

natione & Gratia, de Amore Dei, de sufficientia aut insufficientia Attritionis, de modo assistendi Missæ, de cultu Sanctorum & inprimis B. Mariæ Virginis, de conceptione immaculata B. Virginis, de libris quibusdam a Jansenistis editis, deque traductione Novi Testamenti in linguam vulgarem, & Montensi inprimis, proposuit. Cum ad singulas sincere Clericus respondisset, mentemque suam distincte aperuisset, Confessarius tamen suo judicio diffisus, & num absolutionem deinceps delicta pro more confessuro largiri possit, nec ne, dubius, Casum conscientiæ formavit, decidendumque commisit Sorbonæ, transmissis clerici ad interrogata sua responsis, seque, quomodo gerere se deinceps debeat, instrui petiit. Re in Sorbona proposita, a quadraginta illius Doctoribus statutum fuit, opiniones istius clerici nec novas esse, nec singulares, nec ab Ecclesia damnatas, nec denique tales, ad quas deferendas adigi clericus debeat. Cum vero decretum istud quadraginta Doctorum, subscriptis cujusque nominibus, publicatum esset, indignationem id haud levem concitavit apud alios, Jesuitas præcipue, ut apparet, quod in eo Romani Pontificis auctoritas labefactari, & sopita dudum de quinque propositionibus Jansenii controversia resuscitari videretur: ut jam complusculi libelli in quadraginta Doctores magna cum acerbitate invectivi prodirent, resque ad gravissimas contentiones spectaret. Tandem Resolutio illa Casus Conscientiæ Romæ a Pontifice *Clemente XI*, die hujus anni 13 Februarii, solenni ritu damnata fuit ac prohibita, literis insuper ad Galliæ Regem datis, quibus ut severo supplicio in auctores illius, homines novarum rerum cupidos, Janseniique hæreticis dogmatibus haud occulte faventes, constitutionesque Apostolicas per captiosas subtilitates eludentes, animadverteret, Regem Pontifex adhortabatur. Ejusdem mensis die vigesimo secundo, Archiepiscopus quoque Parisiensis, *Ludovicus Antonius* Cardinalis de Noailles, decretum promulgavit, quo & ipse Resolutionem quadraginta Doctorum condemnabat, sed ita, ut simul damnaret libellos famosos & injurios, qui oppositi illi fuerant, omnibusque pacis & concordiæ studium justo zelo commendaret. Quadraginta vero Doctores retractare scripto priorem sententiam, decreto Archiepiscopi se sub-

mittere, ac pœnitentiam de Casu Conscientiæ signato testari jussi sunt, qui & , ne lautis, quibus fruebantur, beneficiis exciderent, paruere, tribus tamen, *Ludovico Ellies Du Pin* Theologiæ in Collegio Regio Professore, cujus multoties in his Eruditorum Actis facta fuit mentio, *Petitpied* Professore itidem Sorbonæ & librorum Censore, ac *Guestono* Canonico Abbatiæ S. Victoris, exceptis, qui cedere muneribus suis ac reditibus, & abire in exilium maluerunt, quam revocare sententiam, præmissa matura deliberatione semel dictam. Hæc rei gestæ qualiscunque est narratio. Ut pateat, quid admissum a clerico illo & Doctoribus fuerit tam severa censura dignum, necesse non arbitramur, ut integra Casus Conscientiæ Discussio hic legatur. Etsi enim Reverendissimus Archiepiscopus quosdem e reliquis etiam articulis contradictionum, expressionum reprehensibilium & in S. Sedem contumeliosarum insimulet, non docet tamen, quosnam eorum intellectos velit. Primum autem articulum cum inprimis atro carbone notaverit, eum Latine redditum non possumus non hoc loco exhibere. Interrogatus nempe de quinque propositionibus Jansenii famosis clericus profitetur, *semet condemnare eas, & condemnasse semper, pure etiam & sine restrictione, omni sensu, quo condemnaverit eas Ecclesia, etiam in sensu Jansenii, prout eum Innocentius XII in suo ad Episcopos Belgii diplomate explicavit. Subscripsisse se formulæ, cum id a se exigeretur, ejusque rei scriptum testimonium possidere. Quantum ad factum Jansenii, uti juxta decretum Domini de Perefixe* (Archiepiscopi quondam Parisiensis) *aut malitiosum esse oporteat, aut rudem, qui censeat, Ecclesiam parem fidem de facto, quam de jure exigere; ita se non pari fide amplecti decisionem de facto, quam decisionem de jure, in condemnatione quinque propositionum, sed sufficere submissionem reverentiæ* (de respect) *& silentii erga id, quod de facto Ecclesia decidit, & quamdiu juridice convinci ipse nequeat, quod ullam propositionum condemnatarum defenderit, non debere se inquietari, aut religionem suam haberi suspectam, cum Innocentius XII, in diplomate ad Clerum Gallicanum, proxima Synodo comprobato, id prohibuerit.* In hoc ergo articulo quid peccatum a clerico, & qui illum approbarunt, quadraginta Doctoribus fuerit, dijudicandum nos

nos aliis harum rerum peritioribus relinquimus. Sepultam vero plane Jansenisticam controversiam omnem cupere Galliarum Regem, nemo ignorat, qui publicis edictis severe prohibuit, ne de ea in quamcunque partem aut modum disceptetur; ut adeo ab omni culpa Doctores isti, publicato intempestive suo de quæstione ad Jansenismum spectante judicio, immunes forte videri queant non fuisse. Num vero Clerus Galliæ infallibilitatem, etiam in quæstionibus facti, Romano Pontifici hodie vindicare tanto zelo velit, ut iis, qui agnoscere eam nolunt, dissensus exilio luendus sit, cum olim ne in quæstionibus quidem fidei irreformabilem eam censuerit, nos non definimus. Unum superest, quod dissimulare nolumus, ex decreto Archiepiscopi haud obscure intelligi, Doctoribus Sorbonicis generatim quoque vitio verti, quod oblatum sibi a Confessario Casum Conscientiæ ausi sint decidere; cum id potius ad cujusque Diœceseos Episcopos pertineat, ad quos in casibus extraordinariis, tam in doctrina quam disciplina obviis, decidendis omnibus sit confugiendum.

Cum hæc literis consignassemus, in manus forte nostras Novorum Reipublicæ Literariæ (*Nouvelles de la Republique des Lettres*) Mensis proximus Julius incidit, ex quo pag. 111 cognovimus, Pontificem Romanum aliis literis gratias egisse Regi Christianissimo, quod punire Approbatores illos Casus Conscientiæ sustinuerit, ac speciatim acerrimum in Ludovicum Ellies Dupin odium prodidisse, utpote quem non dubitaverit *nequioris doctrinæ hominem, temerataque pluries Apostolicæ Sedis dignitatis reum* appellare; ut adeo palam sit, non nuper demum, sed dudum, scriptis aliis in lucem editis, Dupinium Romanæ Curiæ iram provocasse. Severissimo etiam supplicio pag. seq. typographus Morellus (*Moreau*) affectus memoratur, quod Casum Conscientiæ sine permissione Magistratus, cujus consensus requirendus est, typis impresserit; ad multam nempe mille librarum condemnatus, & jure artem typographicam exercendi, seu Magisterio suo (*maitrise*) cum omni posteritate sua dejectus, typographia insuper ejus & re libraria fisco addicta. Cui relationi si adhibenda fides, patet, quanto rigore in Gallia hodie id agatur, ut Jansenismus omnino eradicetur.

NOVI

LIBRI NOVI.

Novum Testamentum una cum Scholiis Græcis, e Græcis Scriptoribus, tam Ecclesiasticis quam exteris, maxima ex parte desumptis, opera & studio Joannis Gregorii. Oxonii e Theatro Sheldoniano, impensis Tho. Bennet, Bibl. Lond. 1703. fol.

Le Nouveau Testament traduit sur l' original Grec, avec des Remarques, où l' on explique le texte, & où on rend raison de de la version. Par Jean Le Clerc. A Amsterdam, chez J. Louis de Lorme, 1703. 4.

Ezechielis Spanhemii, Liberi Baronis & Legati Regii, Orbis Romanus, seu ad Constitutionem Antonini Imperatoris, de qua Ulpianus Leg. XVII Digestis de Statu Hominum, Exercitationes duæ. Londini, apud A. & J. Churchill, 1703. 4.

Etymologia Sacra Græco-Latina, seu e Græcis fontibus deprompta, e lucubratione P. Nicolai du Mortier, Clericorum Regularium ministrantium infirmis Theologi & Generalis. Romæ, ex typographia Jo. Jac. Komarek, 1703. fol.

D. Johannis Bohnii, Professoris Lipsiensis, de Officio Medici duplici, Clinici nimirum ac Forensis: hoc est, qua ratione ille se gerere debeat penes Infirmos pariter, ac in Foro, ut Medici eruditi, prudentis ac ingenui nomen utrinque tueatur. Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch, 1703. 4.

Joannis Raji, Societatis Regiæ Socii, Methodus Plantarum emendata & aucta. Accedit Methodus Graminum, Juncorum & Cyperorum specialis. Londini, apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1703. 8.

Histoire de l' Academie Royale des Sciences. Pour l' Année 1700. Avec les Memoires de Mathematique & de Phisique pour la même année. Tirés des Registres de cette Academie. Par Mr. de Fontenelle. A Paris, chez Jean Boudot, 1703. 4.

ERRATA.

P. 176. l. 31. post *lege* inseratur *communicabit*. P. 226. l. 6. post *&* 19. inf. *tabulis*. P. 227. l. 6. post *bina puncta*, inf. *linearum a vertice ductarum*. P. 228. l. 6. lege *intersectionem*. P. 229. l. 19. pro *punctis* lege *puncta*. P. 230. l. 16. post *semiordinata* inf. *in Parabola*. P. 231. l. 16. post *partis* inf. *alterius*. P. 232. l. 26. pro *secent* lege *secare*. P. 233. l. 19. post & inf. *a*. P. 368. l. 23. pro *Act. II. 18.* lege *Act. I. 18.*

* * * * * *

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Septembris, Anno M DCC III.

CODEX APOCRYPHUS NOVI TESTAMENTI, collectus, castigatus, testimoniisque, censuris & animadversionibus illustratus a JO. ALBERTO FABRICIO, SS. Theol. D. Prof. Publ. & h. t. Gymnasii Hamburgensis Rectore.

Hamburgi, apud Benj. Schillerum, 1703. 8.
Alphab. 3, plag. 2.

Ne innumeris aliis hominibus tempus terendum esset in fabulis apocryphis, aut per mille scriptores notandis, aut ad examen revocandis, uno hoc volumine collectas eas falsitatisque convictas, in Ecclesia Christi, tanquam anathema quoddam, suspendere, testimoniisque prius & censuris haud inficiandis confossas veluti dilacerare, atque ita ad usum Canonicæ autoritatis, quam invadere voluerunt, ineptas reddere (ad eum fere modum, quo Hesychius testatur, vestes, quæ ex spoliis vel aliunde Diis devotæ suspensæ olim fuerint, prius solitas fuisse conscindi ac dilacerari, ne humanis usibus amplius paterent,) laudabiliter studuit Maxime Reverendus Fabricius, qui suum isthoc propositum in præfatione adversus nonnulla, quæ objici fortassis possent, argumenta solide vindicat. In duas autem partes volumen præsens dispescuit, quarum prima exhibet Evangelia apocrypha, sive scripta subdititia de Christo, ejusque genere, parentibus, dictis, scriptis; secunda vero sistit, quæcunque de Apostolorum doctrina, miraculis, vita, epistolis, aliisque eorum nomini tributis scriptis, pari fide ac fronte variis temporibus conficta ac supposita fuerunt. Ubivis de cætero testimonia

varia, vetera æque ac recentiora, Vir solertissimus præmisit, censurasque in apocrypha hæc scripta exercitas nuspiam reticuit, quin & animadversiones suas eruditissimas largo numero passim inseruit.

Tomum primum auspicatur ab Evangelio de nativitate S. Mariæ, jactato olim sub falsis nominibus scriptoris S. Matthæi Evangelistæ, & interpretis S. Hieronymi, qui illud ex Hebraico verterit, donaveritque interpretatione liberiore Latina; cui mox ad latus jungitur Protevangelium, Jacobo, cognomento Justo, Fratri Domini adscriptum, idque non Græce solum, sed & Latine, retenta quidem versione Guil. Postelli, a Theodoro Bibliandro primum cum notulis quibusdam marginalibus edita, & in Orthodoxographis Jo. Heroldi iterum vulgata, ita tamen, ut ubi plura in Græco sunt, ea Fabricius Noster ediderit Latine alio charactere; ubi versio Postelli quædam adjecit, ea incluserit cancellis; & ubi alius ab hoc sensus exhibetur, de eo in notis suis disseruerit. Sequitur tertio loco Evangelium Infantiæ Christi, adscriptum Thomæ Apostolo, Græce, cum versione Jo. Baptistæ Cotelerii; itemque liber ejusdem argumenti, ex Arabico translatus ab Henrico Sikio; sub cujus calcem specimen quoddam Noster adponit ex libro Infantiæ, versibus Germanicis ante tria vel quatuor secula descripto, quem passim in bibliothecis manuscriptum occurrere testatur. Quartum Evangelium est istud, quod vulgo tribuitur S. Nicodemo, quodque pluribus in codicibus manuscriptis inscribitur: *Acta Pilati de passione & resurrectione Jesu Christi*; una cum epistolis eidem Pilato adscriptis ad Claudium (Tiberium puta) Imperatorem, & Lentulo, ad Senatum Romanum; prout & in addendis sub calcem universi operis Ἀναφορὰν Πιλάτου πρὸς Τιβέριον, ex codice Colbertino secum communicatam, Græce & Latine legendam dat. Ad allatum vero *Justini Martyris* de Pilati Actis testimonium observat Noster, haud dubium esse, quin Pilatus ad Tiberium Imperatorem referre debuerit, atque adeo retulerit, quæ circa Christum gesta fuerint; quippe cum hic mos Præsidum provinciarum ex Plinii ad Trajanum epistolis, multisque aliis monumentis constet. Utrum vero ista, quæ in Actis Pilati extitisse perhibeat Justinus, etiam vere fuerint in commentariis a Pilato

Pilato ad Imperatorem missis, & unde commentarii illi in vulgus manaverint, altioris esse ait indaginis. Credibile sane existimat, Christianos quosdam ejus ætatis, qui pessimo consilio, sub Apostolorum, sub Sibyllæ, Hermetis & similium nominibus scripta supposuerint, etiam sub Actorum Pilati titulo fucum facere ausos fuisse, atque ita fecisse, ut Justinum, Tertullianum, aliosque deceperint. Neque tamen vel Epistolam Pilati, vel Acta extitisse primum evulgata sic, ut in manibus hominum versarentur, Casaubono adstipulatus judicat, cumque ipso notitiam hujus rei pervenisse putat ad Christianos per aliquem e Cæsarum ministris, qui ad Christum conversus, quæ ipse, scrinia tractans Augustorum, comperisset, fidelibus narraverit. Cui addit, rem amplificatam deinde dicendo scribendoque, donec Acta denique ejusmodi literæque Pilati, per Christianos confictæ, & jactatæ fuerint pro genuinis monumentis. Cæterum omnia, quæ in Actis Pilati lecta esse veteres referant, hodie legi observat in Evangelio, quod heic sistitur, Nicodemi, unde Acta Pilati commentitia hoc ipsum vel plane simile fuisse scriptum, non absurde colligas, ad mentem eorum, qui talia in commentariis Pilati putabant contineri, antiquissimis temporibus expressum.

Sequuntur duæ Editoris nostri dissertationes peculiares, altera de scriptis, quæ ad Jesum Christum, Servatorem nostrum, tanquam autorem relata sunt; altera de dictis ejusdem, quæ in quatuor Evangeliis Canonicis non commemorantur. In priori, præter scripta alia a Patribus, tanquam quæ Christo supposita fuerint, allegata, literarum imprimis Christi meminit, quas cœlo delapsas nugivenduli finxerint. Nec Liturgiam Salvatori tributam præterit, epistolamque ejus ad Abgarum Edessæ Regem, post hujus literas ad Christum, similiter in medium producit. In posteriori dicta Christi, præter autoritatem librorum canonicorum circumferri solita, triplicis esse notat generis; aut enim in paucis quibusdam Evangeliorum Canonicorum codicibus adsuta fuisse dicit, ex apocryphis, ut par sit credere, Evangeliis; aut allegari a Patribus, verba Evangelistarum non recte memoria tenentibus, aut de industria interpolantibus, aut interpolato codice usis; aut denique a vetustis scriptoribus, e traditione vel apocryphis scriptis,

tanquam Christi dicta proferri. E singulis classibus exempla non una citat, egregieque eadem illustrat.

Sed hactenus exigua tantum Evangeliorum apocryphorum sylloge comparuit, quandoquidem nunc notitia & fragmenta aliorum circiter quadraginta subnectuntur. Equidem tituli suppeditantur quinquaginta, quorum tamen plures interdum unum scriptum designant; unde singulis genuinis Evangeliis dena propemodum respondere Maxime Reverendus Autor fecit apocrypha, eaque ordine alphabetico disposita. Sunt inter hæc Evangelium secundum Ægyptios, Evangelium æternum, Evangelium Andreæ, Apellis, duodecim Apostolorum, S. Barnabæ, S. Bartholomæi, Basilidis, Cerinthi, Desposynorum narratio de genere Christi, Ebionitarum Evangelium, Evangelium Encratitarum, Evæ, Gnosticorum, Evangelium secundum Hebræos, S. Jacobi Minoris Prot-Evangelium, S. Johannis liber de transitu S. Mariæ, Evangelium Judæ Ischariothæ, Leucii, Marcionis, Mariæ interrogationes majores & minores a Gnosticis confictæ, e quibus Epiphanius nonnulla afferat, sed tam turpia, obscœna ac plena blasphemiæ, ut illa describere Noster abhorruerit; Evangelium Matthæi Hebraicum, quo usi Nazaræi, Narratio sub Justiniano Imp. reperta de genere Christi, Evangelium Pauli, Petri, Philippi, ut alia taceamus.

Tomo voluminis secundo quæ antefixa est præfatio, pauca esse observat, quæ de Apostolis, neque universis illis, sed duobus fere tantum, Petro ac Paulo, Ecclesiæ reliquerit certa atque indubitata divinus scriptor Lucas, indeque fabulis illum supplere defectum, & erroribus, majorine, dubium, audacia an impietate, multi voluerint, diverso licet consilio, aliis infelicius & majori libidine hæreses fabulis miscendi, aliis majori specie & frequentioribus veri vestigiis ex traditione utcunque petitis, omnibus temeritate æquali ac detestanda agentibus. De Actibus vero Apostolicis Deo adspirante a Luca scriptis annotat, Lucam plerisque, quæ in illo libro exponantur, ipsum interfuisse, secus, ac autor synopseos Scripturæ (quæ, non indigna alioqui tanto scriptore, feratur sub nomine Athanasii,) existimet, quod Lucas quidem Acta conscripserit, sed Petrus Apostolus eadem dictaverit. Librum interim

interim hunc, post Paschatos festum, in veteri Ecclesiâ quotannis, instituto laudatissimo & convenientissimo, prælectum fuisse innuit, atque his prælibatis denuo ad apocrypha sua pergit.

Maximam horum partem conficiunt Acta Apostolorum, sive Historia certaminis Apostolici, adscripta Abdiæ, primo, ut ferunt, Babyloniæ Episcopo, & distributa in libros decem, quos integros Noster huic corpori inseruit. Dum autem inter testimonia & censuras, de historia hac a variis olim prolatas, Christianum quoque Daumium allegat, in editione novissima Bibliothecæ Patrum Lugdunensi Abdiam Babylonium desiderantem, etiam in aliis Bibliothecarum Patrum editionibus eundem desiderari notat, unde fallantur, qui eum ibi extare affirment, Viri docti, Phil. Labbeus, Theoph. Spizelius, Lud. Ellies du Pin, Caveus, Petrus Baylius, aliique, sive conjecturæ suæ, sive aliorum non examinatis testimoniis hoc tribuentes.

Abdiam excipiunt Notitia & Fragmenta Actuum Apostolicorum apocryphorum, alphabetico ordine digesta, ubi de Achajæ Presbyterorum & Diaconorum Epistola de Passione S. Andreæ, de S. Andreæ Actis, Clementis Romani Actis Petri, de Actis Apostolorum, quibus usi sunt Ebionitæ, Actis Johannis, Leonidæ & Nexocharidis sive Xenocharidis Actis sub nomine Andreæ Apostoli editis, de Lini Passione Petri & Pauli, anonymi Historia S. Marci Evangelistæ, Jo. Marci Passione S. Barnabæ, Melliti Passione Johannis Evangelistæ, de Actis Pauli, itemque Pauli & Theclæ, Actis Petri & Philippi, de Polycratis Vita Timothei, Prochori Historia de Johanne Evangelista, de Itinerario S. Apostoli Thomæ, similibusque haud proletaria cum erudito Lectore communicantur.

Post Acta isthæc spuria, in scenam prodeunt Epistolæ apocryphæ, utpote S. Mariæ virginis ad Ignatium, Messanenses & Florentinos, Latine; S. Pauli una ad Laodicenses, Latine, cum Græca Eliæ Hutteri versione, ejusdemque Pauli sex ad Senecam Philosophum, Latine; S. Petri ad Jacobum, Græce, cum versione Jo. Baptistæ Cotelerii; S. Johannis ad hydropicum quendam, Latine. Ut taceamus succinctam de aliis epistolis & scriptis apocryphis Apostolorum commemorationem, quæ obsignatur sen-

sententiis ex Clementis Recognitionibus, Abdia, & Vincentio Bellovacensi collectis, quas Latine & Germanice, cum Epistola Pauli ad Laodicenses, Hamburgi A. 1595 Stephanus Prætorius edidit, splendidoque titulo *Fragmenta Apostolorum* insignire haud dubitavit.

Agmen claudit Dodecas Apocalypseon apocrypharum, quas inter primum locum obtinet liber quartus Esdræ, in hanc classem ideo relatus, quod totus complectatur visiones factas, uti Autor, quisquis fuerit, præ se ferat, Esdræ vati, sed, ut res ipsa loquatur, scriptas a Christiano quodam ex Judæo, adeoque temporibus Christianismi; quanquam non diu post Christi resurrectionem exaratas eas fuisse indicio sit, quod in Barnabæ epistola verba quædam hinc produci videas. Hinc sequuntur Revelationes Patriarcharum & Prophetarum ab Hieronymo memoratæ; Apocalypsis S. Petri, Pauli Ἀναβατικὸν, Apocalypsis & Visiones, S. Johannis Apocalypsis diversa a Canonica, Apocalypsis Cerinthi, & Apocalypsis miraculosis Cæcilii commentariis illustrata, S. Thomæ porro & Stephani Proto-Martyris Apocalypses, & Hermæ denique Pastor, qui hujus generis scriptis ea propter accensetur, quod non tantum libro primo quatuor comprehendit visiones, sed & duodecim mandata, quæ libro secundo, & decem similitudines, quæ libro tertio occurrunt, ex ore Angeli, qui habitu Pastoris ista æque ac has dictarit, promanasse perhibentur.

Cuicunque ergo campum hunc levi modo penicillo a nobis adumbratum ingredi allibuerit, non mediocri voluptate se perfundi sentiet, quam & scriptorum heic repetitorum commemoratorumve creabit varietas, & notarum augebit multitudo, qua legentes cumulat Maxime Reverendus Editor; cui omnes boni proinde vitam otiumque & vires apprecabuntur, ut volumen quoque Apocryphorum Veteris Testamenti, quod itidem promittit, & cujus illustre specimen jam A. 1691 edidit, (laudatum in Actis nostris A. 1697. p. 109) simili ratione perpolitum dare valeat.

VIN-

VINCENTII GRAVINÆ DE ORTU ET PROgressu Juris Civilis Liber, qui est Originum Primus. Ad Clementem XI. Pont. Max.

Neapoli ex officina Bulifoniana, 1701, 12.

Plag. 22.

SI qui sunt ex JCtorum ordine, qui Acta hæc nostra legere sustinent, eos meminisse eorum necesse est, quæ de consultissimi hujus & elegantissimi Scriptoris opusculis, A. 1696 Romæ editis, mense Februario anni 1697, p. 74 sqq. diximus. Primum nempe eorum *Specimen* erat *pristini juris*, prægustum velut quendam exhibens trium de Originibus Juris Civilis librorum, quos componere jam tum eruditissimus Autor constituerat. Eorum vero dum primum, qui nunc demum ad nos pervenit, ante biennium luci publicæ exposuit, & spem nostram de hoc opere conceptam tantum non superavit, & cupiditatem incendit duos etiam reliquos Originum libros propediem conspiciendi. Adeo enim, quæ a cupida legum juventute prænosci par est, antequam ipsi Juris Civilis studio se mancipet, solide & graviter ornateque proponuntur, ut optemus librum, cujus exempla ægre hac tempestate comparari ex Italia possunt, nostratibus typis recudi, quo frui illo omnes possint, atque ex diligenti ejus lectione, tum præcognita Romani juris & JCtorum omnis ævi notitiam hauriant, tum simul tersæ puræque Latinitati, qua Gravinam pollere nemo negaverit, assuefiant.

Præmittitur Operi, post dedicatoriam ad hodiernum Pontificem Epistolam, elegantissima Præfatio, quam legi integram a juris studiosis cupimus. In opere ipso, primum Reipublicæ Romanæ veteris faciem, tum qualis sub Regum imperio fuit, tum qualis post ejectos Reges divisamque majestatem, cum regiam potestatem Consules, Senatus aristocratiam, Tribuni cum plebe popularе regimen repræsentarent, accurate prolixeque describit. Inde, quæ legum ferendarum ratio, a primis Imperii incunabulis fuerit, exponit. Unde de Jure Papyriano, leges a Regibus conditas complexo; de Legibus XII Tabularum, post exstinctam Monarchiam, a Decemviris, partim ex Jure Papyriano, partim ex Græcorum & Atheniensium præcipue institutis, compositis; de Ple-

Plebiscitis; de Senatusconsultis; de Jure Flaviano, ex formulis ritibusque solennibus judiciorum collecto; de Edictis Magistratuum, Responsis JCtorum, Principum Rescriptis similibusque eleganter disseri videas: etsi id argumentum secundo atque tertio Originum libris copiosius explicabitur.

Inter hæc dum ex Græcorum Philosophia in Jus Romanum haud pauca dogmata derivata innuitur, Stoicam inprimis JCtis probatam Auctor Clarissimus memorat, quod Zeno minus, quam aliæ Philosophorum sectæ, a rebus gerendis alumnos suos revo-
p. 98. caret. Non gravabimur exempla quædam ex Auctore adduce-
103. re. Hominem in fructu esse, negarunt JCti, quia Stoici docebant, omnes rerum fructus hominis causa a natura comparatos. Usuras Stoici vocarunt humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina: JCti dixerunt, usuras natura non provenire, sed percipi lege. Fœtum in utero matris non animal, sed portionem ventris materni, cum Stoicis JCti plerique statuerunt. Proculiani inprimis, ex Antistii Labeonis disciplina profecti, ex Stoicorum sententia sæpe pronunciarunt. Itaque in ea quæstione, num artifex sit speciei dominus, an qui materiæ dominium habet, Proculiani steterunt pro artifice, quod juxta Stoicorum doctrinam res non tam materiæ, quam formæ, ejusque conditori essent adjudicandæ. Licuit per Stoicos angorem animi voluntaria morte effugere: licuit idem per Proculianos, siquidem Neratius, qui erat ex illa familia, lugeri vetuit eum, qui sceleris conscientia mortem sibi conscivit, non qui tædio vitæ. Stoici omnia peccata censebant æqualia; similiter Trebatius Labeonis doctor eum, qui aurem alicujus tangeret, totum attigisse corpus, & qui dolium aperiret, indeque parum vini auferret, non ejus tantum, quod abstulit, verum etiam totius furem esse, pronunciabat. Castratos Proculiani æque ac Stoici pro imperfectis & morbosis habebant: itaque si emptor ignorasset, castratum hominem a se emptum, Labeo Proculianorum princeps redhibendum censuit, veluti morbo affectum.

p. 104. sqq. Cæterum Jurisprudentiæ apud Romanos quatuor periodos seu genera, a variis ducta temporibus, Gravina constituit, antiquum, medium, novum, & novissimum, singulaque dein, inter-
mixta

mixta JCtorum, qui sub quoque floruerunt, Historia, latius persequitur. *Antiqua* Jurisprudentia, aspera illa Auctori & tenebricosa ac tristis, ab origine Imperii usque ad Ciceronis fere ætatem porrigitur, a Coruncano, qui primus Juris civilis professionem dicitur ingressus, Sexto & Publio Æliis, P. Mutio Scævola, Manlio Torquato aliisque exculta. *Media* superiori longe humanior, & quæ magis utilitate communi, quam potestate verborum negotia moderata est, legesque veteres ad lenitatem flexit, a Ciceronis pueritia ad Augusti usque Imperium viguit, quam P. Rutilius Rufus, Q. Ælius Tubero, Sextus Pompejus Cnei patruus, Q. Mutius Scævola uterque, C. Aquilius Gallus, L. Lucilius Balbus pluresque alii illustrarunt. *Nova* ab Augusti Imperio ad Justinianum usque extenditur. Sub Augusto enim magis magisque Jurisprudentia effloruit, sed & in duas mox scissa fuit sectas, Antistio Labeone & Attejo Capitone auctoribus; quorum hic, quæ a majoribus tradita fuerant, constantius tenebat, religionemque vetustatis tuebatur: ille plus indulgebat ingenio, propriæque sapientiæ nixus, libertatis novitatem asserebat. Et Labeonis quidem scholam Nervæ, pater & filius, Licinius Proculus, a quo Proculianorum nomen huic familiæ illatum, Pegasus, Celsi, pater & filius, ac Neratius Priscus: Capitonis vero Masurius Sabinus, C. Cassius Longinus, a quo schola tota Cassinianorum deinceps dicta, Cœlius Sabinus, & Priscus Javolenus propagarunt, donec paulatim, post Antonini Pii Imperatoris tempora, sectarum studia quieverunt. Prolixum foret recensere JCtos singulos, qui exinde usque ad Justinianum famam consecuti sunt: etsi quæ de singulis jam breviter, jam uberius ab Auctore tradita sunt, perlegere jucundum æque ac utile Juris Romani & Historiæ cultoribus futurum sit. Itaque ad *novissimam* Jurisprudentiam a Justiniano Imperatore conditam, aut in meliorem & breviorem ordinem digestam, prætermissa Auctoris digressione, qua de Imperatorum Romanorum summo jure variisque muneribus pulchre differit, progredimur. Hic enim, cum jam veteres leges & JCtorum libri nimia mole laborarent, inque iis obsoleta multa continerentur, ut juventus tanta librorum strue ac lectionis varietate tantum non opprimeretur, isti malo mederi, jusque brevius & expediti-

p. 156. sqq.

p. 183. sqq.

us reddere constituit, Triboniani (cujus æque ac Justiniani ipsius laudes ita Noster prædicat, ut nec vitia dissimulet) inprimis opera usus. Itaque ex tribus, quorum tum usus erat, Codicibus, Imperatorum usque ad Theodosii Junioris tempora constitutiones continentibus, Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano, aliisque constitutionibus postea exortis, Codicem suum componi edique Justinianus curavit. Tum ex veterum JCtorum voluminibus, quorum jam duo millia numerabantur, decerpi ea tantum, quæ usum haberent, unoque opere comprehendi jussit, quod Pandectas ac Digesta vocamus, abscissis abjectisque reliquis. Quo ipso sublevata quidem juventutis studia fuisse, ita agnoscit Autor, ut jacturam tamen tot antiquorum voluminum ægre ferat, & expressis verbis fateatur, Justinianum *subductis primævæ Jurisprudentiæ capitibus, extinctaque originum luce, eam juri civili nubem offudisse, ut vix veterum Historicorum, Poëtarum & Oratorum lectione atque eruditorum interpretum industria & acumine diluatur.* De Libris Institutionum elementa Jurisprudentiæ complexis, Justiniani itidem auspicio compositis; de Codice quinquaginta decisionibus aucto & emendato, publicaque auctoritate, abrogato priori, confirmato, quem *repetitæ prælectionis* vocant; de Novellis Constitutionibus seu Authenticis, quæ & ipsæ Corpore Juris Justinianei continentur, dicere supersedemus, vitandæ prolixitatis studio. Tametsi vero Justinianei illius Juris auctoritas aliquamdiu duraverit, recedente etiam paulatim Latinæ linguæ usu in Aula Imperatorum Orientis, Pandectæ, Codex & Institutiones in Græcam linguam fuerint translatæ, Basilius Macedo tamen Imperator, ut Justiniani nomine depresso, suum attolleret, exclusa prorsus Latina & Justinianea Juris editione, novum Corpus e Novellis, Digestorumque & Codicis versionibus Græcis concinnari jussit, a filio ejus Leone postea absolutum, quod a Basilio librorum Βασιλικῶν nomen adeptum est, ac in Oriente ad finem usque Imperii Græci & expugnatam a Turcis Constantinopolin, auctoritatem retinuit. Ita in Oriente Justinianei Juris dignitas mox eviluit, ut tantum non cum auctore suo Justiniano eodem funere elatum videri possit: nec mitius ejus in Italia fatum fuit, quæ postquam majestate simul ac legibus exuta suis, barba-

ba-

barbarum gentium jugum subiisset, non potuit non earundem quoque leges admittere: donec tandem, Lothario Saxone Occidentis Imperatore in Apulia adversus Rogerium bellum gerente, Amalphi A. 1130 inopinato reperti fuerunt Digestorum Justinianeorum libri; quod exemplar Pisanis quidem tum permissum, postea Florentiam pervenit, ubi hodieque in Museo Serenissimi Magni Ducis sancte asservatur. Ita, postquam Ravennæ Codex etiam Justinianeus inventus esset, ceterique libri in lucem protracti, resuscitatum, quod tenebris sepultum tamdiu fuerat, Juris Justinianei Corpus, summo cum applausu exceptum fuit, ab Italis cumprimis, quorum studia ad interpretationem atque usum illius continuo exarsere, ab Imperatore Lothario, sublatis Longobardorum legibus, approbata.

His digne enarratis, progressum studii ac culturæ Juris hujus Nobilissimus Auctor exponit, & quatuor iterum scholas, uti superius quatuor Jurisprudentiæ ætates, distinguit. *Prima* ipsi *Irneriana* est, Bononiæ in Italia Imperatoris Lotharii auspiciis ab Irnerio, seu Vernerio, cui, judice Gravina, integritatem & vitam velut suam acceptam refert Jurisprudentia, aperta; sed quæ renatis recenter legibus summa religione parebat, nihil sibi amplius in jure interpretando permittens, præter breves titulorum aut legum summas, & verborum expositiones, quibus obscuriorem legum sensum recludebat. Ex ea prodiere Martinus Cremonensis, ejusque æmulus Bulgarus, Hugolinus, Pyleus, aliique, quos inter Azo facile eminuit. *Alteram* scholam ab Accursio ex Azonis disciplina profecto Auctor auspicatur, cujus laborem ac industriam deprædicat, graviter indignatus illorum insolentiæ ac intemperantiæ, qui exagitatis Viri erroribus, quorum immunis pro ista temporum ratione esse non potuit, gloriolam aucupantur, meritorum ejus obliti. *Accursiana* ergo illi audit, quæ liberiorem ac uberiorem juris cœpit explicationem, quam ausi Irneriani fuerant, modestam tamen, quam Dinus, Bartholomeus a Capua, Petrus de Bella Pertica, Cinus Pistoriensis, Albericus de Rosata, aliique plures, ad Bartolum usque Cini discipulum, novæque classis JCtorum principem propagarunt. *Tertia* ergo *Bartolina* fuit, quæ cum profusa commentandi libidine, & Dialectica- p. 207. sqq.

rum subtilitatum consectatione, ac Historiæ veterumque morum, pro temporum illorum infelicitate, ignorantia, conjunctum tamen habuit studium indagandi æqui bonique naturam, solutisque tot quæstionibus in foro emergentibus, non contemnenda Jurisprudentiæ commoda attulit, & Baldum, Paulum Castrensem, Alexandrum Tartagnum, Jasonem Maynum, aliosque magistros celebrat. Verum enim vero, cum ab Irnerio usque ad hæc tempora, non nisi hyems Jurisprudentiæ fuisset, quarta denique schola Gravinæ tranquilla & serena Jurisprudentiæ dies audit, cujus luce, difflatis barbariæ nubibus, sincerus Romani juris aspectus patuerit, quam a præcipuo conditore *Cujacianam* appellat. Tametsi enim non dissimulet, jam Alciati ingenio & industria Jurisprudentiam in primæva eruditione & elegantia collocatam, neque Ferreti, Budæi, Enguinarii Baronis, Duareni, Donelli, Hotmanni, Brissonii aliorumque egregia in eam merita reticeat: unus tamen instar omnium ipsi Cujacius est, quem adeo aliorum industriam eruendo & illuminando veteri Juri superasse persuasum habet, ut quicquid est optimum, ei sit adscribendum, ipseque appellandus redivivæ Jurisprudentiæ pater. His quatuor scholis hunc in modum perlustratis, conclusionem de Interpretum usu denique subnectit, cujus partem ipsiusmet verbis hic exhibemus.

p. 282. *Sua, inquit, studia recte instituturus, primordia & elementa Juris e Cujaciana Schola petat; ut nihil initio imbibat, nisi sincerum & incorruptum, ac vere Romanum: quæ cum in sanguinem verterit, tum poterit certis & obscurioribus in locis ad intelligendi facilitatem Accursium adhibere. Quo in labore cum se probe exercuerit, expenderitque vires suas, Bartolinis utatur interpretibus: ut ad patrocinia causarum scientia munitus accedat, & usu. Ex hoc enim studio ei facile ad subortas quæstiones, & quotidiana negotia, rationes & auctoritates, exemplaque abunde offerentur. Quibus ubi destituatur, commodam opem poscet a* tractatibus, *consiliis, decisionibus, resolutionibus, & similibus forensium disquisitionum acervis: quibus legum studiosus maxime juvabitur, si eos, non pro magistris, sed pro nomenclatoribus, & indicibus memoria adminiculo adhibuerit, recentioribus-*

que

que utatur tantum, ut famulis veterum interpretum, eorumque promicondis.

Hæc operis qualiscunque summa est. Nunc ex tot JCtorum Historia, quæ in eo exponitur, decerpi quam plurima possent, quæ non ingrata fortasse Lectori benevolo forent. Sed nobis brevitatis ratio habenda est. Itaque speciminis loco ex iis solum, quæ de Heroe suo Jacobo Cujacio Auctor prodidit, quædam delibabimus. Patriam hic Tolosæ in Gallia nactus est, a qua, p. 267. sqq. cum literis jam excultus esset, contemtim tamen fuit habitus, ut in honorum contentione Forcatulus ipsi, homini simia, ut Gravina loquitur, præferretur. Quam repulsam ita ipse vindicavit, ut, cum postea a civibus resipiscentibus repeteretur, nonnisi his verbis responderit: *S. P. Q. Tolosano Jacobus Cujacius S. P. D. Frustra absentem requiritis, quem præsentem neglexistis.* Primum in Academia Bituricensi, jussu Michaelis Hospitalis, docuit, Duareno & Donello collega datus. Verum his velut antiquis ejus scholæ possessoribus, ob novitatem & doctrinæ præstantiam invisus adeo fuit, ut collatis illi in unum viribus, & factionis suæ discipulis novum in præceptorem concitatis, Cujacium retro flectere cursum coëgerint, mox tamen Hospitalis auctoritate, compresso tumultu, honorifice restitutum. Ex quo tempore eo majori gloria docuit, quo magis adversariorum æmulatione exacuebatur, ut dicere soleret, se quicquid in Jure civili profecisset, acceptum ferre obtrectatori suo Duareno. Docuit etiam Dujonæ Cadurcorum (Caors) & Valentiæ ad Rhodanum, & Augustæ Taurinorum: Bononiam vero ad antiquum bonarum artium domicilium a Gregorio XIII vocatus, venire recusavit. Ubicunque autem commoratus est, turbam auditorum undique excitorum incredibilem habuit, majori tamen famæ, quam rei familiaris incremento, quod haud exiguam auri summam in sublevandis discipulis, dum a patria pecuniam expectarent, amisit. Si Josepho Scaligero, quem & ipsum auditorem habuit, fides est, theoriam Juris Romani veteris calluit optime: usus vero forensis non tantum fuit ignarus, sed cupidus quoque dediscendi, si quid imbibisset; ne a Romano Jure distraheretur. Ad docendum non ante accedebat, quam septenis aut octenis horis commentatus esset.

Cum animum laxaret, & intervalla ſtudiorum conviviis una cum diſcipulis occuparet, nullam interea juris mentionem fieri patiebatur. De rebus ad religionem pertinentibus, etſi ipſe Romanæ tenaciſſimus eſſet, rogatus, nonniſi his verbis reſpondere conſueverat: *nihil hoc ad edictum Prætoris*. Bibliothecam ſuam poſt obitum ſparſim vendere juſſit, ut libris in plurium diſſipatis manus, nemo eſſet, qui a ſe annotata colligeret atque vulgaret. A factionibus alienus ſic fuit, ut adverſariorum tamen cavillationes non pari ſemper patientia ferret. Diſcipulis ſcriptis potius profuit, quam ore, quod in dictando anceps eſſet & perturbatus, oratione modo citata, modo remiſſa, nec raro interrupta, ut pronunciantem auditores neque ſtylo neque auribus commode ſemper conſequerentur, cogerenturque interdum convenire ſimul, ut ſcriptis collatis ſententias integras colligerent. Diem ſupremum obiit anno a nato Chriſto MDXC, ætatis LXVIII. Neque mortui funus honore caruit, corpore nobilium diſcipulorum humeris elato, virtute vero funebri oratione a Claudio Mareſcallo Senatore ac Regio Conſiliario, collaudata.

p. 168. ſqq. Unum ſupereſt, quod ſilentio non prætereundum duximus, Gravinam, ubi de Lege Regia diſſerit, lapidem illum Capitolinum, qui Regiæ Legis nomine produci ſolet, ſed a quibusdam falſi damnatus eſt, pro genuino illius monumenti, quo collecta ex pluribus magiſtratibus poteſtas Senatus populique decreto Imperatoribus collata fuerit, fragmento agnoviſſe, poſtquam duo, quæ vocat, noſtrorum temporum clariſſima Romanæ antiquitatis lumina, Raphaëlem Fabrettum & Franciſcum Blanchinum, ſincerum idem pronuntiaſſe, ex Fabretti literis, ad calcem libri adjectis, intellexiſſet.

THE STANDART OF THE QUAKERS examined &c.

i. e.

VEXILLUM QUAKERORUM EXAMINATUM, ſeu Reſponſio ad Roberti Barclaji Apologiam, Auctore GEORGIO KEITH, A. M.

Lon-

Londini apud B. Aylmer, C. Brome & Georgium Strahan, 1702. in 8.

Conſtat Alph. 1. plag. 10.

INter fanaticos, qui Quakerorum nomine vulgo inſigniuntur, magnam obtinere auctoritatem Roberti Barclaji, principis eorum, Apologiam, nemo rerum, quæ ad iſtos pertinent, notitia vel leviter tinctus poteſt ignorare. Et videtur ſane, præter Latinam atque Anglicam illius editionem ab ipſo Auctore primum in lucem emiſſam, Belgicam item, Germanicam, & Gallicam Londini nuper publicatam, Anglica imprimis lingua, poſt Barclaji obitum, a Quakeris non alia de cauſa toties fuiſſe impreſſa, quam ut ceteris perſuaderent, librum iſtum opus eſſe exaſciatum penitus, & munitiſſimum religionis ſuæ propugnaculum, contra quod omnes adverſariorum conatus inanes ſint ac plane irriti. Quod cum animo reputaret ſuo Georgius Keithus, & ipſe olim Quakerorum ſectam ſecutus, jam vero Anglicanæ Eccleſiæ addictus, ad quam ante annos aliquot per Dei gratiam rediit, operæ pretium ſe facturum exiſtimavit, ſi publico ſcripto oſtenderet, quantis erroribus quantiſque contradictionibus ſcateat Apologia iſta, quamque adeo fallantur illi, qui eam Palladium religionis ſuæ dicere non dubitant. Cum præterea ſecum perpenderet, Barclajum, cum quo, dum in vivis eſſet, arctam amicitiam coluit, in iſto ſcripto plurimis terminis, diſtinctionibus ac argumentis fuiſſe uſum, quibus ipſe olim Quakerorum ſententiam confirmare operam dederit, nec amici defuncti memoriam recoli melius, nec priſtinos ſuos errores refutari aptius poſſe ratus eſt, quam ſi iſtud refelleret, ac ſcandalum, quod oriri exinde queat, ſtudioſe amoveret. Edidit hac de cauſa præſentem libellum, in quo tamen illud haud ſibi agendum eſſe putavit, ut ſententias, quas Barclajus defendit, Quakerorum eſſe multis probaret, id quod alibi a ſe factum eſſe innuit; potius cauſæ ſe ſatisfacturum eſſe credidit, ſi ſyſtema hoc doctrinæ Quakerorum accurate examinaret, ſingulaſque theſes eo, quo ab Auctore propoſitæ ſunt, ordine veritati contrarias eſſe demonſtraret. Quamvis vero ſingula hujus reſponſionis capita prolixius enarrare, inſtituti noſtri ratio haud patiatur, nimiſque longum foret explicare, quomodo dogmata de vero ſalutaris cogni-

gni-

gnitionis Dei fundamento, de immediata revelatione, de sacra Scriptura, de hominis post lapsum statu ac peccato originali, de lumine interno, de justificatione, perfectione ac perseverantia, de ministerio ecclesiastico cultuque divino, de baptismo & cœna Domini, de magistratus potestate in religionis negotio, de saltationibus ac recreationibus, de juramentis denique ac defensivo bello partim refellat Auctor, partim contra Barclajum vindicet; speciminis tamen loco ostendendum nobis esse putamus, quid circa tertiam Apologiæ thesin, in qua errores Quakerorum circa Scripturam sacram defenduntur Keithus imprimis moneat. Cum scilicet in illa Barclajus, cum reliquis Quakeris, Scripturæ sacræ auctoritatem non ab interna quadam illius vi, sed potius a Spiritu sancto, tanquam illius auctore, omnino dependere adserat, concedit equidem Noster, auctoritatem Scripturæ Spiritui eadem ratione adscribendam, qua legum humanarum auctoritas ipsis legislatoribus adscribi solet; quemadmodum tamen leges humanæ semel solenniter publicatæ ita vim obligandi habeant, ut nova ipsarum promulgatione ac repetitione opus non sit, ita quoque cum divinis legibus, quæ in Scriptura continentur, comparatum esse arguit, nisi quis his minorem vim, quam humanis legibus tribuere inepte velit. Neque vero obstare, quod Barclajus dicat, eam esse Scripturæ excellentiam & sublimitatem, ut tantum a spirituali, non vero a naturali homine queat intelligi, adeoque, ut Spiritus Dei fidem de ea in pectore generet, necessarium videri. Ut enim taceat Auctor, illud ex hac sententia consequi, quod homo naturalis a legibus divinis haud obligetur, quoniam non æque ac spiritualis illas possit discernere, eam præterea cum doctrina Quakerorum de lumine interno plane non convenire, probat. Si enim, juxta eorum placita, lumen internum sit omnibus innatum, tanquam primaria fidei vitæque norma, non videt, quem usum habeat in naturali homine, nisi cum de Scripturæ præstantia dijudicare doceat. Imo cum Scriptura, quam Quakeri secundariam normam dicere solent, & styli majestate & aliis partibus ex ipsorum propria confessione excellat, consequens esse ait, ut lumen internum, quod primariam regulam & adæquatam nominant, tantum majestate & excellentia Scripturam præstet, quantum viva facies omnibus

pictu-

picturis antecellit. Jam vero dum Barclajus hominem naturalem, quamvis lumine interno præditus sit, Scripturæ majestatem agnoscere posse neget, multo minus probabile videri ait, quod idem homo naturalis luminis interni præstantiam, quæ juxta Quakeros illa Scripturæ longe major sit, possit discernere. Quodsi objicere Apologiæ scriptor velit, ipsum Keithum cum Protestantium reliquis non diffiteri, quod Spiritus S. operationes fidem in homine veluti obsignent, indeque concludere contendat, obligandi vim non in Scriptura, sed in Spiritu potius quærendam esse; Auctor consequentiam negat, partim quod similia illustrent quidem, nequaquam vero probent, partim quod (uti de legibus Principis promulgatis nemo certus esse possit, nisi aut videat illas, aut de iis audiat, nec tamen aut visui aut auditui ipsarum auctoritas adscribenda sit) interna Spiritus persuasio neque legi divinæ auctoritatem tribuat, neque certitudinem, uti loquitur, objectivam generet; id quod ut ulterius declaret, omnem veritatem, tum in naturalibus, tum spiritualibus, aut entis aut mentis certitudine niti ostendit. Ad testimonia Protestantium a Barclajo adducta, quæ per internam Spiritus persuasionem fideles de veritate verbi certos fieri adfirmant, id imprimis regerit Noster, quod illud non sensu Quakerorum, de immediata nimirum revelatione quadam, sed orthodoxo sensu adstruant; indeque novum adversarii argumentum examinat, quo Scripturam fundamentum principale omnis veritatis atque cognitionis, primariamque regulam fidei & morum propterea dici posse negat, quoniam ea non ipse fons, sed saltim sit fontis declaratio. Confundi nimirum hic demonstrat Auctor fontem, seu principale fundamentum, cum primaria veritatis atque cognitionis norma, quæ tamen distinguenda sint; adeoque concedit quidem, Spiritum Dei primarium fidelium ducem dicendum esse, normam vero primariam ac principalem eum nominari posse negat. Et licet Barclajus ad canonem istum in scholis tritissimum provocet: propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale, Keithus tamen eum tum sæpe alias, tum hic præsertim non valere ait, dum res, quæ comparantur inter se, non in eodem genere causarum sint, & Spiritus atque Scriptura tanquam causa principalis ac instrumentalis inter se differant. Post-

 quam

quam deinde ulterius explicuisset, quid per normam fidei morumque Christianorum intelligendum sit, & quænam differentia inter normam primariam & secundariam obtineat, probassetque adeo, Spiritum Dei in proprio atque univoco sensu fidei ac vitæ normam dici non posse, alia Barclaji argumenta quædam diluit, quibus suam sententiam confirmare nititur. Ita enim, ut cetera taceamus, iste in Apologia sua ex eo fundamento Scripturam primariam regulam dici non posse existimat, quoniam ea homines in omnibus casibus, qui evenire solent, haut plene instruat, & vel centum circumstantiæ fingi queant, in quibus, quomodo se gerere quis debeat, Scriptura nihil certi determinet. Verum ex hac conclusione, lumen illud Quakerorum internum, cunctis hominibus commune, multo minus, quam Scripturam, vitæ morumque regulam dici posse, Keithus elicit, quippe quod, ut ipse Barclajus cum sociis suis fateatur, in essentialibus & integralibus religionis partibus hominem non instruat, ita ut nemo absque verbo fidem historicam habere possit. Ceterum plane non necessarium esse dicit, ut Scriptura circa quævis specialia certas nobis regulas præscribat, cum in genere bonum sectandum, malum vero fugiendum esse doceat. Quodsi vero dubius circa indifferentes actiones quis hæreat, tum rectæ rationis & Christianæ prudentiæ dictamen sequendum, ac divinæ providentiæ, quæ nos paterne gubernet, confidendum esse monet. Quod attinet Barclaji quæstionem, ubinam Scriptura aliquem informet, quo in loco evangelium ipsi prædicandum sit, num nimirum in Gallia, aut in Anglia, aut in Belgio, aut in Germania evangelii doctrinam spargere debeat? non negat equidem Auctor, Apostolos olim speciali quodam Spiritus instinctu ad has vel illas orbis partes fuisse ablegatos, hodie vero eo verbi ministro eundum esse ait, quo amor erga Deum ac sors ipsum trahant, ubi doctrinæ suæ lætissimos fructus sperare possit, & quo a superioribus vocetur. Eadem ratione ad illam Barclaji exceptionem respondet, qua Scripturam non quemvis hominem de fidei suæ veritate certum facere instat. Quamvis enim ea exempli causa non adferat expresse, quod Robertus credat, suppeditare tamen eam ejusmodi fidei signa, quæ si Robertus apud se inveniat, de fide sua possit esse certissimus. Et cum por-

ro

ro adversarius arguat, Scripturam propterea normæ nomen haut mereri, quod non ad quævis individua, quæ ea opus habent, spectare videatur, atque surdi, infantes & fatui ab usu illius exclusi sint; regerit tamen Keithus, non quæri, num isti, qui ita comparati sunt, ea non uti queant, sed de eo potius disquiri, an homo, cetera idoneus, summam sibi utilitatem exinde promittere non possit. Imo licet multi in Ecclesia sint literarum rudes, qui non in vernacula, nedum in originalibus linguis Scripturam legere sciant, licet in Hebræo ac Græco textu tot variæ occurrant lectiones, illeque a septuaginta-virali translatione multis in locis admodum differat, hæc tamen omnia non efficere pronunciat, ut Barclaji & Quakerorum sententia firmior reddatur, dudumque a Protestantibus ad ista argumenta, quibus & Pontificii Scripturæ auctoritatem oppugnare soleant, fuisse responsum. Quemadmodum vero Barclajus ea omnia, quæ de Scriptura sacra in Apologia sua propterea dixisse videri cupit, ut ostenderet, quod Spiritui primæ partes, Scripturæ vero secundæ tribuendæ sint, non vero quod illam inutilem penitus atque incertam reddere voluerit: ita Auctor noster hac in re nequaquam ab eo se dissentire fatetur, quatenus nempe Spiritui, tanquam causæ principali atque efficienti, præ Scriptura, tanquam subordinata atque instrumentali causa, omnes Theologi principatum concedant, modo norma & causa bene a se invicem distinguantur. Novum, quod adversarius urget, argumentum Scripturæ canonem respicit, quem tot libris constare ait, ut absque speciali revelatione de numero eorum non possimus esse certi. Ast vero cum ipse Barclajus ita sentiat, ut historicas Scripturæ veritates ab ipsa Scriptura potius, quam Spiritu doceri putet, idem de numero librorum sacrorum dicendum esse Keithus statuit, & si unusquisque eorum sigillatim spectatus divina auctoritate niti comperiatur, quod omnes eadem gaudeant, necessario concludit. Instat equidem præterea Apologiæ Auctor, Paulum, cum gentiles ad Christum convertere laboraret, non tam ad legem atque Prophetas ablegasse, sed potius, ut aliquid divini sentirent, quod ipsis inesset, admonuisse Act. XVII; sed excipit merito Keithus, quod non modo alibi Corinthiis 1. Cor. XV, 1. 2. Scripturam tanquam regulam proposuerit, verum etiam in illa ipsa concione ad

Athenienſes mortuorum reſurrectionis atque judicii extremi mentionem fecerit, de quibus tamen lumen internum absque Scriptura, ipſo Barclajo fatente, neminem erudiat; ut omittamus, Barclajum hic rurſus ſibi contradicere, qui jam in gentilibus fidem, absque Scripturis, ſolo interno lumine accenſam fuiſſe adſerat, alibi vero expreſſe adfirmet, ſe, aliosque Quakeros, fidem in Chriſtum carne manifeſtatum per lumen internum non habuiſſe. Quantum ad illas exceptiones Barclaji contra quædam argumenta attinet, quibus alii Scripturam fidei normam eſſe adfirmant, refutare eas ſupervacaneum Auctor eſſe putat, cum partim in antecedentibus ad illas ſatis reſponderit, partim quilibet lectorum retundere facile eas poſſit.

TRAITE' DES ALIMENTS &c.

Id eſt,

TRACTATUS DE ALIMENTIS. AUTORE LUDOVICO LEMERY, Doctore Regente Facultatis Medicæ Pariſienſis & Academiæ Scientiarum Regiæ Membro.

Pariſiis apud J. B. Cuſſon & Witte, 1702, in 12. plagul. $24\frac{1}{2}$.

CUm ii, qui alimentis adhuc edocendis ſuam addixerunt operam, vel tædioſa prolixitate, vel nimia brevitate, tanto minorem lectori utilitatem ſoleant afferre, quanto infirmiori ſimul fundamento, qualitatum videlicet quaternioni, maximam partem inſiſtant; Autori potius noſtro in præſenti de alimentis ſcripto, cujus *tres partes* conſtituit, media placet incedere via, & analyſin cumprimis chymicam atque mechanicam ubivis attendere. Prius tamen, quam uſitatiores ſpecies alimentorum, vel eſculentorum ex regno vegetabili pariter atque animali petitorum in *duabus partibus* prioribus, vel potulentorum in *ultima* parte ſiſtat pertractatas, in *præfaminibus*, quæ aut univerſis, aut ſingulis partibus præmittit, alimenta non minus, ac vegetabilia, animalia & potulenta in genere diſpicit. In præfatione namque generali alimentorum differentiam, famem, principia chymica, effectus,

ctus, assumendorum quantitatem, præparationes, tempus & ordinem, ipsasque in nobis alterationes, dum masticationem, chylificationem & sanguificationem subeunt, perspicue explicat; in specialibus autem præfationibus, nunc plantarum structuram, e seminibus, in quibus delitescunt, progerminationem, summamque ad corpora nostra nutrienda dispositionem; nunc animalium ex ovulis generationem, discrepantiam, partes nutrimentum præbentes, atque usum alimentarium, pro nationum differentia differentem; nunc potulentorum denique sitim atque classes, curiose scrutatur. Hinc in singulis capitibus, ordine *Pisanello* quondam *de alimentorum facultatibus* solenni, singulorum alimentorum non solummodo selectum, effectus laudabiles ac pravos, principia chymica, tandemque tempus, ætatem & temperamenta, quibus conveniant, breviter describit, sed & in annotationibus adjectis pleraque fusius deducit, nihil eorum omittens, quæ specialius naturam & usum alimentorum propositorum queant demonstrare, etymologias solum, ex Autoribus in fine adscriptas, nequaquam defendere suscipiens. Quæ methodus ut exemplo Lectoris in gratiam declaretur, partis tertiæ caput unice quartum, de *Sicera* agens, liceat percurrere, atque tum singulorum esculentorum, quæ in prioribus partibus ex utroque regno, vegetabili & animali, tradit, principia imprimis chymica attexere, quod hisce omnes ubique effectus Autor ferat acceptos. In memorato videlicet capite Sicera non tam dulcium pomorum, quoniam promte corrumpatur, quam austerorum, egregia in Normannia potissimum inferiori prope Bajocas fieri solita, seligitur, & quidem, ubi existat perspicua, & elegantem colorem aureum, odorem gratum, saporemque dulcem ac vellicantem obtineat. Qualis in morbis pectoris, corde ac ventriculo roborandis, humectando & siti sedanda, nec non in affectibus scorbuticis & melancholicis, multisque aliis, salutares edere effectus adstruitur, cum e diverso nimium hausta majorem quoque, diuturniorem & periculosiorem vino ipso concitet temulentiam. In analysi exacta spiritus primum sulphureus sive ardens, hinc phlegma colligitur, relicta crassiori parte, quæ vehementiori igne parum olei crassioris & spiritus seu salis essentialis in phlegmate soluti suppeditet,

 una

una cum capite mortuo pro paucioris salis fixi separatione calcinando. Sicera demum omni tempore, omnibusque subjectis cujuscunque ætatis & temperamenti, congrua pronunciatur, modo usus ejus observetur moderatus. In annotatione vero varia æque de sicera, ac de liquoribus vegetabilium aliis adduntur. Siceram, cum musto convenientem, dum e succo pomorum expresso per fermentationem parant, sal imprimis essentiale considératur, quod in phlegmate solutum particulas oleosas resistentes attenuet ac spirituosiores reddat, quodque copiosius in pomis austeris, quam dulcibus, ipsam pariter siceram pomorum acerborum diutius a corruptione præservet, qualem nihilominus omnis alias sicera minus depurata ob confusas fæces promte soleat contrahere. Unde pro sicera exactius defæcanda mentio nonnullorum injicitur, qui Ichthyocollam in vino solutam eidem infundant, quemadmodum aliorum, qui deficientem acrimoniam seminis sinapi additione satagant resarcire. Cum vino sicera comparata vel ipsi in sanitate conservanda præfertur, quod *Franciscus Baco* in plerisque eorum, qui sola sicera vice potus fuerunt usi, majus robur ac grandiorem ætatem deprehenderit, quam qui vinum biberunt, in quantum spiritus siceræ minus impetuose, atque vini, agitentur, sed a multo potius phlegmate viscoso coerceantur, ratione cujus potus siceræ magis humectet & refrigeret, licet post abusum itidem viscosæ ejusmodi particulæ, cerebri & nervorum poros obstruendo, varias inferant noxas. Occasione autem siceræ, in Normannia ex pyrorum quoque austerorum succo confectæ, alii pariter vegetabilium liquores, tum vinosi, v. g. cydoniorum, fructus in India orientali, Ananas, fructuum Sebesten & Jujubarum, Palmæ in India majori, cui Coquo nomen, tum minus vinosi, v. g. betulæ, aceris, radicum nucis juglandis &c. recensentur. Ast quo singulorum porro esculentorum principia ordine proferamus, sicuti pro talibus oleum, sal, terra & aqua reputantur, & in nonnullis esculentis duo eorum, in aliis tria vel quatuor, proportione tamen plerumque diversa, præpollere indigitantur, ita minus errare videbimur, si cuncta esculenta ratione principiorum eminentium, prout hæc ab Autore illis attribuuntur, ad tres revocemus classes, atque ea, quæ duobus principiis pollent, in prima, quibus autem tria vel quatuor princi-

ci-

cipia sunt, in altera & tertia classe collocemus, subdivisionesque ab eorundem diversitate ac proportione mutuemur. In esculentis siquidem, quæ prima classis comprehendet, vel cum oleo sal essentiale, vel sal volatile, idque aut urinosum, aut acidum, vel phlegma & acidum, varia proportione observantur combinari. Multo & oleo, & sale essentiali perhibentur constare *Pyra*, *Fabæ*, *Scolymus*, *Asparagus*, *Lupulus*, *Mentha*, *Pimpinella*, *Dracontium*, *Porrum*, *Fungi*, *Rapæ*, *Rapunculi*, *Carottæ*, *Sinapi*, *Nux Moschata*, *Zingiber*, *Caryophylli aromatici*, & *Cinamomum*; cum multum olei & parum salis essentialis de *Millio*, multum itidem olei & mediocris salis essentialis quantitas de *Oryza*, *Gruto*, *Semine Coriandri*, econtra de *Capparibus* multum salis essentialis & parum olei, salis acris copia & olei mediocris portio de *Petroselino*, *Scorzonera*, *Cepa Ascalonia* & *Sacchr̃o*, prædicentur. Multa olei & salis volatilis quantitas *Corticibus Aurantiorum amarorum*, *Citri & Limonum*, *Aniso*, *Thymo*, *Saturejæ*, *Apro*, *Verveci*, *Hædo*, *Capreolo*, *Damæ*, *Cuniculo*, *Gallinæ*, *Pullo gallinaceo*, *Caponi*, *Gallo Indico*, *Perdrici*, *Phasiano*, *Coturnici*, *Turdo*, *Merulæ*, *Ficedulæ*, *Alaudæ*, *Hortulano avi*, *Sturno*, *Pluviali*, *Vannello*, *Chloropodibus* aliisque *Pullis aquaticis*, *Gallinagini*, *Ovis*, *Lucio*, *Percæ*, *Gobio*, *Eperlanæ*, *Salmoni*, *Asello minori*, *Sturioni*, *Haleci recenti*, *Sardinæ*, *Apuæ*, *Soleæ*, *Rhombo*, *Draconi*, *Rubellioni*, *Alosæ*, *Rajæ*, *Maruæ*, *Thunno* ac *Testudini*; *Butyro* multum olei & parum salis volatilis adscribuntur: quemadmodum salis volatilis acidi copia & olei mediocris quantitas *Cepis*, multum itidem salis volatilis acidi, parum tamen olei *Allio*, phlegmatis denique & acidi multum *Acetosæ* assignantur. Esculenta vero, quæ sub altera stant classe, principia tria proportione vel æquali, vel inæquali habent unita. Æquali proportione modo oleum cum duplici sale, aut cum sale & terra; modo phlegma, sal & oleum concurrunt; in quibus autem tria principia inæquali proportione cohærent, nunc unum reliquis, nunc duo prædominantur. In *Croco*, ex Autoris mente, oleum cum sale volatili, tam acido, quam urinoso, in *Pipere* autem oleum cum sale volatili & fixo abundat; in *Nucibus juglandibus & Tuberibus terræ* oleum cum sale & terra, in *Bove*, *Cervo* & *Lepore* oleum cum sale volatili & terra

terra luxuriat. De multo phlegmate, oleo & sale *Poma*, *Passulæ*, *Mora*, *Sorbi*, *Olivæ*, *Dactyli*, *Pisa*, *Phaseoli*, *Chærefolium*, *Nasturtium aquaticum*, *Boleti*, *Napi*, *Pastinaca* & *Lac*; de sale acido, oleo & phlegmate *Cydonia*, *Mala Punica vinosa*, & *Mespili*; de oleo, sale volatili & phlegmate *Flores Aurantiorum*, *Panis*, *Vitulus*, *Porcus*, *Agnus*, *Anser*, *Anas*, *Carpio*, *Barbus*, *Anguilla*, *Tinca*, *Trutta*, piscis a Gallis *Barbotte* salutatus, *Lampreta*, *Scomber*, *Trigla*, *Musculus* & *Cancer* participant. Quod principium reliquis duobus præstat, vel sal est vel oleum, vel phlegma. In *Sale communi* (quod solum e regno minerali vegetabilibus adjungitur) acidum terram & sulphur superat; in *Amygdalis dulcibus* plus olei, quam salis & phlegmatis; in *Pistaceis* & *Pineis* olei pariter quantitas salem volatilem & essentialem excedit; in *Cerasis*, *Malis Armeniis*, *Ficubus*, *Aurantiorum dulcium succo*, *Cucumeribus*, *Cucurbitis*, *Citrullis*, *Siseribus* & *Cichoreo* phlegma præ oleo & sale essentiali eminet. Duo autem inter, quæ antecellunt, vel sal & phlegma, vel sal & oleum, vel phlegma & oleum, vel oleum & terra deprehenduntur. In *Malis Punicis austeris*, *Succo Citri* & *Limonum* acidum & phlegma præpollent oleo; in *Fragis*, *Rubo Idæo*, *Uva crispa*, *Ribibus*, *Malis Persicis*, *Prunis*, *Succo Aurantiorum amarorum*, *Beta*, *Borragine*, *Buglosso*, *Brassica* & *Raphano rusticano* cedit oleum phlegmati & sali essentiali; in *Amygdalis* vero amaris phlegma oleo & sale inferius. *Majorana* & *Columba* plus salis volatilis & olei, quam terræ continent; in *Malis Punicis dulcibus* major phlegmatis & olei quantitas, quam salis acidi; in *Portulaca*, *Spinachia*, *Tuberosis*, *Passeribus lævibus* & *squammosis*, item *Ranis*, plus phlegmatis & olei, quam salis, annotatur; sicut in *Castaneis & Lentibus* oleum & terra salem anteeunt. Tandem in quibus esculentis, ad classem tertiam referendis, quatuor principia conveniunt, proportionem itidem, vel æqualem, vel inæqualem observant. Æqualis proportio advertitur in *Melonibus* & *Ostreis*, quorum illi multo phlegmate, oleo, sale essentiali & volatili; hæ autem multo oleo, phlegmate, sale volatili & fixo gaudeant. Inæqualis vero prostat in *Caseo*, *Nucibus avellanis*, *Lactuca* & *Melle*, dum caseo multum olei, mediocris portio salis essentialis & parum phlegma-

gmatis ac terræ; nucibus avellanis multum olei & terræ, mediocris quantitas salis volatilis & essentialis; lactucæ denique & melli phlegmatis & salis essentialis multum, mediocris portio olei, & parum terræ tribuuntur.

VINDICIÆ AREOPAGITICÆ P. LAURENTII COZZA.

Romæ, typis Laurentii Plachi, A. 1702, in 4.
Alph. 3. pl. 8.

NOvus iterum Dionysii Areopagitæ ejusque operum in Italia surrexit Apologeta, isque est Vir doctissimus, P. LAURENTIUS COZZA a S. Laurentio, Ordinis Minorum de Observantia, Romanæ Provinciæ Lector Jubilatus, Diœceseos Viterb. Examinator Synodalis, & S. Congregationis Indicis Consultor, qui elapso proxime anno, multæ eruditionis referto opere, VINDICIAS AREOPAGITICAS, moderno Pontifici Maximo CLEMENTI XI inscriptas, Superiorum suorum auctoritate & approbatione, Romæ divulgavit. Distributum est hoc Opus in duas partes, atque in earum prima quidem, (præmissa S. Dionysii Areopagitæ Vita, a Michaele Syngelo adornata, una cum Annotationibus quibusdam de Parisiensi S. Dionysii Areopagitæ Episcopatu, & Passionis ejusdem tempore, ex Areopagiticis & Anti-Areopagiticis undique scriptoribus succincte collectis) Areopagiticorum, seu eorum in universum priscæ & nostræ ætatis Doctorum Ecclesiasticorum judicia & argumenta, juxta annorum, quibus vixerunt, seriem enarrantur, qui opera S. Dionysii Areopagitæ hagiographa & genuinos ejusdem fœtus esse contendunt. Leguntur proinde initio heic judicia & argumenta S. Maximi, Michaelis Syngeli, Jo. Erigenæ Scoti, Theodori Presbyteri, Anastasii Abbatis, Suidæ, Jo. Sarracæni, Thomæ Abbatis Vercellensis, Alberti Magni, S. Thomæ Aquinatis, Georgii Pachymeræ, Dionysii Carthusiani, Marsilii Ficini, Jo. Trithemii, Facultatis Parisiensis de A. 1520 adversus Lutherum, Jacobi Fabri Stapulensis, Facultatis Parisiensis de A. 1527 adversus Erasmum, Jo. Novii, Sixti Senensis, Nicolai Sanderi, Cardinalis Bellarmini, Cardinalis Baronii, Antonii Possevini, Andreæ Schotti, Natalis Alexan-

 dri,

dri, Emanuelis a Schelstrate, Petri Annati, & ipsius Vindiciarum harum auctoris, P. COZZAE. Id quod ultimum Cozzæ judicium eo summatim redit: Se post tantorum Patrum, tam vetustiorum, quam recentiorum judicia, qui scripta Areopagitica pro genuinis S. Dionysii fœtibus agnoscere non abnuunt, tota antiquitate conclamante, & cunctis fere ab ineunte seculo VII, per XI secula, usque ad initia nostri XVIII seculi, Catholicis Scriptoribus conspirantibus, omnino dementem fore, si Hæreticorum judiciis acquiescere; si multitudine relicta, paucorum & deceptorum forte adversæ partis Catholicorum sententiam sequi; si denique recentioribus Criticis, novitatum amatoribus, vellet assentiri. Suam igitur esse utique sententiam, quin potius non suam, sed totius vetustatis: scripta & opera, S. Dionysio Areopagitæ attributa, non pseudepigrapha, non spuria aut supposititia esse, sed hagiographa, genuina, vera, & a tanto Doctore edita. Atque hæc quidem esse libros de *Cœlesti Hierarchia*, de *Divinis Nominibus*, de *Ecclesiastica Hierarchia*, de *Mystica Theologia*; epistolas ad *Cajum IV*, ad *Dorotheum*, ad *Sosipatrum*, ad *Polycarpum*, ad *Demophilum*, ad *Titum*, ad *Joannem Evangelistam*, & ad *Apollophanem*. Ne tamen vero antiquitatis nimium tenax, aut singularis admodum prorsus cuipiam videatur, assentiri se fatetur Cozza Anti-Areopagiticis, epistolam Dionysii *de obitu Pauli ad Timotheum* non esse genuinam; & libros ejusdem de *Theologia Symbolica*, de *Anima*, de *Hymnis Divinis*, de *Justo & Divino Judicio*, de *iis, quæ intelligentia & sensu percipiuntur*, nec non *Hypotyposes sive Theologicas Informationes*, se non posse, utut libentius, quod ab ipso Dionysio in cæteris libris suis citentur, vellet, jam amplecti, cum hodie amplius non extent. Quam sententiam suam XII dehinc per plures paginas argumentis, Halloixii præ cæteris vestigia legens, corroborare allaborat.

In altera Vindiciarum harum parte, Anti-Areopagiticorum, seu Novatorum, stylo Cozzæ, & recentiorum Criticorum judicia recensentur & rationes, quibus ii opera S. Dionysio Areopagitæ attributa, non genuina, sed pseudepigrapha esse & supposititia, luculentis indiciis demonstrare conantur. Occurrunt inde heic judicia Laurentii Vallæ, Cardinalis Cajetani, Martini Lutheri, Erasmi

rasmi Roterodami, Matthiæ Flacii Illyrici, Andr. Riveti, If. Casauboni, Jac. Usserii, Edm. Albertini, Jo. Morini, Jo. Pearsoni, L. Ellies du Pin, Guil. Cave, & Dan. Papebrochii. Quæ Pontificiorum vero æque ac Protestantium Doctorum judicia adversa, una cum omnibus, quibus innixa sunt, argumentis, diffusa posthac longe disceptatione refellere ac confutare Cozza annititur, ita quidem, ut simul magno studio, quæ fuerit antiquissima Ecclesiæ in ritibus & ceremoniis Ecclesiasticis disciplina, adversus recentiores, maxime Anti-Areopagiticos, tum heic memoratos, tum eos quoque, quorum judicia se omisisse Cozza non diffitetur, ut Scultetum, Blondellum, Dallæum, Launoyum, de Nourry aliosque, ostendat.

Ac cum quidem in omnibus fere S. Dionysii libris præmittatur titulus: *Sympresbytero Timotheo Dionysius Presbyter*; ex eo ipso autem jam statim Anti-Areopagitici, opera Dionysii pseudepigrapha esse suspicentur, quod S. Timotheus, ante editas Ignatii epistolas, in Dionysii operibus jam allegatas, martyrio e vivis fuerit sublatus, & nec *filius* a Dionysio, ceu quidem factum, nominari potuerit: primo quoque loco Cozza disquirit, cui Timotheo opera S. Dionysii sint dicata? Quæ res cum haud levem semper operum Areopagiticorum patronis & apologetis crucem fixerit, fusius paulo hic Fr. Bivarii & Cardinalis Baronii Cozza refert sententiam, quorum ille in commentario ad Chronicon Flavii Lucii Dextri, ad A. Domini 100 & Urbis conditæ 851, Dextrum κατὰ πόδα sequutus, Eugenio Marcello, Episcopo Toletano, propter ingenii excellentiam dicto Timotheo; hic vero aut Pudentis, Senatoris Romani, filio Timotheo, aut alii tamen prorsus ejus nominis, quod Ephesiorum fuit Episcopo, opera S. Dionysii dicata fuisse, variis argumentis inductus, existimat. At cum utraque, & Bivarii, & Baronii sententia, a P. Halloixio in Vita S. Dionysii fuerit impugnata, isque simul communem Ecclesiæ Pontificiæ de S. Timotheo, Pauli Apostoli discipulo & Ephesiorum Episcopo sententiam multis argumentis sat firmiter, Cozzæ judicio, propugnaverit; totam quoque propemodum Halloixii pro S. Timotheo apologiam hic subjungere, suæ Cozza operæ futurum duxit pretium. Qua enarrata, unum alterumve quidem argumen-

tum adhuc memorat, quo Bivarii de Eugenio Marcello sententiæ novum aliquod, adversus Halloixium, robur addi posse commonet: nihilominus, libera cuique optione relicta, an Bivarii, an vero Baronii opinionem velit amplecti, sibi tamen religioni esse Cozza innuit, communem Ecclesiæ de Timotheo, S. Pauli discipulo & Ephesiorum Episcopo, sententiam deserere, utpote quam & S. Maximus, Jo. Erigena, aliique vetustiores, qui in S. Dionysium commentarios scripserunt, constanter tenuerint. Primo enim nullum eruditorum ignorare, Chronicon Flavii Lucii Dextri esse valde corruptum ac interpolatum; adeoque forte etiam ista verba a Bivario ex eo producta: *Dicat Eugenio Marcello, dicto propter excellentiam ingenii Timotheo, libros de divinis Nominibus*, ab interpolatore fuisse adjecta. Quæ si non essent supposititia, adnotassent forte alias S. Maximus & cæteri, qui in S. Dionysium scripserunt. Præterea quoque in fragmento Chronici Flavii Dextri, quod Cardinalis de Aguirre attulerit, non ea, sed hæc duntaxat sub A. 95 verba legi: *M. Marcellus, M. Marcelli, Urbis Præfecti filius, qui & Eugenius, quondam S. Petri Apostoli, postea vero S. Clementis Papæ discipulus, ab eodem & Dionysio Areopagita missus in Hispaniam prædicat, & Toletanos docet XCV.* Secundo argumenta, quibus Bivarius & Baronius se a communi sententia dimoveri passi sint, neutiquam esse tanta, ut solvi non possint; prout in sequentibus capitibus liquido se demonstraturum Cozza profitetur. Ea de re difficillimum illico, ex S. Ignatii ad Romanos epistola in Dionysii operibus relatum locum, subsequenti capite examinat, quem vel ab interpolatore quodam insertum, vel ab ipso Dionysio non prius statim quidem, sed postea, cum extremam operibus suis manum imponeret, ex ista Ignatii epistola, sive etiam ex alio quopiam ejusdem Patris scripto, additum esse suspicatur. Priorem enim sententiam de interpolatione, a S. Maximo, Halloixio & Natali Alexandro dudem defensam, neque ipsum Ellies Dupinium prorsus reprobare, cum in omnes propemodum Auctores, tum ecclesiasticos, tum profanos, additamenta quædam irrepserint, & demtis Ignatii verbis, Dionysii oratio longe omnino melius cohæreat. Siquidem Ignatius in isto effato suo, *Amor meus crucifixus est*, de amore concu-

pi-

piſcentiæ & terreſtri, in ſe jam extincto; Dionyſius contra de amore cœleſti & in bonam partem uſurpato loquatur. Poſteriorem vero ſententiam, quæ ipſi Baronio non inſulſa fuerit viſa, ex eo poſſe ſtabiliri, quod recentiores Critici, Dionyſium ante Ignatium vita functum eſſe, perperam comminiſcantur, quoniam Dionyſium non ſub Domitiano, ſed longe poſt, aut ſub Trajano aut potius ſub Hadriano paſſum eſſe, ex Michaele Syncello, Suida, Ariſtide aliiſque Auctoribus, ut & Græcorum & Latinorum martyrologiis vetuſtiſſimis, ſatis ſuperque conſtet. Poſthæc cur S. Dionyſius Timotheum non Epiſcopum, ſed Presbyterum & Filium duntaxat appellaverit, adverſus Bivarium, Baronium, Scultetum, Rivetum & Dupinium præ cæteris diſceptat. Ubi S. Dionyſium ideo recte in omnibus libris ſuis: *Sympresbytero Timotheo Dionyſius Presbyter*, ſcripſiſſe vult evincere, quod in primitiva Eccleſia, ut ex ipſis S. Pauli epiſtolis palam fiat, Presbyteri & Epiſcopi nomen fuerit promiſcuum. Quod autem eundem *Filium* in operibus hinc inde ſuis nominare Dionyſius non erubuerit, tres eundem cauſas juſtas habuiſſe, Cozza cum S. Maximo exiſtimat. Nam ſub Neronis Imperio, ſub quo Paulus ſuam Timotheo ſcripſerit Epiſtolam, adeo adhuc viſum fuiſſe Timotheum juvenem, ut ipſemet Paulus eum in Epiſtola ſua adoleſcentem vocaverit, & ne quis adoleſcentiam ejus contemtui haberet ac ludibrio, fideles admonuerit. Jam autem tunc temporis Dionyſium quinquageſimum circiter egiſſe annum, quia tempore paſſionis Chriſti viginti quinque annorum fuerit, & Paulus ex Macedonia, ſive ut aliis placet, ex Laodicea, anno vigeſimo quinto a paſſione Domini, primum Timotheo ſcripſerit. Unde major ætate Dionyſius, jure meritoque Timotheum ætate juniorem Filium potuerit appellare. Secundo Timotheum S. Dionyſii tum in externa Philoſophia, tum in ſublimiori Theologia fuiſſe diſcipulum; id quod ex ipſis Dionyſii ſcriptis non obſcurum ſit, in quibus Timotheum ſe non ſemel de variis difficultatibus interrogaſſe, Dionyſius teſtetur, utut in aliis locis ſua Timothei judicio ſcripta committeret. Jam autem non ſolum ipſum Chriſtum *Joan. XXI* & *Matth. XVIII.* Apoſtolos ſuos pueros, ſed & D. Paulum eos, quos per fidem Chriſti genuerat, filios appel-

pellasse. Quare nec Dionysio magistro sit exprobrandum, quod Timotheum discipulum suum filium appellaverit, & id quidem eo minus, quod eum *sacrorum filiorum sacratissimum* dixerit, primitivæ videlicet Ecclesiæ morem secutus, in qua Episcopi παῖδες ἱεροὶ, pueri, sive filii sacri fuerint dicti. Tertio Timotheum timidiorem paulo fuisse & pusillanimem, prout ipse Paulus II. Tim. I. ac II, & I. Cor. XVI. indigitavit. Jam autem præter hoc, in primitiva Ecclesia Christianos omnes, ob morum simplicitatem & innocentiam, ab ipso Christo commendatam, vocatos fuisse pueros. Unde vel hoc nomine integrum fuerit Dionysio, Timotheum filium salutare. Hac lite excussa, diversa in Dionysii operibus ex Joannis Evangelio & Apocalypsi depromta loca, ex quibus Dupinius, opera Areopagitica pseudepigrapha esse, novo cum cæteris Anti-Areopagiticis argumento arguit, a Cozza evolvuntur. At errare omnino contendit Cozza Anti-Areopagiticos, quod Joannis Evangelium & Apocalypsin vel S. Dionysii & discipuli ejus S. Timothei ætate, nondum scripta fuisse, vel tamen a Dionysio ut Canonica neutiquam scripta allegari potuisse, existiment. Nam S. Timotheum æque, ac S. Dionysium, sub Domitiano martyrium subiisse, tantum abesse ut jam satis undique sit evictum, ut potius ex Græcorum menæis & Latinorum martyrologiis, S. Timotheum sub Nerva, & S. Dionysium sub Hadriano demum passum esse, manifestis indiciis evinci possit. Quæ si ita se habeant, utrumque etiam Joannis librum, post Domitiani mortem omnium quippe consensu scriptum, tum ante Timothei, tum ante Dionysii martyrium jam extitisse, simul esse evictum. Deinde vero, omni de martyrii temporibus lite seposita, dici posse commonet, S. Dionysium sua opera primum quidem, ante Joannis Evangelium & Apocalypsin, rudius paulo & imperfectius scripsisse, ac S. Timotheo dicasse; at post Joannis Evangelium scriptum, & Apocalypsin editam, sub perfectiori & correctiori forma ultimam iisdem manum imposuisse. Id enim persæpe admodum auctoribus tum profanis, tum ecclesiasticis accidisse; ceu quidem ex Quintiliani, Ciceronis, Justini Martyris, Apollinaris Laodiceni, Hieronymi & Tertulliani præ cæteris, exemplis constet. Ast quod Apocalypsis Joannis, ut Canonica a Dionysio scriptura citetur, quæ tamen

tamen, non nisi longe post Dionysium, Canonicis Scripturæ S. libris fuerit adnumerata, eo minus scripta Areopagitica supposititia esse arguere, quo magis quoque de Jacobi, Judæ & Petri Epistolarum auctoritate Canonica, etiam olim aliquando a plerisque fuerit dubitatum. Sufficere proinde, Dionysium in eorum semper fuisse sententia, qui Apocalypsin Canonicis scripturis adscribendam esse, non dubitaverint, ac idcirco etiam ipsam Apocalypsin, ut Canonicam scripturam, optimo jure potuisse allegare. Post hæc, stylo operum Areopagiticorum ex Græcana & Platonis inprimis, cui Dionysius addictus erat, Philosophia vindicato, pervetustum Criticorum argumentum, ab Eusebii & Hieronymi silentio depromtum, ac noviter ab Ellies Dupinio & Nicolao de Nourry reiteratum, Cozza discutit. Ubi quidem, inter cætera, Baronio & Possevino Eusebii silentium idcirco valde suspectum esse memorat, quod is, Arianæ quippe juxta eos sectæ patronus & vexillarius, fraude omnino & industria scripta Areopagitica omisisse videatur. At cum prave admodum hoc Eusebio illatum convicium esse Halloixius cum Riveto dudum edocuerit, & nihilominus tamen ipse Hieronymus in epistola ad Pamachium & Oceanum scribat: *Ecclesiasticam pulchre Eusebius historiam contexuit, sed impietatis Arii apertissimus est propugnator:* non audet Cozza hac de re ferre judicium, sed aliorum judicio Baronii & Possevini sententia commissa, S. Maximi responsionem potius amplectitur. Hæc autem eo redit, quod opera Areopagitica Eusebio fortean prorsus fuerint incognita, cum ipse Eusebius in Historia sua non diffiteatur, se quam plurima scripta omisisse, quæ aut ad manum suam non pervenerint, aut quorum auctores sibi non satis fuerint cogniti. Sic quoque Eusebium Athenagoræ nec minimam fecisse mentionem, cujus tamen præclaram admodum pro Christiana religione Apologiam, a Methodio ante Eusebium, & Epiphanio post Eusebium memoratam, nemo hodie eruditorum, ob istud Eusebii silentium, suppositītiam esse suspicetur. Eandem quoque silentii in Hieronymo Cozza addit esse rationem. Omisisse Hieronymum non Athenagoram solum, sed & Narcissum, Hymenæum, Pantænum, Theognostum & alios, ab Eusebio itidem non memoratos. Unde manifestum sit, Dionysium Arepagitam ideo quoque

que ab Hieronymo omiſſum, quod tunc temporis opera iſta neque ipſi, neque Euſebio fuerint cognita, utut forte ea poſt ſcriptum Catalogum Hieronymo non prorſus incognita manſerint. Quod autem præſtantisſima tam antiqui & tam eruditi Patris, qualis Dionyſius fuerit, ſcripta in primitiva Eccleſia non eodem cum cæteris Patrum ſcriptis fato felici, ſcriptoribus & doctoribus primorum ſeculorum eccleſiaſticis innotuerint, cauſam adfuiſſe Cozza putat triplicem. Primo non plane eſſe improbabilem Poſſevini & Anaſtaſii conjecturam, opera Dionyſii ab Arianis aliisque hæreticis fuiſſe ſuppreſſa. Secundo vero Suidam & Pachymeram non temere ſuſpicari, libros Dionyſii a Philoſophis Græcis fuiſſe maximam partem furto ſurreptos, tum ut Chriſtianos armis adverſus gentiles exuerent, tum ut eo felicius, familiari ſuo crimine, ſibi ipſis eruditiſſima Dionyſii ſcripta, ſuppreſſo ejus nomine, poſſent vendicare. Tertio pauca & rara admodum inter primos Eccleſiæ Patres extitiſſe operum Areopagiticorum exemplaria, cum ipſe Dionyſius Timotheum in libris ſuis admonuiſſet, ne omnibus promiſcue myſteria librorum ſuorum revelaret; adeoque quam facillime opera Areopagitica potuerint tum ſupprimi, tum furto auferri. Cæterum prodiiſſe his ultimis temporibus opus aliquod de Mortibus Perſecutorum, Lactantio adſcriptum, quod utut per quamplurima ſecula, ipſorum modernorum Criticorum conſenſu, ob Patrum de eo ſilentium, ſepultum jacuerit, nihilominus pro legitimo Lactantii fœtu ab ipſis agnoſcatur. Quodſi proinde Euſebii, Hieronymi, cæterorumque Patrum antiquiorum ſilentium non obſtet, quo minus hoc Lactantii opus, ut & illud Athenagoræ, antea memoratum, hagiographis adnumerari poſſit: multo minus eorundem Patrum ſilentium S. Dionyſii operibus quicquam officere, Cozza noſter concludit, cum poſt Euſebium & Hieronymum, communi ea a Patribus tum Græcis tum Latinis conſenſu *fuerint* recepta. Ab his vindiciis jam ad cætera, & inprimis ea *Cozza* argumenta progreditur, quibus tum ex funere B. Virginis Mariæ, cui Dionyſius ſe interfuiſſe gloriatur, tum ex voce ὑποστάσεως a Dionyſio toties uſitata, opera Areopagitica genuinos neutiquam Dionyſii Areopagitæ fœtus eſſe, Anti-Areopagitici arguunt. Atque quidem B. Mariæ funeri Dionyſium intereſſe omnino potuiſſe,

ex

ex eo demonstratu haud impossibile esse Cozza regerit, quod Mariam anno ætatis suæ non LXIII, sed LXXII mortuam esse, ex Epiphanii, Cedreni, Anselmi, Glycæ, Andreæ Cretensis, Canisii, aliorumque calculo satis & abunde possit demonstrari. Quo calculo posito, planum esse atque evictum, Mariam plures adhuc longe quam XV annos post Christi ascensum vixisse, adeoque Dionysium ejusdem exequias cum cæteris omnino Apostolis potuisse celebrare, cum Paulus XVII post Christi passionem anno Athenas profectus fuerit, ibique non diu adeo commoratus S. Dionysium concionibus & apologiis suis Heroicis ad fidem Christianam converterit. Deinde Angelorum ordinibus Dionysianis ex ipsa Scriptura S. & Patribus V priorum seculorum prius adhuc vindicatis, altero quodam capite vocem *ὑποστάσεως* quarto demum seculo, post Concilium Nicænum ab Hosio, Episcopo Cordubensi, adinventam, aut eo ad minimum, quem hodie obtinet, sensu personali in libros Ecclesiæ symbolicos esse introductam, assertum Cozza esse ait Anti-Areopagiticorum falsissimum, cum ea jam I seculo ipsum Paulum Apostolum in Epistola ad Hebræos, & post eum Tertullianum seculo II, Origenem vero, Gregorium Thaumaturgum & Dionysium Alexandrinum III seculo, eodem quidem, quem hodie habet, sensu, usos fuisse, ex Græcis Philosophis & Patribus, neque Socrate, neque Sozomeno, neque etiam Nicephoro reclamante, abunde probari possit & confirmari. Quod denique memoratam in operibus Areopagiticis disciplinam Ecclesiasticam attinet, quam omni itidem conatu Anti-Areopagitici Dionysii S. ætate nondum ita viguisse contendunt, magnam admodum Vindiciarum suarum partem in ea primitivæ Ecclesiæ seculo I vindicanda absolvit, ita ut & templa, altaria & loca sacra Dionysii ætate fuisse extructa: ac baptismi ceremonias circa exorcismum, unctionem, consecrationem aquæ baptismalis, baptisteria aliasque res baptismales, Dionysii ævo in usu fuisse: antiquissimam fuisse, ac ab ipsis Apostolis dimanasse, circa sacrificium Missæ, circa Catechumenos, & circa Pœnitentes Ecclesiæ disciplinam: Monachorum ordines & tonsuras, ut & Episcopos distinctos a Presbyteris, Dionysii ætate extitisse: Millenariorum hæresin ejusdem ætate certo modo jam fuisse exortam: celebratas fuisse, ut a Dionysio describuntur, mortuorum exe-

quias: usitatas preces & oblationes pro defunctis ejusdem ætate fuisse, & quæ sunt cetera, fusius probare nititur. Cui disquisitioni demum recensionem de operum Areopagiticorum utilitate & variis editionibus, cum tota Joannis Novii pro operibus S. Dionysii adversus Laurentium Vallam Apologia, & indice rerum in his Vindiciis memorabilium subjungit.

Cum hæcce typis committeremus, ejusdem plane argumenti opus aliud, superiore quoque anno Lutetiæ Parisiorum Gallico sermone editum, in manus nostras incidit, cujus Auctor anonymus non minori, quam Cozza, studio Dionysio Areopagitæ Opera, quæ sub nomine ejus venditantur, vindicare allaborat. De quo alibi.

ANTONIUS SIDOBRE MONSPELIENSIS Doctor de Variolis & Morbillis. Accedit CAROLI DRELINCURTII &c. de eodem argumento Dissertatio. Cum Indice Capitum & Rerum.

Lugd. Batavorum, apud Andream Dyckhuisen, 1702. 12. pl. 15.

Lugduni in Gallia A. 1699 typis excusus est, quem Batavorum opera nobiscum jam communicatum videmus, tractatus. Auctor illius est *Dn. Antonius Sidobre, in Monspeliensium Academia Artis Medicæ Clarissimus Doctor.* Qui *Celeberrimi Drelincurtii* (cujus opuscula antehac edita, in Actis nostris anno 1686 pag. 472 recensita invenimus) aliorumque exemplo excitatus, observationes illas, quas de Variolis, partim ex propria, partim ex Avunculi sui, felicissimi Practici, experientia diuturna collegit hactenus, Orbi Literato invidere diutius noluit, sed concinnata atque in lucem edita præsente de Variolis ac Morbillis Dissertatione, suæ pariter famæ atque aliorum commodo consulere decrevit.

C. I. De origine Variolarum non immerito dissertationis facit auspicium, quam ratione temporis in seculum rejicit post C. N. duodecimum, utpote sub cujus medium Variolas ac Morbillos, penitus ignotos hactenus affectus, primum innotuisse apud Arabes, *Avicenna, Avenzoare, Rhasi & Mesue* testibus, probare nititur. Se-

Sequitur accuratior Variolarum descriptio, atque in hac nullum fere fuisse omissum periculosissimi hujus morbi phænomenon, ex lectione constabit plenius. Facta descriptione, transitum ad examen constitutionis sanguinis facit, & quæ sit in hocce affectu M. S. crasis, operose disquirit. Ubi tandem ex narium, alvi & uteri hæmorrhagiis, mictu cruento, hæmoptysi, aliisque similibus Variolarum consuetis symptomatibus concludit, Variolas sanguinis præcalidi ac dissoluti sobolem esse. Interim nec dissimulat, reperiri in nonnullis subjectis, quamvis rarius, crassum adeo ac pinguescens sanguinis sulphur, ut, terebinthinæ instar igni expositæ, per fermentationem in serosum liquamen haud resolvi patiatur sanguinem, sed inspissari potius faciat; unde loco hæmorrhagiæ, faucium asperitas ac sitis inexplebilis, angina, parotides ac bubones se prodere soleant. C. II. C. III.

Cum autem per experientiam constet quotidianam, ex hominum millibus vix unum reperiri, qui semel in vita Variolis non corripiatur, sequi inde existimat Clarissimus Auctor, dari quid in nostro sanguine, quod, data occasione, memoratam jam fermentationem ac dissolutionem inducere queat. Et hoc salia vult esse acria, salsa, ex acidis atque alcalinis fixis coalescentia, quæ soluta & cum sero sanguinis circulata liberius, mole sua fixa, multisque aculeis hirta, partes sanguinis sulphureas, menstruorum salsorum instar, carminare, disrumpere, totique massæ sanguineæ æstum impertire vehementissimum valeant. Quod autem hoc ipsum Variolarum fermentum diu in corpore lateat, & nulla symptomata accersat, sulphureis sanguinis partibus in acceptis ferendum esse putat. In his enim facilius, quam in aliis humorum partibus, salia ejusmodi acria aliaque fermenta implicari, difficiliusque iterum exsolvi, fuse docet, adducto in medium de Hydrophobia simili, cujus fermentum morsu canis rabidi cum corpore communicatum, longo temporis intervallo sopitum mansisse, observatum fuit, donec post menses, imo & annos integros, egressum e contextu staminum sulphureorum sanguinis miasma rabidum, ex improviso hominem in tantum conjecerit vitæ periculum; qualia exempla apud *Forestum, Schenckium, Musam Brassavolum, Guainerium &c.* leguntur plura. Causam igitur occasionalem, salia illa acria in motum C. IV C. V. C. VI.

cientem, nullam fatetur eſſe aliam, quam nimiam ſanguinis fermentationem, ab aere impuro vel infecto oriundam. Quodſi enim atmoſphæra noſtra ſalibus volatilibus alcalinis, a fermentatione ſubterranea, uliginoſis locis, vel etiam contagio contractis, ſit referta, ac pulmonum veſiculas pervadat, aut corporis habitum ambiat, ſanguini neceſſario infundet hæc ipſa miaſmata, quæ humores permeantia, partes ſanguinis ſulphureas diſſolvendo, in iis involutum ſeminium expedient, ac morbum ſuſcitabunt.

C. VII. Revertitur, his ſuppoſitis, ad cauſam Variolarum intrinſecam, ſalia nimirum acria, atque altius hic repetere inſtituit Cl. Auctor ipſam ſeminii Variolarum in corpore humano ſcaturiginem & propagationem. Ubi Variolas inter morbos hæreditarios omnino referendas eſſe pronunciat. Variolarum enim ſalſum acre fermentum, in fœminarum corpus cum ſemine virili emiſſum, atque ad ovarium traductum, a ſanguine arterioſo per placentæ rudimentum incerni, atque in fœtum per venam umbilicalem viam ſibi parare, probabile ipſi videtur; quo facto, fieri aliter non poſſe, quam, ut cum humoribus fœtus permiſtum, eandem iis conciliet, quam ſanguis paternus obtinuit, labem, exiſtimat. Notatu digna etiam, quam occaſione hujus theoriæ proponit, de nutritione fœtus in utero, obſervatio: ſcilicet non per ſanguinem, ſed per lacteum ſuccum certis lactiferis ductibus contentum, nutriri embryonem, firmiter perſuaſus eſt. Et hos ipſos lactiferos ductus, geſtationis tempore internum uteri involucrum irrigantes, extra illud autem agglomeratas veſiculares glandulas repræſentantes, primum ſibi *a D. Chyrac, Regio in Academ. Monſpelienſi Profeſſore*, demonſtratos fuiſſe, cum laude meminit.

C. VIII. Tranſit hinc ad primum Variolarum ortum, quem talem ſibi concipit, ut exiſtimet, febrem malignam cum exanthematibus invaſiſſe, non multo ante Avicennam tempore, ex Arabibus quendam, ubi volatiliori fermenti parte per ſudorem ac *tranſpirationem* diſſipata, fixior nihilominus in parte ſanguinis ſulphurea tamdiu delituerit, donec diuturno humorum æſtu partisque ſulphureæ diviſione, evoluta fuerit. Et hoc modo a parentibus in filios, ab Arabibus denique ad alias gentes, traductum fuiſſe virus hocce malignum, perſuaſus eſt.

C. IX. Cum autem ſeminium illud in cute non poſſit

possit erumpere, nisi prius e sulphureo involucro expediatur, necessario in hac sanguinis turba, multa salia fixa cum acribus illis salsis simul evolvi, atque ingentem inire fermentationem existimat Clar. Auctor. Unde tot tantaque circa Variolarum eruptionem symptomata, quæ sigillatim recensita, & fusius explicata, in hoc capite invenimus. Inter cætera meminit etiam palpitationis cordis, consueti circa Variolarum insultum symptomatis, qua de peculiarem etiam fovet speculationem: dissolutis nimirum sulphureis sanguinis partibus, nitrum aereum promptius cordis fibris cum parte sanguinis explosiva salino-sulphurea suppeditari; hinc motum cordis vegetiorem celerioremque arteriæ dilatationem dependere, asserit. Cordis enim motum non per spiritus animales, sed per nitrosam aeris partem, fibris cordis in spiram convolutis, mediante sanguine per arteriam coronariam advecto, inspiratam perfici existimat. Neque vulgaris est observationis, quod occasione anginæ, de affectu *Patris cujusdam ex Congreg. Oratorii* Du Brueil refert exemplum. Liquida Rev. hic Vir non nisi guttatim & maximo cum labore sorbillabat; quod si ea avidius atque inopinanter forte hauriret, frequenti tussi & suffocatione statim angebatur; solida vero sine ullo labore devorabat, de cætero integra usus valetudine. Supponit, ad explicandam rarissimi hujus affectus causam, ex avtopsia Anatomica Cl. Auctor in glottidis margine duos utrinque excurrere alveolos, qui haustum omne liquidum, citra ejus depressionem, in œsophagum alias deducant; hos ipsos alveolos, in hoc subjecto, ab aere explicatos, ac fere penitus deletos fuisse credit, præsertim cum Vir iste a longo tempore orationibus, precibus & colloquiis vacaverit frequentius. Hactenus de Variolarum prodromis; ipsam eruptionem ac suppurationem sequentem in modum describit. Salia acria salsa, ingenti sanguinis motu expedita, & cum obviis fermentis congrediendo fracta atque divisa, materiam perspirationis sibi adsciscunt, & una in cutis glandulas secreta, earum poros meatusque insensiles, ob crassam suam molem infarciunt, contextumque earum vellicant: paulo post circa cutis glandulas difficulter circulans sanguis, rubentes excitat maculas, & post tres aut quatuor dies effervescendo in pus, partium suarum attritione, abit. Facta jam eruptione, evanesce- C. X.

re sæpius iterum Variolas notissimum, id quod duplici ratione accidere existimat; vel enim Variolarum fermentum, superveniente febre, in sanguine nimis commovetur, consequenter per cutis glandulas non percolatur, nec in pustulas debito modo efflorescit: vel etiam sanguis nimium ab ambiente frigore tactus, vel impulsu spirituum a timore, terrore &c. destitutus, ad interiora statim cogitur, unde pustulæ pabuli defectu exarescere, ac intus resorberi observantur.

C. XI. Nec vacabit res periculo, si tardius erumpant Variolæ: præter symptomata alia enim satis periculosa, solent tunc ægrotantes vomitu etiam excruciari enormiter. Curiosa est, quam de vomitionis actu proponit hic Cl. Auctor, theoria: fibras enim stomachi nihil prorsus ad vomitionem conferre autumat; sed *diaphragmatis* & musculorum abdominis validæ pressioni potius totum deberi negotium, experientia in cane vivente facta, probare satagit.

C. XII. De symptomatis Variolantes Gravidas corripientibus notissimum, frequentius ab iisdem abortum provocari, quod a febrili sanguinis commotione evenire, persuasus est Auctor noster: commoto enim extraordinarie, per Variolarum fermentum, in gravidis sanguine, uterinum vel menstruum fermentum simul, ante tempus a natura præscriptum, evolvi, eoque intempestive succum, quo fœtus nutritur, lacteum infici existimat, ita ut maturius calcitrare fœtus, atque uterum ad contractionem concitare, necesse habeat.

C. XIII. Notatu dignum etiam, quod circa prognosin occupatus, de Variolis in morbos chronicos aliquando degenerantibus, profert exemplum. Vidit enim Narbonæ in Galliis Marchionissam, neglecta V. Sne, Variolis confluentibus ac crustosis tam atrociter laborantem, ut ulcera in clunibus cava, in tibiis ac femore intumescentia gangrænosa, ac de cætero febris lenta cum *sputo* copioso purulento, lethalem morbi exitum minarentur. Et quamvis administrata adhuc V. Sne, atque adhibito cathartico blando servata fuerit, nihilominus tabem ex hoc morbo & sanguinis depravationem contraxit tantam, ut in cute ejus per sesquiannum pullulaverint semper exanthemata, pustulis variolarum similia, quæ exsiccata squamarum instar decidebant, atque alia illorum

loco

loco germinabant; donec sanguis diuturno lactis asinini usu, frequentibus cathartieis, atque accurata victus lege, pristinam recuperaverit consistentiam, totumque seminium morbosum propulerit.

Curationem denique ipsam in Variolis quod attinet, cardinem ejus in eo potissimum versari vult Cl. Auctor, ut sanguis in vasis æstuans temperetur, ejus acrimonia demulceatur, citatior motus reprimatur, vasa turgida depleantur, ac fermenta innata a vinculis expediantur, quo facilius per cutem secernantur postmodum. Hisce indicationibus omnibus per V. Snem, catharsin, enemata atque emulsiones, vel ptisanas refrigerantes ac lenientes, satisfieri posse, suffragante experientia, omnino persuasus est. Et V. Snis usum, sub principium morbi, adeo quidem facit necessarium, ut iterandam eandem, pro symptomatum urgentium ratione, septies vel octies etiam existimet: enemata & purgantia a deliriis vel convulsionibus indicari; refrigerantia autem, diluentia atque humectantia, tunc potissimum in usum vocanda esse perhibet, ubi ob tenaciores sulphureas partes, ac deficiens serum, exsiccatus nimium sanguis deprehendatur: procul de cætero sic dicta alexipharmaca, cardiaca & bezoardica esse jubet. Et mirandum profecto, Gallorum medendi in Variolis methodum in tantum distare a Germanorum methodo, ut illa, quæ apud nos miseros ægrotantes pessumdarent, Gallis in remedium cedere observentur. Certe, si neglectis lenioribus alexipharmacis & bezoardicis methodo nostræ consuetis, V. Sne, purgatione ac vomitoriis, Variolantium succos & sanguinem exhaurire tentaremus, cœmeteria vix sufficerent tegendis crassis istiusmodi Medicorum erroribus. C. XIV. & XV.

De *Morbillorum* theoria & curatione brevissimis agit Auctor. Sicut enim horum seminium a Variolis non aliter differre, quam quod hoc crassius sit ac tardioris motus, illud vero tenuius atque acutius, docet: ita & Morbillorum fermentum sanguinem minus commovere, & per cutis glandulas secretum, eas minus obstruere, faciliusque in auras difflari, per experientiam constare existimat. Meminit sub finem etiam certæ alicujus exanthematum infantibus familiarium speciei, quæ ab Italis *Ravaglione*, a Gallis autem *Verole volante* appellatur communiter. Atque hæc ipsa exanthemata C. XVI.

mata sub forma vesicularum albicantium, aqua limpida turgidarum, apparere, intra triduum autem facta ruptione exsiccari iterum solent. Quapropter parvi momenti affectum hunc esse reputat, a materia transpirationis viscidiori & sale fixo infecta oriundum, atque infantes solum, citra febrem tamen, prehendere solitum.

Superest, ut ex annexa Celeberrimi *Drelincurtii* dissertatione notatu digniora adjiciamus. Unum idemque cum praecedenti argumentum est, quod a Celeberrimo Viro hic pertractatum videmus. De jucundissima autem brevitate, accuratoque & summo judicio, quibus utitur, plura haud attinet dicere: per orbem enim notissima consummata Viri hujus doctrina & scribendi genus est, quo *Medicorum* appellari *Seneca* omnino meretur. Sed ad rem. Variolas & Morbillos ab omnium hominum memoria viguisse, ex veterrimis Auctoribus Medicis probare satagit. In specie autem *Variolas* describit *fermentantis sanguinis universalia rejectanea, vulgo sese prodentia tuberculis rubris, saniosis, purulentis, pruriginosis, sublimibus atque disjunctis: Morbillos, sanguineae massae febriliter effervescentis eruptiones erysipelatosas, maculis generalibus conspicuas rubentibus, planis, expansis atque contiguis.* Causam quod attinet, putat illam in fermentatione, qualis in musto alias obtingere solet, consistere: atque hoc ipso praeternaturali humorum turbamento, sanguinem emittere existimat Celeberr. Auctor portiunculas suas, tum crassiores, quae epidermidis densitate cohibentur, atque in Variolas abeunt, tum subtiliores, quae poris & halitu difflantur, & contagione sua aerem inquinant, quo virus illud serpere in adstantes, eorumque massam aeque commovere, ac florentis vitis expirationes vinum vel in cryptis exagitare solent, observatur. Interim ferviditas sanguinis, ad mentem Celeberr. Auctoris, major in Morbillis erit, quam in ipsis Variolis, unde febres Morbillis quidem, non aeque Variolis tribuit: Morbillorum enim fermentum fervidius ac tenuius, ideo turbis majoribus febrem succendens; Variolarum virus crassius ac lentius, nec juge febris suscitabulum, ex observatione sedula statuere non dubitat. Saniem in suppurantibus Variolis naturae acido-salsae esse existimat, tantis quidem praeditam aculeis,

leis, ut non solum pruritum, foveas ac cicatrices, sed & ulcera sinuosa inferre valeat: sistit ex Praxi sua exemplum de annosa virgine, cujus glutæos musculos, mammarumque colles, imo & oculorum globos, purulentis cuniculis ex hoc affectu suffossos vidit cum dolore ac stupuit. Notari etiam meretur, quod curationem horum affectuum pertractans, tyronibus Medicis proponit monitum: *cavendum scilicet, ne securitati nimium indulgentes, deficiant in generositate*: & hoc de venæsectionis usu potissimum vult intellectum, utpote quam, ubi vehemens febris accensa sæviat, & symptomata varia invalescant, circa Variolarum & Morbillorum principium negligere Medicos, citra errorem manifestum, haud posse existimat: ope venæsectionis enim naturam ex parte onere levatam, reliquum audentius aggredi, ac majori robore vitiosam congeriem ad ignobiliores partes protrudere, observavit non semel. Si febris fuerit mitior, & materia semel incitata foras excerni nequeat, præ nimia humorum mole, qua viscera premuntur, tunc humores illos pravos purgantibus, ast mitissimis, utiliter imminui docet, quo facto natura postmodum alacrius expulsionem promovere observabitur. Tegmina, quibus cooperiendi Variolis ac Morbillis conflictantes, ex pannis rubris aut puniceis concinnata, non improbat Celeberrimus Auctor, utpote quorum, atque in universum omnium rubore tinctarum rerum, crebro aspectu ad exteriora summamque cutem ferri humores, persuasus est. De cætero Lentium cum Lacca & Tragacantho toti Arabum familiæ tanquam selecti remedii frequentem usum, hodie ob minus conspicuam virtutem, lenti medicamenti titulum jure meritoque obtinere: quin & usum eorum, propter crassi succi generationem, & pavorum in somno augmentum, exosum esse debere existimat.

DE ARGENTO RUNIS SEU LITERIS GOTHICIS insignito Sententia NICOLAI KEDERI, Regii Antiquitatum Collegii, quod Holmiæ est, Assessoris.

Lipsiæ apud Jo. Frid. Gleditsch, 1703. 4.
Plag. $2\frac{1}{2}$, cum fig. æn.

Ele-


Elegantissimo huic schediasmati occasionem nummus præbuit argenteus, vetustis gentium Septentrionalium literis, quas *Runas* vocant, notatus, primumque a Clarissimo Viro, *Edmundo Gibsono*, in Guilielmi Camdeni Britannia in Anglicum sermonem versa, ac luculentis accessionibus aucta (quam in Actis hisce anno 1696, mense Aprili, pag. 188 sqq. recensuimus) publicatus, dignusque ob summam raritatem Celeberrimo Antiquitatum Suecicarum Collegii Regii Assessori, *Nicolao Kedero* visus, quem accuratius sub examen revocaret. Nos eum in tabula V, fig. I exhibemus, paucisque tum Gibsoni, tum Kederi de eo sententiam enarrabimus, judicio Lectoribus harum rerum peritis relicto.

TAB. V. Fig. I.

Et Gibsonus quidem persuasum habet, argentum hoc non monetæ usum habuisse, quippe qualis in regnis Septentrionalibus ante abrogationem Runarum cusa non fuerit, sed amuletorum quoddam genus fuisse magici usus, qualia imaginibus Deorum facie humana expressorum signata veteres in Paganismo habuisse, *Thomas Bartholinus Th. F.* in Antiquitatibus Danicis de causis contemptæ a Danis adhuc gentilibus mortis, testetur. Numen vero non aliud in eo repræsentatum, quam veterum illud Saxonum quod *Thor* appellabant, Anglis etiam non ignotum, quibus ab eo dies Jovis *Thursday* denominetur. Certe Stephanium, in notis ad Saxonem Grammaticum, *Thorem* ita describere, quod habuerit caput flamma circumdatum instar Solis, manu vero sceptrum vel aureum malleum gesserit: quæ ad effigiem in argento nostro expressam exacte quadrent. Extra omnem vero controversiam rem poni, per literas Gothicas in parte postica expressas ✠ *Thur Gut Luetis*, i. e. interprete Gibsono, *Thoris Dei facies*. Et huc spectare quoque Lunæ dimidiæ stellarumque figuras, cum, quod Phœnices de Sole suo, unico cœli Deo, cujus nutum reliqua sidera observent, idem prisci Gothi de suo *Thore* crediderint.

Ex adverso, Kederus primum non credit, argentum istud amuleti usum præbuisse, etsi sua Bartholino fides constet. Quod si enim cum orbibus illis aureis, de quibus potissimum Bartholinus disserat, argenteus hic diligenter conferatur, inque illis forma, figura, fabrica, alterum duntaxat latus signatum, annulus superius

TAB. V. *ad A. 1703. M. Sept. pag. 418 sqq.*



perius additus, aliaque ſpectentur, longe hunc alium deprehenſum iri. Deinde non perſuadet ſibi, ſimulachro illo *Thorem* idolum gentilium referri. Obſtare enim ait in ſecundo latere Crucem initio literarum præfixam, ut & illam in media area, quam Rhomboides ſepit munitque: qualis crucis uſus Chriſtianorum fuerit proprius. Verborum vero Runis expreſſorum minime hunc ſenſum eſſe: *Thoris Dei facies*. Primum enim *Thur* & *Gut* perperam ſeparari, cum nulla hic compareat interpunctio, ſingulis alias in Runographia vocibus perquam familiaris, quaſi & in hoc nummo *Thurgut* a ſequenti voce dirimatur. Secundo, ſi *Gut* ſignificaret Deum, loco Runæ ᛏ, cui T ſimplex par ſit, collocandam fuiſſe Runam ᚦ, cujus vim T cum adſpiratione (H) conjunctum imitetur. Tertio *Thur* & *Gut* non eſſe caſus ſecundi. Poſtremo pro genuina voce *Luntis* (ſic enim eam legi debere, cum tertiæ ejus Runæ litera N æquivaleat) vocem *Luctis* male ſubditam, quæ nec ipſa tamen forte *faciem* denotet, quam veteres Gothi potius *Andlit*, *Yſirlit*, *Mynd*, *Liknesk* vocarint. De cætero Lunam & ſtellas quidem haud incongrue ad *Thorem* applicari poſſe: aſt res illas ad quadrati externos angulos, quæ pro ſtellis ſint acceptæ, aliud quiddam potius, idque non niſi ut parergon, ſiſtere poſſe cenſeri. Certe in tribus rariſſimis nummis argenteis Runicis noſtro conſimilibus, quadrati hujusmodi angulos, non ſtellis, ſed globulis exornari: quorum unum hic figura II exhibet. Lunulas vero in Anglorum veterum nummis, ubi ne minimum quidem *Thoris* veſtigium reperiatur, frequentes, & haud dubie ſolius etiam ornatus cauſa, occurrere. Ita enim e. g. in uno, inter ſuos, *Sterlingo* cum Æthelredi nomine duas, in altero cum Suenonis nomine quatuor, evidenter comparere, quorum ille figura 3, hic 4 repræſentantur. TAB. V. Fig. 2.

Ita deſtructa Gibſoni ſententia, ſuammet Kederus exponit, cenſetque nummum, de quo diſceptatur, nonniſi monetæ publicæ uſum olim præſtitiſſe. Quam ut confirmet, cum altero figura 2 expreſſo, & ab ipſo Gibſono inter Britannicos nummos Tab. II no. 34 relato, illum confert, eandemque plane in utroque partis poſticæ epigraphen eſſe monet, niſi quod in noſtro ex meris ea Runis, in altero iſto ex Runis partim, partim ex elementis La- Fig. 3, 4.

tinis composita sit. Ita enim legendam putat: TOHRIYNT: INMIS. quæ verba, si elementis pure Latinis exprimantur, & si τῶ H genuina sedes, unde in nummo deturbatum fuerit, restituatur, non aliud innuant, quam THORGVT. LVNTIS. Dein ex genio aliorum nummorum, præcipue veterum Anglicorum, comprobare nititur, quod noster hic a fronte sive Salvatorem generis humani, sive Regem quendam; a tergo cum crucem, tum appellationem & loci, ubi fuerit signatus, & gubernatoris ejusdem loci, aut alius viri, qui officinam ibidem habuerit monetariam, exhibeat. Nimirum imaginem Servatoris nostri priscorum Anglorum denariis adversis non infrequenter imprimi solitam, animadvertit, &. ex sua Collectione unum producit figura 5, quo Servator noster toto expressus corpore, sedens, cum nimbo seu circulari isto lumine, dextera sublata benedictionem impertiens, & læva Evangeliorum codicem tenens conspiciatur, adscriptis elementis Græcis IH. XC. i. e. IESV CHRISTI. Nec improbabile esse, quod Anglorum Reges Imperatorum Orientis inferioris ævi morem æmulari voluerint, quos Salvatoris effigie nummos crebro insignivisse constat. Forte & simulachro nostro datæ epigraphes duas primas literas IΣ, compendiaria quadam ratione, IESV nomen comprehendere. Porro nec Regis cum globo & sceptro typum veteribus nummis Anglicis esse insolitum, exemplo *Sterlingi*, quem Sancti Edwardi Confessoris putant, figura 6 ostendit, ad nummos similes alios provocans. Etsi vero in his nimbus non cernatur, insolens tamen non fuisse, talem etiam adhuc inter vivos degentium Principum effigiebus addi, non Romanorum tantum Imperatorum Gratiani & Constantini M. sed & e recentiore ævo, Johannnis Suecorum, Danorum Nowegorumque Regis exemplo probat, qui in quibusdam regni Danici nummis argenteis uncialibus, effigiem suam illo quoque cultu adornari passus fuerit. Quantum ad crucem, eam addit vetustos Angliæ nummos velut pro sua sibi vindicare, & quidem in latere averso, adeo ut olim latus nummorum aversum *Crosse-Side*, i. e. Crucis latus, quemadmodum adversum a Regis effigie *Kings-Side*, i. e. Regis latus, fuerit nuncupatum. Denique quod in aversa nummi parte indicetur locus, ubi percussus fuerit, nec non ejusdem loci

TAB. V. Fig 5.

Fig. 6.

seu

ſeu gubernator, ſeu monetarius, ex more itidem veteris monetæ Anglo-Saxonicæ declarat. Et hunc quidem, ſive gubernator fuerit, ſive monetarius, familiariſſimum Septentrionalibus nomen *Thurgut* indicare putat, ex idoli *Thor* nuncupatione, & ex *Gute*, ſive *Gaute*, quod Gothum ſignificet, coalitum; quemadmodum per has plagas, pagani veteres ſummæ gloriæ duxerint, a *Thor* pariter, ac *As* (quod & ipſum nomen ſingulis Diis, præcipue tamen *Othino* competierit) ſua utriusque ſexus nomina propria deducere: quam in rem nominum talium catalogus ex *Olai Verelii* Auctario Notarum in Hervarar-Saga p. 22 adducitur. Locum vero oſtendere arbitratur nomen *Luntis* ſeu *Lundis*, pro vulgari illo *on Lunden* (Londini Anglorum) Latina terminatione, auferendi caſu, numeroque plurali, ut Hieroſolymis, Pariſiis, poſitum: ſicut & loco *Londini Scanorum* in Arnoldi Abbatis Lubecenſis Chron. Slav. l. 4 c. 18, & apud Ericum Olai l. 4. Hiſtoriæ Sueo-Gothicæ, *Lundis* legatur. Neque iſti τῷ Luntis ex Latino fonte hauſtæ explicationi *Runas* refragari, cum gentes olim Boreales integras inſcriptiones Latinas Gothicis quandoque literis exprimere amaverint.

Sub finem non diſſimulat Nobiliſſimus Auctor, in nummo noſtro ſepties geminatum Σ dubitandi anſam præbere poſſe, ſitne ex monetæ, an amuletorum cenſu. Sed opponit ex *Sterlingis* ſuis unum figura 7, in quo litera E ſedecies conduplicatur; confeſſus tamen, in iis enucleandis Davum ſe, non Oedipum. Denique ſi quis malit, monetam noſtram non Londini in Anglia, ſed Londini in Scania, ad exemplum Anglicarum monetarum, auctoritate viri cujusdam illuſtris, cui *Thurgothi* fuerit nomen, olim fuiſſe percuſſam, ei ſe non magnopere adverſaturum profitetur. TAB. V. Fig. 7

HISTOIRE DES VARIATIONS DE L'EGLISE Gallicane.

i. e.

HISTORIA VARIATIONIS ECCLESIÆ GALLICÆ, autore J. A. RENOULT.

Amstelodami apud Nicol. Chevalier, A. 1703. 8. plag. 23½.

NEglecta responsionum tritarum via, novo oppugnandi genere notissimum Celeberrimi Bossueti, de Variationibus Ecclesiæ Protestantium, librum aggressus est *J. B. Renultius*, ex Romanarum partium homine religionis Reformatæ propugnator, aliis consimilis materiæ scriptionibus notus, quippe qui Ecclesiam Gallicam, Romano Pontifici addictam, longe pluribus majorisque momenti variationibus subjectam fuisse, hoc velut specimine probatum ivit. Tria vero potissimum selegit argumenta, in quibus operam suam collocaret, videlicet doctrinas de cultu Sanctorum, de Eucharistia, & Pontificis potestate. Has XIII epistolis, ad Bossuetum scriptis, multoque sale conspersis proponit. Prima enim epistola, quæ præfationis vice est, præmissa, in sequenti, quis impræsens in Gallia B. Mariæ cultus exhibeatur, quo pacto illa Deo fere ipsi præferatur, redemtrix humani generis salutetur, ex Cheminasii Jesuitæ, aliorumque recentiorum scriptis, ac praxi ecclesiastica ostendit, monetque in tertia, longe alios veteri Gallorum Ecclesiæ mores fuisse, quæ nec narrationi de nativitate Mariæ fidem adhibuerit, nec a peccato illam habuerit immunem, nec miracula illi adscripserit, longe minus templa arasque exstruxerit, preces ac vota fecerit. Epistola quarta, de præsenti Sanctorum demortuorum in Gallia cultu tractat, eosque ad latus Divinum poni, vel saltem inferiorum loco Deorum haberi, collata paganorum apotheosi probat, monens & mente captos nonnunquam coli, qualis Franciscus ab Assisio fuerit, & vitiis graviter contaminatos, qualis Gregorius VII dici mereatur. Aliam stetisse mentem pristinæ Gallorum Ecclesiæ, epistola quinta edocet, Irenæo præsertim solum Dei cultum admittente, *pag. 75 & seq.* in testimonium adducto; qua data occasione, Auctor Irenæum & plerosque veterum de beatis demortuis, ipsis etiam Apostolis vel Martyribus, docuisse, quod, cælo usque ad extremum judicium exclusi, in loco quodam subterraneo asserventur, & quod pro iisdem preces fundendæ sint, observat, indeque argumentatur, eos ab istorum adoratione alienissimos fuisse, quæ quarto seculo concepta, sexto nata fuerit, septimo

ptimo adoleverit. Post hæc sexta epistola de imaginibus disceptans, Marollium & Crassetum inducit, testes futuros, quantum Gallia in earum cultu nunc excedat; quo loco in Jansenii asseclas multis modis invehitur, eosque reliquis Pontificiis meliores non esse, confidenter pronunciat. Septima vero & octava epistola, quantum Gallia Christiana vetus ab idololatria ista abhorruerit, adductis Irenæi, Sereni Massiliensis, Conciliorum Francofurtensis & Parisiensis, Agobardi & Jonæ Aurelianensis, exemplis evincit, ipsaque Caroli M. Capitularia contra Maimburgium aliosque vindicat.

Ad aliud caput progreditur epistola nona, decima & undecima, de Eucharistia nimirum moniturus, quam insigniter circa eandem Ecclesia Gallicana variaverit, quæ ad seculum usque undecimum transsubstantiationis dogma repudiaverit, S. cœnam sacrificium quidem, sed precum & symbolorum, non corporis & sanguinis Christi vocaverit, adorationem vero & circumgestationem ejus tardissime receperit. Quo loco ipsius Paschasii confessione probatur, inventum ab illo transsubstantiationem novum dogma & priscis inauditum fuisse; neque ante seculum decimum quintum communionem, quam sub una vocant, ab universa Gallia approbatam.

Deinceps de potestate Papæ disserit, quam ad seculum usque quintum Gallis omnino ignotam fuisse, ostendit, adeo ut Leoni rudia quædam dominatus sui fundamenta posituro, & Valentiniani Imp. lege adjuto, Hilarius Arelatensis mascule se opposuerit. Octavo autem seculo, Pipino adblandiente, nonnihil potestatis in Gallos Pontifici concessum, sed sequentibus seculis ferme abolitum, usque dum undecimo seculo Galliam sibi Romanus Præsul subjiceret, adductis ex omni Historia testimoniis demonstrat. Sed decimo tertio ac quarto seculis, adspirasse Gallos ad libertatem, sæpeque omnem Papæ obedientiam denegasse, observat: tandemque, quæ nostra memoria contra eundem in Galliis acta, & quam brevi post tempore immutata sint, adductis undique idoneis domesticisque testimoniis, commemorat. Et hæc quidem epistolis duodecima & decima tertia agit.

Non

Non desunt opusculo alia scitu digna, inter quæ referre possis, quæ de feriis, in B. Mariæ honorem institutis, p. 42. sequ. narrantur. Inter quæ feria Conceptionis seculo duodecimo Gallis innotuisse; feria Nativitatis Mariæ, quam Mabillonius septimo seculo ortam judicat, duodecimo pariter in Gallis demum recepta; feria Præsentationis ejusdem A. 1372 instituta; feria denique Assumtionis seculo nono Gallorum moribus recepta legitur.

AMOR DIVINUS ADUMBRATUS IN D. N. JESU CHRISTO. Elegiarum Libri IV. Auctore R. P. GUILIELMO Vander HAGEN, Societatis Jesu.

Antverpiæ, apud Viduam H. Thieullier, 1703. 8.

plag. $10\frac{1}{2}$.

Elegantissimi libelli Auctor Clarissimus indignatus, Elegiam, natum amoribus carmen, traduci passim ad libidines & spurcitias decantandas, cum & ipse musinari quid in isto poëseos genere constituisset, Amores quidem retinuit, sed a sordibus perpurgatos, sed castos & innocuos, imo sacros & divinos. Nimirum ipse humani generis assertor Christus, cujus vita, quot fluxit momentis, tot arsit luxitque igniculis vehementissimæ in nos caritatis, *Amor* illi est, sub quo schemate Servatoris universam Historiam nitidissimis, & tum ingenii acumen, tum pietatem nusquam non spirantibus elegis, ita composuit, ut libro I Amorem hominem factum, II Amorem thaumaturgum, III Amorem patientem, IV Amorem triumphantem repræsentet. Non diffitetur vero in præfatione, facem sibi quoad hanc inventionem prætulisse gravissimos Ascetas, atque inprimis S. Ignatium Martyrem, cujus scitum illud, *Amor meus crucifixus est*, de Christo patiente celebretur. Quo ipso Auctor noster palam dissentit a *P. Laurentio Cozza*. Hic enim in Vindiciis Areopagiticis, ut supra in recensione hujus operis, pag. 404 sub finem innuimus, contendit, Ignatium isto dicto non de Christo loqui, sed de suamet concupiscentia & amore terrestri, quem in se crucifixum, i. e. mortuum & exstinctum esse, ita ut nunc non aliud quam Deum amet, verbis illis indicare voluerit; cum contra Noster Ignatium per *Amorem crucifixum*, Christum Servatorem ipsum intellexisse, tanquam rem indubitatam præsupponat.

Pag. 361 lin. 28 post *terebrationem* inseratur *sublividam*, *crassiorem* & *gangrana affectam*.

* * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris, Anno M DCC III.

DE VITA ET REBUS GESTIS CHRISTOPHORI BERNHARDI, Episcopi & Principis Monasteriensis, Decadis a JOHANNE AB ALPEN, Ecclesiarum Metropolitanæ Coloniensis Archidiacono Majore, Archidiaconalis Santensis Præposito, insignis Collegiatæ D. Martini Monasteriensis Decano, Christophori Bernhardi Consiliario intimiore, Vicario Generali & Sigillifero, conscripta, Pars I.

Coesfeldiæ, typis Andr. Herm. Wemmeieri, Anno 1694. 8.

Pars secunda.

Monasterii Westphaliæ, typis Raesfeldicis, Anno 1703. 8.

Constant Alph. 4. pl. 9.

C*Hristophorus Bernardus de Galen*, Episcopus Monasteriensis, si quisquam alius Episcoporum Germaniæ, dignus erat, cujus res gestas probi scriptores ad posteros propagarent. Quamobrem magnæ debentur gratiæ Illustrissimo *Alpenio*, quo nemo forsitan alius ad componendam tanti Principis Vitam aptior futurus erat, quippe qui gravissimis quæ describenda obveniunt, negotiis ipse ut plurimum, & magna cum auctoritate interfuit, quod laborem hunc aggressus fuerit, tandemque post annos non paucos illi impensos, exantlarit. Quanquam enim mox ab obitu Episcopi, libellus lingua Belgica prodiit in Belgio, vitam ejus complexus, & in varias postea lin-

 guas

guas translatus, eum tamen plurimis & erroribus & calumniis esse refertissimum, in præfatione luculenter ostendit Noster, eoque non male literas, quibus celari Auctor nomen suum voluit, *S. d. V.* interpretatum non neminem censet, *Sycophanta de Ultrajecto.* Quantum autem passim ex hoc opere intelligitur, Vicariatu generali aliisque muneribus, sub hoc ipso Episcopo, supra viginti annos functus est Auctor, præsertim vero, Episcopo A. 1664 in Hungariam profecto, diœcesin Vicaria potestate rexit, & ejusdem nomine Neomagum pacis conciliandæ gratia legatus fuit A. 1678. Nos ut Operis hujus rationem paucissimis exponamus, prætermissa exterarum rerum, quæ fructuose passim interseritur, historia, ea tantum, quæ ipsum Christophorum Bernardum propius concernunt, obiter delibabimus.

Lib. I. Mortuo A. 1650 Electore Coloniensi eodemque Monasteriensi Episcopo Ferdinando, nemo Episcopatum Monasteriensem prensabat sollicitius, quam ejus Capituli Decanus, Bernardus Mallingerotius, rarissimæ vir doctrinæ, & memoriæ tam felicis, ut libros integros, si periissent, restituere posse crederetur; maximam quippe noctis partem, post quotidiana convivia, in seram plerumque vesperam protracta, litteris impendens. At quod Manliana ejus imperia formidarent, plerique Canonicorum, in Christophorum Bernardum de Galen magis proclives, eum Episcopum designabant, frustra primum moras nectente & postea provocante ad Pontificem Decano, qui vitio electum inde arguebat, quod pridie electionis Capitulares, se uno excluso congregati, in ejus jam tum electionem conspirassent. Hunc ne quis, cum auctore libelli supra memorati, pauperem scholarem fuisse existimet, præclaram Galeniorum stirpem Noster describit, patremque Christophori Bernardi Theodoricum, Curlandiæ ac Semigalliæ Archi-Marescallum, Dynastam in Lutzen, Curtzen, Bisping & Roemberg, virum doctum juxta ac prudentem, nec bello inglorium fuisse docet. Re ad Pontificem & Cæsarem delata, uterque probavit electionem Christophori Bernardi A. 1651, cumque Mallingerotius nondum inquietum animum deponeret, exclusus primum a comitiis est, jussique excubitores manibus pedibusque fores palatii pulsitanti, & introitum postulanti respondere, nulli nunc eas patere publicæ

quietis

quietis inimico: post A. 1651, a Commissariis Apostolicis pariter & Episcopo, Decanatus officio, donec resipisceret, motus est. Quo eodem anno Episcopi prudentia imprimis enituit, Bevergerna quippe Monasteriensis dioeceseos arce, quam a Suecis transscriptam Belgæ hactenus insederant, & nequicquam a Monasteriensibus repetitam Guilielmo III, Arausionensium Principi vix bimulo, in speciem tradiderant, pulcro stratagemate in potestatem accepta, & quiete postea retenta. Anno sequenti Ratisbonam ad Imperii comitia profectus Episcopus, facile Cæsarem sibi devinxit, & Mallingcrotio ter ab Aula rejecto, neglecta hactenus jura resuscitavit, atque Burggraviatus Strombergensis nomine, suffragii & sessionis facultatem denuo obtinuit in Imperii comitiis. At Mallingcrotius A. 1654 diligenter Monasterii captabat populi studia, adeoque multorum paulatim favorem sibi conciliabat, ut promulgata ejus ab Episcopo excommunicatione, diplomata passim lacera & fœde conspurcata cernerentur, connivente ipso, uti visum est, Magistratu. Interim Decano sacram ædem nihilo secius ingresso, fugere, ut Noster ait, Capitulares, cessare cantus, omitti horariæ psallentium preces, abrumpi sacrificia, exstingui candelæ &c. Tandemque, ne toties turbare sacra posset, Prætoriani ad templi fores collocantur, qui ingressurum per vim arceant. Quin etiam postea domi suæ detinetur Mallingcrotius; quod postquam cognitum est, tumultuatur plebs, & dilapsum forte Decanum, & a Nuntio Pontificio per idem tempus improvida facilitate ab excommunicatione solutum, læta excipit, atque in Jesuitas, quos credit Episcopo faventiores, libere debacchatur. Unde Princeps res novas non immerito metuens, cum Coloniensi & Trevirensi Electoribus, Principeque Neoburgico, fœdus init, eodem anno in tabulas relatum. Imo quo citius plebis ferociam compesceret, Monasterium urbem per proditionem subjugare statuit A. 1655, militemque clam primo quodam mane adduxit, quo vix tamen comperto, adeo ad arma provolatum est, ut ne ipsæ quidem fœminæ a pulsandis tympanis abstinerent, donec tandem cives Principi (qui detecto dolo explicatis signis urbem cinxerat) per Magistratum utcunque conciliarentur. Neque enim cessabant exinde odia; quandoquidem Monasterienses, cum frustra urbem inter imme-

Lib. II.

Lib. III.

diatas recipi a Cæsare A. 1656 postulassent, palam Hanseaticarum civitatum opem implorabant anno sequenti, a quibus ad Batavos dimissi, Leonem ab Aizema patronum invenere. Quamquam vero Mallingerotio ipso forte intercepto, & in Ottensteiniam arcem (ubi laute ab Episcopo habitus, A. 1664 vivere desiit,) deducto, rursus urbem, hortantibus Sociis obsidione cinctam, acriter oppugnaret Princeps A. 1657, adeo tamen animos obfirmaverant Monasterienses, ut illico glande trajiciendum, quisquis primus deditionem hisceret, conjuratione facta statuerent, fœminis iterum tympana haud raro pulsantibus, & *ad valla, ad valla*, conclamantibus. Itaque cum & opem haud obscure civitati pararent Belgæ, denuo, interventu quidem Nobilium, pax haud magis

Lib. IV. duraturis legibus coalescit. Certe parum firmam futuram, exinde facile constabat, quod & editus mox in favorem Principis libellus jussu Senatus concrematus, & vulgatus contra alius est titulo haud satis honorifico : *Vera descriptio Monasterii, antiquissimæ urbis Hanseaticæ, nec non metropolis Westphalorum, a vigesima Augusti ad vigesimam primam Octobris anni 1677, a Reverendissimo & Illustrissimo Monasteriensis Ecclesiæ Episcopo, aliquorum S. Rom. Imperii Electorum ac Principum auxilio, obsessæ atque oppugnatæ.* Arctiorem quoque cum Belgis societatem expetebant Monasterienses, quod cum in fraudem Imperii fieri, Status Francofurti A. 1658 congregati cognovissent, factum inde, ut Capitulationis Leopoldinæ articulo nono, mediatæ civitates fœdera inire invitis dominis prohiberentur. Quod tametsi paulo post & sigillatim Monasteriensibus interdixerat Leopoldus Imperator, jure etiam præsidii Episcopo A. 1659 adjudicato, & submissis postea executorialibus, attamen illi nequicquam moniti, Belgarum auxilia identidem sollicitabant. Ad eos enim tum temporis, præter Clutium, ablegaverant Eitzenum, hominem, ut Noster loquitur, publico malo facundum, quique cum a Cæsaris apud Rempublicam ministro Friquetio ægre laturum Imperium cognovisset, si Belgarum opem circumspicerent Monasterienses, respondisse inter alia fertur: *Si in Hollandia audiri nequeant, tractaturos cum Suecis, & si nec illi velint, malle se Turcæ, imo Dæmonis, quam Episcopi subesse imperio : religionem nil morari.* Cum vero & mandatum sine clausu-

clausula de revocandis e Belgio Legatis, & duplex, quam vocant, paritoria a Cæsare prodiisset, crescentibus indies simultatibus, Princeps tertio urbem obsidet A. 1660, quam nec liberare ausi sunt Belgæ, imprimis Amstelodamenses, quod sibi a Sociis Galenii, Cæsare, Galliæ item Angliæque Regibus, & Principibus Rhenanis timerent. Itaque cives, ineunte anno 1661, saniora consilia secuti, & vano rumore de Legato Gallico cum magna pecuniæ vi adventante perterriti, deditionem die 26 Martii faciunt, hac potissimum conditione, ut traditis Principi clavibus, præsidium ad ejus arbitrium recipiant alantque. Mirum autem visum est, in tota obsidione, quæ menses octo totidemque dies duravit, tormentis quidem oppidanorum bis millies displosis, non nisi quinque milites fuisse prostratos, inter velitandum e primoribus tres, e gregariis equites peditesque viginti cecidisse, & per molestissimam licet hyemem, non ultra triginta viros morbis confectos periisse. Expugnatæ itaque urbi arcem per summam celeritatem Episcopus imposuit, eamque non quidem *perspicillum Monasteriense*, ut quidam ab Anonymo forte isto, cujus supra meminimus, seducti tradunt, sed *Pauli-Burgum* a D. Paulo, urbis illius & dioeceseos tutelari, vocari voluit; qua demum perfecta, intravit urbem, erectis passim arcubus triumphalibus, hac imprimis inscriptione conspicuis: C*hrIsto-phoro BernarDo AntIstItI soLeMnIter oVantI*; inde novum creat Magistratum, & Tribuum potestatem adeo Principibus exosam tollit, unde nonnemo adscripserat ædibus tribunitiis: *Ne sVtor VLtra* C*repIDaM*. Postulatus postea A. 1662 Abbas Corbejensis multa non sine laude ordinat, & confirmata anno sequenti cum Galliæ Rege & Principibus Rhenanis societate, quam & Palatinus Rheni, Hassiæ item Landgravius, Ducesque Brunsuicenses, & Dux Würtembergensis amplectebantur, Borculoam, tot retro annis a Monasteriensibus quiete possessam, sed a Gelris A. 1616 præreptam, edito publice scripto reddi postulat. Tum eodem anno 1663 sententiam Cæsaris, pro Frisio-Lichtensteinio contra Frisio-Ritbergios latam executurus, castellum Dylerianum subita oppugnatione, non parum indignantibus Batavis, capit, & conventa postea summa Lichtensteinio præbita, dum eam recipiat, retinet. Consultabatur eo tempore Ratisbonæ de rejiciendis ex Hun- Lib. V.

Hungaria Turcis, neque dignior repertus est, qui Imperii nomine armorum director esset, Galenio, qui de belli illius ratione tanta cum prudentia in iis Comitiis perorabat, ut orto postea novo bello Cæsar, lustratis studiose actis Ratisbonensibus, eam orationem investigari, & militiæ ducibus ceu exemplar aliquod proponi jusserit. Et suscepit quidem ille Hungaricam expeditionem A. 1664, mox tamen, facta cum Turcis pace, finitam. At Belgæ interea castellum Dylerianum obsident, & facile deditione capiunt, magnam præterea pecuniæ vim prætexto veteri jure exigentes, executionemque minati. Proinde ut adversus Belgas se muniret, primum de redintegrando Circulo Westphalico laborabat, cujus condirectorium cum ad Juliæ Principem spectaret, essentque eo tempore de his ditionibus inter Brandeburgicum & Neoburgicum lites, tandem instituto A. 1665 conventu, utrumque certis legibus adscivit condirectorem, eoque modo futuræ inter eos concordiæ fundamenta posuit. Etsi vero neque Principes illos, neque Gallum cæterosve fœderatos, belli, ut optabat, adversus Belgas socios posset nancisci, attamen illud, consulto Capitulo, & pactus a Rege Angliæ in singulos menses nummos, denuntiavit publice, causasque allegavit, quod Frisios adversus Lichtensteinium tueri præsumpsissent, & retenta Borculoa, occupatoque castello Dyleriano, vim non semel intulissent Monasteriensibus. Inde copias, quæ magno numero confluxerant, in Transisalaniam & Zutphaniam ducens, Borculoam aliasque civitates nullo negotio capit, partemque exercitus in Drenthiam quoque & agrum Groninganum immittit: neque minori felicitate ineunte anno 1666 utitur, quam plurimis Belgarum cohortibus interceptis vel fugatis. Verum cum pacem inter hæc plerique suaderent, & Sociis pariter atque ære Anglico indies destitueretur Episcopus, instituuntur Cliviæ de pace tractatus, dumque Templius, Legatus Anglicus, Principem conatur ab eo consilio avocare, affertur de conclusa pace nuntius, fremente hoc magis Episcopo, quod & paulo post Sueci opem suam liberaliter offerrent, & indignæ nimis conditiones fuissent obtrusæ, nimirum, ut & Borculoa cum cæteris locis, abdicato prorsus jure superioritatis, ad Belgas rediret, & exercitus Principis, exceptis tribus millibus, dimitteretur. Exagitatus quoque passim fuit Episco-

piscopus, nec defuere, qui eum ideo, quod numerus *sexcenti sexaginta sex* ejus nomine, tam Latino *ChrIstophorVs BernarDVs GaLenVs*, quam Germanico *ChrIstophorVs BernarDVs Von GaLen* contineretur, Antichristum esse calumniarentur. A. 1667 foedus cum Rege Galliæ & Principibus Rhenanis renovat, eodemque anno, inter varias Capitularium altercationes, Coadjutorem nanciscitur Ferdinandum, Episcopum Paderbornensem, à Pontifice postea Clemente IX, frustra repugnante Electore Coloniensi, confirmatum. Exinde quo magis augeret suæ dioeceseos commoda, Embslandiæ jurisdictionem, quam hactenus Ecclesia Osnabrugensis exercuerat, decem millibus Imperialium comparat A. 1668. Natæ quoque eodem anno Benthemenses turbæ. Nam Ernesto Guilielmo Comite, Pontificia sacra, præsente Monasteriensi, professo, uxor ejus ignobili familia oriunda, filios quatuor in Transisalaniam dimiserat, & marito minaciter nuntiaverat, redeunti ne quidem ostium Benthemii patens fore. At facile quidem urbem arcemque ingrediebatur Comes, Galenio imprimis cum parva manu comitante; mox imposito præsidio, quod Cæsari pariter & Comiti obnoxium foret, Monasterium conjugem evocabat, & comparentem sub libera custodia detinebat, eoque adigebat, ut Belgii Ordines ad liberorum restitutionem palam per litteras hortaretur. Clam tamen & alia epistola dehortatur, & ancillam mentita, Benthemium primo, mox Hagam Comitis cum lactante filiolo, qui solus hactenus remanserat, se surripit. Neque defuere ejus patrocinio Ordines, datisque A. 1669 ad Comitem litteris postularunt, ut filios sibi ereptos minus ægre ferret, eosque ad annum usque ætatis decimum octavum, Protestantium sacris imbui pateretur, & uxori redeunti adsciscendi Concionatoris arbitrium permitteret; quæ is postulata facile refutavit, admixtis Ovidianis versiculis:

Tom. II. Lib. VI.

Exigis ut nulli gemitus tormenta sequantur,
    Acceptoque gravi vulnere flere vetas?
Ipse Perilleo Phalaris permisit in ære
    Edere mugitus, & bovis ore queri.

Cum

Cum Priami lacrymis offensus non sit Achilles,
Tun' fletus inhibes durior hoste meos?

Quæ dum cuncta recenset Noster, plura de Benthemensium Comitum familia interserit, nec omittit ea, quæ ante aliquot annos de successione mota sunt, ea fere ratione A. 1691 composita, ut Comitatus Benthemensis integer Arnoldo Mauritio, cæteris Comitibus Steinfurtensis Comitatus cum Dynastiis Alpen & Havickesvvehrt cederet, & his insuper quotannis ex Comitatu Benthemensi numerarentur Imperiales mille. A. 1670 prope fuerat, ut bellum inter Episcopum Monasteriensem & Brunsuicenses Duces, qui Huxaria urbe per intestinas turbas potiti fuerant, bellum incrudesceret, quod mox tamen plurium interventu sopitum est, urbe iterum a Brunsuicensibus relicta. Sed & ipse enatas anno sequenti inter Urbem & Electorem Coloniensem lites diligenter composuit, extraneo milite a civibus dimisso, & imposito Circuli Westphalici præsidio. Tum inter Galliæ Regem & Coloniensem fit fœdus, cui accedit & mox Monasteriensis, bellumque in Belgas decernitur, quod sesquianno ante singulari quodam vaticinio sibi & Episcopo revelatum fuisse, suo loco Auctor noster refert. Hinc Anglis pariter ad societatem admissis, bellumque una cum Gallis A. 1672 denunciantibus, Belgæ ab Episcopo, ut neutrarum maneret partium, magnopere desiderabant per Legatos. Verum quod eodem tempore atroces adversus Episcopum insidiæ detegerentur, quarum artifices iidem Legati credebantur, Episcopus his aliisque causis irritatus, bellum & ipse palam Belgis denuntiat, tantoque plures colligit copias, quanto majorem (convenerat enim inter Socios, ut quæ quisque occupasset, ea retineret,) sperabat belli hujus fructum. Mox adscitis Gallicis & Coloniensibus copiis Grollam obsidet, & intra triduum deditione capit frustra renitente eodemque capto præsidiariorum præfecto Tongelio. Hinc diviso exercitu, pars Bredefordiam, alia Ilburgum, Hardervicum item & Hattemum, tertia Daventriam opinione citius occupat. Quin & Daventriæ exemplo mox Zvvolla, Campi aliæque urbes, nondum vim expertæ, propere se dedunt. Quæ cum tanta celeritate fierent, Rex Galliæ adeo prædi-

Lib. VII.

dicasse fertur Episcopi ingenium & potentiam, ut sibi ipsi eum formidini aliquando esse posse, non negaret. Quin & Rex amice cum Episcopo congressus, ita partitus est loca hactenus occupata, ut Rhenoberca & Daventria ad Coloniensem, & quicquid post Grollam, Bredevordiam, Borculoam, in Transisalania, Frisia, Groninga, aut captum jam esset, aut deinceps capiendum, ad Monasteriensem perveniret, Hardervico tantum, Elburgo, Hattemo & Campis sibi reservatis. Postquam deinde Gallos & Colonienses milites paulo insolentius grassantes abs se dimisisset, castellum Ommianum fœde desertum occupat, & Covordiam, urbem multorum opinione inexpugnabilem, injecto e mortariis, quæ *Diabolorum capita* Hollandis nuncupata sunt, perpetuo igne, septimo post cœptam obsidionem die, ad deditionem adigit. Id autem nec Noster satis excusat, quod nec præsidiarii omnes, quemadmodum quidem convenerat, libere fuerint dimissi, nec integræ omnibus relictæ sarcinæ, quodque præsidiariorum reliquiæ, quæ Harlingam deduci, quanquam non expressa via, debebant, per varias ambages circumducerentur. Interea alibi quoque Monasterienses copiæ, arce Dyleriana capta & diruta, Castellum Vetus & Novum in potestatem redigunt. Quare, tot urbibus captis perculsi Frisiæ Nobiles, Provinciarum Unioni renunciant, & se ac fortunas suas certis legibus tradunt Episcopo; qui tantis elatus successibus, Groningam ipsam, quanquam plerique dissuaderent, exercitum ducit, magnamque vim ignitorum globulorum immittit. Ast cum octava tantum parte obsideri urbs posset, & Brandenburgici Cæsareorumque nunciaretur adventus, civesque intrepidi ædium suarum conflagrationem spectarent, solvitur tandem obsidio, nonnulla Monasteriensium clade, quam multum tamen supra fidem extollunt scriptores alii, qui præterea Episcopi jussu ægros milites omnes, extra spem propinquæ curationes positos, glande trajectos, & laminam magicis characteribus signatam in urbem cum pyrobolo translatam fuisse, impudenter asserunt. Facto inter hæc Belgarum cum Cæsare & Brandenburgico aliisque Principibus fœdere, Brandenburgicus primus, bello Monasteriensi denunciato, in Westphaliam descendit; & Covordiam præfectus Groningensis, Rabenhauptius, milite per fossas gelu concretas Lib. VIII.

obſcura nocte transmiſſo, recuperat. Hinc alia apparebat rerum facies A. 1673. Namq; Galli occupata a Cæſareis Bonna, quanquam Brandenburgicum ſibi ad tempus conciliaſſent, plurima tamen oppida deſerebant, pariterque ſignificabant Monaſterienſi, ut cum Batavis utcunque in gratiam rediret; ſe quidem ſuis rebus conſulere oportere. Is itaque, quo religioni ſaltem proſpiceret, loca hactenus occupata Hiſpanis ſe traditurum pollicetur, cumque illi conditionem ceu fœderi ſuo probroſam rejeciſſent, cum Batavis tandem A. 1674 Coloniæ paciſcitur, & urbes ad unam omnes reſtituit, exercitu tamen viginti quinque millium, quot ſub ſignis habebat, retento, & pactis ſeorſim cum Cæſare conditionibus paulo lautioribus.

Lib. IX. Jam bellum Brandenburgico intulerant Sueci, & arma viciſſim adverſus Suecos Batavi, Hiſpani Danique induerant, cum & Monaſterienſis tum frequentibus Cæſaris monitis ſollicitatus, tum ſponte obſignaturus Imperio fidem, exercitum contra Suecos duxit vicinos. Poſtquam enim Hannoverano Principi perſuaſiſſet, ut excitis e tractu Bremenſi copiis, neutrarum eſſet partium, ipſe cum copiis Viſurgim, falſis ſub noctem Suecis, tranſit A. 1675, eodemque impetu Languelam, Burgum, Verdam, Rotenburgum, Ottersbergam capit, & dum Buxtehudæ imminet, fœdus cum Brunſuicenſibus Ducibus pangit, unitisque viribus urbem opinione citius capit, cujus exemplum mox ſequitur Bremæfurda. Arctiori deinde fœdere Hiſpanis Belgisque junctus Epiſcopus, quod ei perquam fuit honorificum, A. 1676 caſtellum Zvingerianum, capto præfecto & præſidiariis ſine armis dimiſſis, neque multo poſt Stadenam ipſam deditione capit, tormentis inter Fœderatos diviſis, unde ad Monaſterienſem ſexaginta quinque pervenere. Quin & pulſis hoc modo e Bremenſi & Verdenſi ditione Suecis, quicquid occupatum erat, dividitur inter Socios, ita quidem, ut Epiſcopus poſt Wildeshuſam, totum Verdenſem Ducatum, & in Ducatu Bremenſi Burgum, Bremæfurdam, Ottersbergam, Tedinghuſam & alia quædam obtineret; pars reliqua tripartito Zellenſi, Hannoverano & Wolffenbutano Ducibus, renovato inter hos fœdere, cederet. Ex eo tempore auxiliares Hiſpanis Danisque copias ſubmiſit Monaſterienſis, quarum hæ cumprimis tum in Scania fortitudinis egregia documenta in rebus etiam creperis dedere, tum in Rugia inſula occupanda

da utilissimam Daniæ Regi operam præstiterunt. Verum Batavi tandem bellorum pertæsi, Gandavo imprimis & Ipris a Gallis captis, unam optabant pacem, eoq; Legatos miserant Neomagum, quorum exemplum secutus etiam Monasteriensis, ne ab iis desertus duriores cogeretur conditiones amplecti, ut postea evenit, Legatum pariter eo misit libri hujus auctorem Alpenium. Itaque, postquam libro Lib. X. ultimo de dissidio inter Petrum Philippum Episcopum Bambergensem & Herbipolitanum atque ejusdem Capitula Cathedralia enato, tum & de novo matrimonio Comitis Benthemensis, quantum e re, præfatus esset, de pacificatione Neomagensi pluribus agit. Quanquam enim, cum inter hæc in morbum incidisset Episcopus, Neomago confestim revocatus esset, quæ tamen huc spectant, pertexit, imprimisque ostendit, quantopere laboratum a Sociis fuerit, ne seorsim Belgæ cum Gallis paciscerentur. Quod impediri tamen nequaquam potuit, quandoquidem Belgæ paci, graviter succensentibus Fœderatis, soli subscribunt A. 1678 die 10 Aug. Inde cum & Galli anno sequenti Nonis Februarii seorsim cum Cæsare, & post Hannoveræ cum Ducibus Luneburgicis, ac Lutetiæ cum Rege Daniæ & Electore Brandenburgico, certis legibus convenissent, tandem & Neomagi inter Episcopum Monasteriensem Ferdinandum (nam Christophorus Bernardus jam decesserat.) & Galliæ Sueciæque Reges, die 29 Martii, pax coalescit, iis conditionibus, ut redditis, quæ Antecessor occupaverat, locis cæteris, & Wildeshusæ præfecturam ceu pignus, centum mille Imperialibus a Suecis luendum, & quicquid belli tempore e tributis Verdensium & Bremensium collectum esset, cum apparatu bellico vere Regio, & militia instructissima retineret. Inter hæc A. 1678 die 19 Septembris e vivis excesserat Christophorus Bernardus de Galen, cujus itaque morbum ejusque incrementa, tum præparationem ad mortem, & placidam analysin, funeris item deductionem, luctum, testamentum salutaribus monitis conditum, ejusque executionem, operose describit Noster. Imprimis vero universum Principis characterem exprimit, & virtutes longo ordine recenset, pietatem scilicet religionisque zelum, prudentiam, facundiam, justitiam, clementiam, vigilantiam, temperantiam & castitatem imprimis singularem, fortitudinem, tolerantiam, munificentiam, comitatem, affectum

erga nobiles, milites, sacerdotes, eruditos; subjunctis aliorum elogiis, epitaphiis, additaque in fine oratione funebri Germanica a Nagelio Jesuita recitata.

Restat ad operis hujus commendationem, ut pacis & fœderum formulas ipsas suis locis insertas esse memoremus, nec omissas etiam epistolas lectu digniores, quas inter merito primum locum occupant, quas Galliæ Rex ad Reginam de successibus Belgicis perscripserat. Neque est tacendum, Alpenium subinde familias illustriores, si occasio detur, recensere, atque adeo non minus jucunda, quam erudita multa passim inspergere. Sic L. VI p. 121 Baronum de Velen mentionem injiciens, ex insigni gentilitio tres aves rubeas repræsentante arguit, familiam iis ab Heroibus procedere, qui & in auguria propenderint, & bonis avibus militarint: cumque scutum galea tegat coronata, quod certum nobilitatis a Carolo M. vel ex Italia vel e Francia in Westphaliam traductæ signum sit, eam gentem a Velnio potius duce, qui Carolo M. militavit, quam Veleda Bructeræ nationis principe fœmina derivat. Dumque nec omittit Auctor ea, quæ aliis in locis, præsertim in Germania, per idem tempus, quo vixit Christophorus Bernardus, gesta sunt, passim refert singularia, nec ubivis obvia. Quorsum spectant, quæ de Electrice Brandenburgica, Friderici Wilhelmi conjuge, L. VIII. pag. 330, deque Leopoldo Cæsare p. 365, nec non de Guilielmo Egone Fürstenbergio L. IX p. 501 habentur.

JO. MICH. LANGII, THEOLOG. DOCT. ET PROF. in Academia Altdorfina Ordinarii, ibidemque Verbi Divini Ministri, de Genealogia Christi ex Patribus secundum carnem, Dissertationes Theologicæ.

Norimbergæ, apud Andream Ottonem, A. 1703. in 4.
Constat Alphab. 1.

EDidit ante annos aliquot Maxime Reverendus Langius Commentarium de *Genealogiis nunquam finiendis & Fabulis Judaicis*, cui mox subjunxit Dissertationem *de Fabulis Muhammedicis circa Sacrosanctæ Trinitatis mysterium & generationem in divinis;* unde tanquam argumentum admodum vicinum; nunc addendas censuit Vindicias veræ Genealogiæ Christi ex Patribus secundum

dum carnem; præsertim cum ad hanc materiam expediendam & cum cura tractandam, occasione scrupulorum nonnullorum, a quodam Judæo docto, Novum Testamentum Syriacum literis Hebraicis impressum tractante, amico cuidam Christiano motorum, invitatus fuisset. Et omne quidem negotium quatuor absolvit dissertationibus, quas inter *prima* præliminaris est, ac singulare articuli hujus momentum vel ex eo probatum dat, quod Christus Jesus non possit haberi pro vero Messia, a Deo per Prophetas in Scripturis Veteris Testamenti promisso, nisi fuerit semen mulieris, semen Abrahæ, Judæ propago, Davidis filius; unde etiam vaticinium de semine mulieris, thema Bibliorum universorum nuncupat, ad quod sub denominato a Davide Psal. XL, 8, & Paulo Ebr. X, 7 *Libri capite* respectus habeatur. Ut igitur de Genealogia Christi cuivis tanto constet accuratius, solicite in *secunda* dissertatione removet scrupulos, qui circa dissensum inter Matthæum & Lucam, tabulam Christi Genealogicam texentes, moveri assolent, dum nempe intricatum videatur plurimis, quod Matthæus a Davide, per Salomonem Regem, usque ad Josephum, Virum Mariæ, matris Christi, pergat; Lucas autem e contrario a Davide per Nathanem, qui Salomonis frater germanus fuerit, usque ad Heli, remoto quasi Josepho, tanquam putatitio patre, lineam Christi Genealogicam construxerit. Non existimamus tamen fore necessarium, ut speciales ad singula dubia responsiones Autoris nostri afferamus; quin potius id, quod rei caput esse nobis videtur, paucis indigitabimus. Diversum nempe Evangelistæ utriusque, uti in toto Evangelio, sic etiam in tabula imprimis Christi Genealogica, scopum specialem fuisse innuit. Matthæum namque suum Evangelium composuisse speciatim in gratiam Judæorum, qui ex circumcisione crediderant; unde cum Judæi in Abrahamo, gentis suæ conditore, gloriari quam maxime consueverint, Matthæum noluisse dicit tabulam Christi Genealogicam altius, quam ab Abrahamo, repetere; præsertim cum insuper Judæi omnes Christum habuerint pro filio Josephi, si non naturali, saltem legali & ex Josephi consensu, qui nunquam hunc Jesum aliter, quam pro filio suo legitimo omniumque jurium filialium participe habuerit. Alium vero scopum specialem sibi præfixisse Lucam asserit, quippe qui, tan-

 quam

quam Pauli in itinere comes, magis cum gentium hoc Apoſtolo ad genium gentium, quam ad mores & captum Judæorum reſpexerit. Hinc eundem non tam Judæis more receptam & legitimam, etiam per patrem nutritium deductam tabulam Genealogicam, quam Matthæus attulerat, repetiiſſe, quam potius eam modeſte removiſſe ait, utpote in jure & conſuetudinibus Judaicis magis, quam in vero & naturali ordine fundatam. Ideo voluiſſe ipſum tranſire a patreChriſti putatitio, ad Seminis mulieris lineam maternam, atque per Nathanem, Salomonis fratrem & Davidis filium, ſurgere ad Abrahamum, & ab hoc per Noachum & Sethum usque ad Adamum, cui ut filius mulieris, ſine vero patre corporali, naſcendus primitus promiſſus fuerit; imo tandem, miſſa tota Genealogia Chriſti humana, placuiſſe eidem acquieſcere in vero Chriſti patre, Deo optimo maximo. Atque iſthoc certe pacto plurimis occurrere ſe autumat objectionibus, quæ alias in hoc negotio moventur, cum tantam utriusque tabulæ Genealogicæ ſtatuat differentiam, ut ne duo quidem nomina, Salathielis & Zorobabelis, apud utrumque Evangeliſtam eosdem notare viros admittat. Fundamento autem hoc ſtabilito, ad ſpecialiores pergit diſcrepantias, quas beatum Michaelem Waltherum maxime ſecutus, recenſet & conciliat. Mox in diſſertatione *tertia* tabulas Chriſti apud Matthæum & Lucam Genealogicas, cum reliquis Scripturarum, maxime Veteris Teſtamenti, documentis Meſſiæ Genealogicis, ſtudioſe componit, ac denique in *quarta* Virorum doctorum, veterum & recentiorum, potiores circa hanc materiam ſententias producit, & modeſte diſcutit. Mantiſſæ vero loco poriſmata quædam practica, quæ ex theoria Genealogiæ Chriſti fluunt, ſuperaddit.

APOLOGIE DE LA MISSION DE S. MAUR.

i. e.

APOLOGIA ABLEGATIONIS S. MAURI, APOſtoli Benedictinorum, in Galliam, auctore THEODORICO *RUINARTO, Presbytero Benedictino Congreg. S. Mauri.*

Pariſiis,

Parisiis, apud Petrum de Bats, A. 1701, 8. plag. 12.

Multum hodie negotii Præsulibus Gallis facessunt Breviaria, quæ vocant, barbaris conscripta seculis, usuque confirmata, iis tamen scatentia erroribus, quos nostra ætas in tanta Historiarum luce patienter ferre non potest. Quare corrigendis iisdem multum laboris industriæque impendi solet, idque maximam partem inter contradicentium reciprocas concertationes, quibus efficitur, ut quæ hodie emendata sunt, cras in pristinum locum redeant. Dedit operam emendando Parisiensi Breviario Franc. Harlæus Archiepiscopus, corrigente plura ejus successore De Noailles. Sub utriusque auspiciis actum est de S. Mauro, quem vulgo Benedicti discipulum primicerium, atque ab eodem in Gallias missum, exstructo cœnobio Glannafoliensi, Regulam Benedicti inter Gallos disseminasse ferunt. Hujus res gestæ doctioribus nonnullis suspectæ videbantur, aliis tamen contradicentibus, qui id tandem obtinuerunt, ut in citato Breviario, Mauri memoria retineretur, adjecta tamen clausula, traditionem de illo satis vetustam esse. Non tulere hanc noxam Benedictini Monachi, Mauro suo defendendo omnem moventes lapidem, inter quos doctissimus nobisque sæpenumero collaudatus Vir, Theodoricus Ruinartus, scripto officium suum egit. Is principio extitisse Maurum, gente Italum, disciplina Benedictinum, miraculis celebrem, Gregorii M. potissimum testimonio probat. Posthæc allatis Adrevaldi, Amalarii aliorumque attestationibus propugnat, seculo IX inter Gallos extitisse traditionem, de Mauro Abbate Glannafoliensi, cujus ea ætate corpus in monasterium Fossatense ad Lutetiam translatum sit, creditumque fuisse, quod Benedictus eundem in Galliam miserit: id vero sequentibus seculis etiam pro vero habitum, imo Pontificum Regumque diplomatibus confirmatum esse. His positis concludit Ruinartus, a morte Mauri ad seculum usque IX, idem fuisse creditum, cum Mauri istius, quem inter Sanctos antiquissimæ Litaniæ commemorent, nullibi, quam apud Gallos, memoria ac reliquiæ superfint: speciatim vero, Maurum a Benedicto in Gallias missum evincit, adducto hymno Breviarii cujusdam Cassinensis, & Glannafoliensis cœnobii cum Cassinensi, unde omnes Benedictini prodierint, vetusta unione, nec

non regulæ Benedictinæ inter Gallos propagatione, in illud ipsum tempus, quo Maurus vixisse dicitur, incidente, denique antiquo codice regulæ Benedictinæ, & inscriptione Castrensi. Atque hæc quatuor prioribus capitibus edisserit. Posthæc de Vita S. Mauri, quæ Fausto ejus sodali adscribitur, ac nono seculo ab Odone, Abbate Fossatensi edita creditur, multis capite quinto & sexto disceptat. Hujus auctoritatem vindicat his rationibus: quod genium seculi sexti accurate exprimat; quod epistola Odonis eidem præfixa, cum Historia Translationis S. Mauri, quæ omnium consensu ab Odone scripta sit, ipsa scribendi ratione pulchre conveniat; quod Adrevaldus in libro de Miraculis S. Benedicti ex Vita ista quædam petierit. Tribus postremis capitibus tres adversarios Ruinartus aggreditur, & primo quidem auctorem Commentarioli ante annos quosdam contra Benedictinos editi (*du Memoire.*) Hic Vitam Mauri ante A. C. 869 non scriptam docuerat: Odonem ejus editorem Glannafoliensem se Abbatem nominare, cum auctor Historiæ Translationis Fossatensis fuerit; Maurumque ipsum passim Levitam, nullibi, nec ab Usuardo quidem, Beda, aut Gregorio Turonensi, Benedicti discipulum ante seculum IX appellari, objecerat. Respondet Noster, Glannafoliense cœnobium Fossatensi tum fuisse subjectum, Odonemque adeo utriusque appellatione usum: Maurum etiam post seculum IX raro Benedicti discipulum appellari, quippe cum, re satis nota, nec alio Mauro Monacho inter Sanctos occurrente, discretionis hæc nota necessaria non fuerit. Fatetur tamen, Vitam Mauri, a Mabillonio nuper denuo editam, vitiis scatere plurimis: Indictioni X A. C. 863 tribuere, quod ad XII pertinet; in enarrando tempore obitus Benedicti cespitare; pro Innocentio Episcopo Cenomanensi Bertrichamnum nominare, qui recentior omnino sit. Inde Basnagium aggreditur, qui in Historia Ecclesiastica, Maurum unquam vixisse, negaverat, ac præter argumenta auctoris superioris, istud etiam lectori inculcaverat, adventum Mauri ex Italia in Galliam, quocunque nos vertamus, contradictionem aliquam Chronologicam inferre. Ad quod Noster Syrtes istas non dissimulans, respondet, eas ab intricata Episcoporum Cenomanensium, cum quibus Mauro primum in Galliis negotium erat, Chronologia oriri. Op-

Oppugnaverat quoque Basnagius Vitam Mauri, commemorato uno aut altero, quod in eadem absurde dictum existimat, quale inter alia est, quod Benedictus Mauro *reliquias S. Michaëlis Archangeli ex pallio rubro sancta ejus memoria miserit.* Ruinarto non deest, quod respondeat; memoriam nempe stylo istorum temporū denotare ædiculam vel aram memoriæ causa exstructam, pallium vero pannos, quibus parietes ædiculæ aut ara obtegebatur; tales enim reliquias, imo pulverem ab aris verrendo ablatum, oleum e lucernis sacris ereptum, magni eo seculo habita fuisse. Ultimus labor Bailletum manet, qui in Vitis Sanctorum duos extitisse Mauros, alterum Italum, in patria mortuum, alterum Glannafoliensis in Andegavis monasterii auctorem, quos noni seculi scriptores commiscuerint, confidenter pronunciavit. Hunc eo præsertim argumento Ruinartus stringit, quod nullæ penes Italos Mauri reliquiæ, nulla mortis ejus vestigia supersint.

Appendicis loco de S. Placido differitur, quem Mauri socium fuisse, atque apud Messanenses martyrem factum ferunt. Hujus res, cum in suspicionem suppositionis a quibusdam, præsertim a Basnagio, hodie adducantur, Ruinartus stabilire voluit, fatendo quidem, Acta ejus, quæ circumferuntur, esse adulterina & fabulis referta, ablegationem vero ejus in Siciliam ac martyrium ex Gregorii M. testimonio ac aliunde satis constare. Quo pacto Placidi fratrumque & sodalium ejus corpora subter templum S. Johannis Messanense A. 1591 inventa sint, prolixius quoque describit, omnemque rem istam contra obtrectatores vindicat; qua de historia singularis Philippi Gothi Equitis liber exstat.

Non desunt opusculo huic flores, quos colligamus. Phrasin *Sancta Regula* penes medii ævi scriptores Regulam Benedicti indicare, p. 33 docetur. Adrevaldi scriptoris sec. IX ætas ad Ludovicum Pium idoneis argumentis refertur, ac contra eos, quibus recentior visus est, p. 51 seqq. vindicatur. Austrasiæ Reges κατ' ἐξοχὴν Reges Franciæ dictos esse, contra quosdam p. 80. probatur. Regulas, quibus scripta veterum genuina, etsi turpissime interpolata, dignosci possint, Auctor p. 97 sequentes, pro ea, qua in talibus pollet, solertia suppeditat: 1. Monumento tali non desit genius antiquitatis; 2. adsint testimonia

 facte

factæ interpolationis; 3. interpolationes cum seculo falsarii conveniant; 4. eædem nervum totius scripti non ingrediantur. De partitionibus regni Francorum multa differuntur p. 107 seqq. tandemque res eo redit, ipso Valesio fatente, terminos earundem inexplicabiles esse.

ERRATA DE L' HISTOIRE DES CONGREGATIONS de Auxiliis &c.

i. e.

ERRATA HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS.

Leodii, apud G. H. Streel, 1702. 8. Alph. 1. pl. 3.

ORiginem atque progressum certaminum, occasione Historiæ Congregationum de Auxiliis, ab Augustino Le Blanc, h. e. P. Sery editæ, inter auctorem & Societatis Jesu Theologum P. Germant exortarum, jam enarravimus, cum Historiam Congregationum de Auxiliis, assertam contra auctorem Quæstionum momentum trahentium, mense Martio hujus anni pag. 118 recenseremus. Auctor vero libri, *Questions importans* &c. quem P. Germant esse diximus, quique Jesuitarum causam agit, nondum conquiescit, imo nunc demum caput causæ aggredi videtur. Etenim, cum adversarius ejus fidenter asseruisset, in Responsione ad Quæstiones momentum trahentes (*Response aux Questions importans*) ne minima quidem in re erroris aut falsi se convinci potuisse, suarum partium esse duxit, exemplis, ut putat, evidentissimis, quod res aliter se habeat, demonstrare. Errata autem dum adversario suo, vel in ipsa libri fronte exprobrat, non alia se intelligere profitetur, quam quibus contra fidem historicam, contra religionem & reverentiam, quam primi in Ecclesia ordinis viris debebat, peccaverit. Levia lubentem se prætermittere, notare solum, quæ momentum trahant, & quidem vel solum primum librum uberrimam horum segetem sibi suppeditasse, quibus & quæ in reliquis libris deprehenderit, addere paratus sit. Ut vero destinata ordine exequatur, initio quidem facta, in quibus adversarius redarguendus, ex libro primo Historiæ Congregationum in compendium mittit, eorumque summam certis propositionibus comprehensam oculis subjicit, tum vero ordine singulas propositiones denuo exhibet, simulque, quam a vero in iis aberraverit adversarius, demonstrare annititur.

Pau-

Paucorum forte interest, omnia, super quibus concertatur, capita accurate nosse: ast quædam forte cognoscere nonnulli gestient, ut speciminis instar sint, ex quibus de reliquis statuant. Horum ergo ut faciamus satis desiderio, pauca delibabimus. Prima, quam Auctor adversario suo tribuit, assertio hæc est: Jam ipsa Ignatii Lojolæ ætate, Lainium, Salmeronem, ac Jayum, primos Ignatii socios, ad nova dogmata proclives valde fuisse, atque obliquas ad oppugnandos hæreticos iniisse vias, ut Ignatii quoque auctoritate ac admonitione coërceri eos atque retrahi, necesse fuerit. Hoc ipsum vero, quod isti Societatis Jesu Patres, Lainius, Salmero ac Jayus, ad nova dogmata proclives fuerint, est, quod Noster negat, qui & de istorum in Ecclesiam meritis quædam præmittit. Cuncta autem redeunt ad testimonium Orlandini, qui in suæ Societatis historia refert, Ignatium hosce suos Socios Tridenti, ut Concilio interessent, commorantes, adhortatum fuisse, ne illorum Præsulum exemplum imitarentur, qui nova quandoque proponebant dogmata, & hæreticis, ut vocat, aliquid concedebant, ut eo facilius ad Ecclesiam eos reducerent. Ex eo vero, quod Ignatius suos admonuerit, ne nova dogmata sequerentur, colligi, istos novorum dogmatum fuisse suspectos, id vero quovis modo inficiatur Noster. Altera, quam ex mente adversarii sui ponit, assertio hæc est: Societatis Jesu Ordine initiatos, statim post mortem Ignatii, proprias sequi cœpisse sententias, imo communi velut consilio deliberataque sententia, repagulum & obicem novæ doctrinæ removisse, abrogando legem, quæ Thomisticæ doctrinæ eos adstringebat, & *accommodatiorem Theologiam* in Ecclesiam introducendo. Hoc nimirum ut probaret Augustinus Le Blanc, provocaverat ad decretum Ordinis A. 1558 factum, cum Didacus Lainius ad supremam Societatis præfecturam eveheretur: *in Theologia legetur vetus & novum Testamentum, & doctrina scholastica D. Thomæ. Prælegetur etiam Magister sententiarum. Sed si videretur temporis decursu alius autor studentibus utilior futurus, ut si aliqua summa vel liber Theologiæ scholasticæ conficeretur, qui his nostris temporibus accommodatior videretur, gravi cum consilio & rebus diligenter expensis, per viros, qui in uni-*

versa Societate aptissimi existimentur, cumque Præpositi generalis approbatione, prælegi poterit. Quæ ad hæc Autor respondet, huc redeunt: vel ipso eventu refelli accusatorem, cum novum Theologiæ systema non confecerint Societatis Jesu Patres, sed Thomam adhuc & Magistrum sententiarum duces sequantur. Sensum vero istius decreti non hunc esse, quem velit Le Blanc, ac si Theologiæ systema a doctrina Thomæ diversum confici velint, sed quod doctrina Thomæ semper fundamenti loco posita, systema tantum ad seculi nostri controversias accommodatius confici queat. Ostendit præterea, quam aperte Augustinus Le Blanc secum pugnet. Alibi namque eum docere, antiquos Societatis Jesu Theologos doctrinæ Augustino-Thomisticæ fuisse addictissimos; cum tamen hic contendat, eos velut inita *conspiratione*, novis dogmatibus viam muniviſſe. Sed pergit Le Blanc, auctorque est, fundamenta quidem novi Theologiæ systematis, per scientiam mediam jacta, eadem tamen occultata esse, donec Prudentius de Monte-major illa in Academia Salmanticensi primus proderet, atque in lucem proferret. Hinc & eundem Prudentium de Monte-major, *primum Molinismi velitem* adpellitat. Ast cum Molinismi nomine nihil aliud intelligere possit, quam sententiam illorum, qui prædeterminationem physicam, & gratiam per se efficacem rejiciunt, & scientiam mediam admittunt, jam ante Prudentium, in eadem Societate Jesuitarum, idem docuisse Fonsecam, Molinam, Henricum Henriquez aliosque, imo antiquos Scholasticos, ipsumque Augustinum, contendit. Ut adeo magnopere erret, Prudentium de Monte-major pro primo hujus sententiæ auctore venditando, nec cum suarum partium hominibus satis conveniat, quorum alius ad Simonem Magum, alius omnino ad Luciferum ipsum, naturæ suæ viribus cuncta tribuentem, istius opinionis natales retulerit. Ast neutiquam (*ita* pergit Le Blanc) ex voto Jesuitis primus iste conatus successit, cum Academia Salmanticensis hanc Prudentii de Monte-major doctrinam, ceu temerariam & erroneam, rejecerit. Provocatque, ut hoc probet, ad libellum manuscriptum: *Apologie des Freres Precheurs, &c.* Negat factum Auctor, & provocat ad alium librum manuscriptum: *Histoire des Colleges de la Pro-*

vin-

vince de Castille de la Compagnie de Jesus. Equidem fatetur, Historiæ hujus auctorem esse Jesuitam, sed contra & testes, ad quos Le Blanc provocaverat, esse Dominicanos. Auctores Apologiæ istius esse viros probos & honestos, contendit Le Blanc: sed nec hac in re se inferiorem esse autumat Auctor, cum P. Valdivia Historiam istam scripserit, qui non tantum ea ætate vixerit, sed & teste Nierembergio, qui vitam ejus litteris consignaverit, vir probitatis haud vulgaris fuerit. Hactenus paria utrinque militant argumenta. Sed cum novis rationibus suam defendere causam Auctor possit, quibus Le Blanc destituatur, eam omnino evadere superiorem, sibi persuadet. Nimirum, si ab Academia Salmanticensi hæc doctrina, ceu nova, temeraria & erronea rejecta fuisset, haud dubie ab Officio Inquisitionis prohibitum fuisse Jesuitis, ne in posterum simile quid docerent. Hoc autem cum factum non sit, damnatam hanc doctrinam ab Academia, negat. Reliquas rationes, quæ ejusdem commatis sunt, brevitatis studio prætermittimus. Hinc ad Claudium Aquavivam devolvitur disputatio, cui nihil prius, nihil antiquius fuisse, quam infirmare, imo abrogare penitus legem, qua Jesuitæ ad sequendam Thomæ doctrinam obstringebantur, asserit Le Blanc. Hoc vero est, quod Auctor negat, qui Claudium potius Aquavivam id operam dedisse autumat, ut ista lex quam accuratissime observaretur. Namque inter regulas, ab eodem Theologiæ Professoribus præscriptas, hanc quoque fuisse: *Sequantur nostri omnino in Scholastica Theologia doctrinam S. Thomæ, cumque ut doctorem proprium habeant, ponantque in eo omnem operam, ut auditores erga illum quam optime afficiantur.* Sed & alia, quibus idem evincat, affert, simulque affirmare non dubitat, Thomam Jesuitis maxime suam, quam apud omnes Romanæ Ecclesiæ addictos obtinet, debere auctoritatem. Antequam Jesuitæ docendi munus susciperent, vix tres aut quatuor extitisse ex Dominicanorum ordine, qui in Summam Doctoris Angelici commentarios scripserint: ast Jesuitis exemplum præeuntibus, & velut signum tollentibus, certatim in Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ & Italiæ Academiis, commentariis & interpretationibus illustrari cœpisse Thomam. Interim non deesse fatetur, quæ si-

bi objici possint, quæ ad duo revocat capita: quorum alterum est, quod Claudius Aquaviva sanxerit, non sine delectu & examine quodam, Thomæ opiniones esse sequendas; alterum, quod connivente & permittente Claudio Aquaviva, aliter Thomam interpretati sint Jesuitæ, quam eo tempore interpretabantur Dominicani. Ast ad prius respondet, nec Dominicanos Thomæ vestigiis tam accurate insistere, ut putarint, nunquam sibi fas esse ab iis deflectendi: ad posterius, hoc inde provenisse, quod ejus ætatis Dominicani a sententia & decretis antecessorum suorum discesserint. Utrumque prolatis in medium testimoniis comprobat.

Sed ne tædium Lectori creemus, prolixe nimis cuncta enarrando, reliqua, de quibus disceptatur, summatim *indicabimus*. In controversiam nempe venit, an illi ex Jesuitarum ordine, qui A. 1586 scriptum concinnarunt, cui titulus, *Ratio atque institutio studiorum*, nomine totius Societatis, pro doctrina Thomæ agnoverint, quam deinceps aliis rationibus inducti, Thomæ esse negarint? An Jesuitarum libertas in judicando de doctrina, displicuerit Philippo II Hispaniæ Regi, ut librum de Ratione studiorum regni sui Inquisitoribus tradiderit, qui & eundem condemnaverint? Numve idem Rex Sixtum V Pontificem induxerit, ut Jesuitas libri istius usu interdiceret? An Lessius & Hamelius, cognita Jesuitarum Generalis sententia, in Academia Lovaniensi A. 1585 palam docere inceperint, quæ hactenus pro arcanis habita fuerant? An doctrina Lessii & Hamelii ab Academia Lovaniensi & Duacensi fuerit comdemnata, accedente etiam tribunalis Inquisitionis comprobatione, & an istud tam evidens sit, ut vir honestus ea de re dubitare nequeat? An Cardinalis Quiroga, Archi-Episcopus Toletanus & Magnus Hispaniæ Inquisitor, propositiones plerasque Molinæ libro insertas damnaverit? idque an ipse fateatur Molina? An hac censura permotus Molina, Castiliæ regno excesserit, ut alibi errores suos disseminaret? An sub protectione Alberti Archi-Ducis Austriaci, Magni in Portugallia Inquisitoris, qui Societati Jesu prorsus addictus fuerit, Molina in Portugallia facultatem librum suum de Concordia edendi nactus sit? An idem Albertus, insuper habitis Domi-

minicanorum querelis, librum istum, quem ut ederetur & sibi inscriberetur concesserat, edi permiserit? An Molina Magnum Hispaniæ Inquisitorem, ob censuram ejus spretam, jure sibi iratum metuens, a supremis Castiliæ & Arragoniæ Senatibus, facultatem vendendi librum suum petierit? An eam obtinuerit, & quidem tantum sub approbatione Bartholomæi Ferreiræ in Portugallia illi data, qui forte librum sibi non lectum approbaverit? An citra controversiam finis Molinæ fuerit, novam introducere de gratia Dei Theologiam, conculcatis Augustino cæterisque Pelagianæ impietatis oppugnatoribus? An Vasquez, Fonseca, Granado, Herice, Tiphanius agnoverint, Molinianam doctrinam de scientia media plane novam esse, quæ antea nemini Theologorum, ne per somnium quidem, in mentem venerit? An Baronius, per Molinianam doctrinam Semipelagianismum resuscitari, judicaverit? idque præeunte Caspare Contareno Cardinali? An velut conspiratione inita, eodem tempore, quo Molinæ Concordia prodiit, Jesuitæ ad resuscitandos Semipelagianorum errores, Romæ recudi fecerint Cassiani opera, & quidem cum notis Stephani Tuccii, qui unus ex illis fuit, qui librum de *Ratione studiorum* concinnarunt? An Tuccius in notis defendere Cassianum aggrediatur, ejusque verba in alienum detorqueat sensum, hausto ex Molinæ Concordia interpretandi modo, ex quo sua deprompserint, qui apologias pro Cassiano, Fausto, Gennadio, scripserunt? An Molinæ discipuli Augustinum plaustro conviciorum oneraverint? An Bellarminus omnes ingenii vires, ad impugnandam Molinæ doctrinam, de gratiæ efficacia ex liberi arbitrii cooperatione &c. intenderit? Quo jure dicatur, Bellarminum a Jesuitis pro tali haberi, qui in numerum Sanctorum debeat referri, quanquam omnes, quibus ἀποθεώσεως dijudicatio demandata erat, unico Dominicano excepto, pronunciaverint, de ejus virtutibus rem nondum exploratam esse? An libri Bellarmini per Jesuitas Germanos castrati sint atque corrupti? Bened. Pererius, Henricus Henriquez, Jo. Mariana, an Molinæ se opposuerint? An recte Franciscus Macedo Molinæ adversariis Gabrielem Vasquezium annumeret? & an hujus interpolatæ sint disputationes? An Jesuitæ Romani eo tempore, quo Molina librum suum edidit, & postea etiam

iam adhuc A. 1674, Thomæ & Auguſtini doctrinam contra Molinam defenderint? An A. 1594 Societas Jeſu cauſam Molinæ defendendam ſuſceperit? An Jeſuitæ Valliſoletani Molinæ cauſam defendere inſtituerint in diſputatione d. 4 Martii 1594, præſide P. Antonio de Padilla, & reſpondente Hieronymo Nugneſio, habita? An tum Jeſuitæ Didaci Nunni, Didaci Alvareſii, & Hieronymi Valleſii opponentium argumentis non ſatisfecerint? An Jeſuitæ diſputationem Nugni, poſt duos menſes illis oppoſitam, fruſtra impedire conati ſint, Inquiſitoribus Dominicanorum ſtudium, in refellenda Jeſuitarum doctrina, comprobantibus? An Antonius de Padilla contra Dominicanos diſputans, rationibus adverſarii ſui permotus, faſſus ſit doctrinam Molinæ eſſe erroneam? An eodem die ipſimet Jeſuitæ Molinæ librum, ut hæreſeos ſuſpectum, *Inquiſitionis Officio* obtulerint, hoc ſaltem petentes, ne *Dominicanorum* cenſuræ ſubmitteretur? Re a duobus Dominicanis edito ſcripto divulgata, an Jeſuitæ aliam relationem, in qua veritatem mirifice ſuppreſſerint, in lucem emiſerint? An doctrina Molinæ ad Inquiſitionem delata, Pontificeque hac de re certiore facto, per Epiſcopos, quorum magna in aula auctoritas, cauſam ſuam Pontifici commendari curaverint? Et quæ reliqua ſunt ejusdem commatis. Namque nullum fere Hiſtoriæ hujus, a Le Blanc in primo libro contextæ, caput eſt, aliquod momentum trahens, quod non ab Auctore in dubium vocetur. Nimirum & quæ de Pontificis decretis ſtatim ab initio in hac cauſa factis, & de Inquiſitorum Hiſpaniæ ad Molinæ librum damnandum promptitudine, & de Clemente VIII Pontifice, rogatu Jeſuitarum, Romam hanc cauſam trahente, & de iis, quæ tum porro acta ſunt, Auguſtinus Le Blanc memorat, ea omnia Auctor ſollicitat, magnamque ubique errorum ſibi ſuppeditari copiam, putat. Et hæc quidem ſumma illorum eſt, ſuper quibus tantis concertatur animorum motibus. Nos id ſolum addimus, in præfatione Auctorem referre, Hiſtoriam Congregationis, quæ iſtos motus denuo excitavit in Hiſpania, a judicio Inquiſitionis damnatam eſſe, quod contineat propoſitiones ſcandaloſas, ſeditioſas, injurias in ſummos Pontifices & Officium Inquiſitionis & Societatem Jeſu, & in multos Viros doctos ac illuſtres &c. Quam quidem cenſuram Auctor noſter ſi

cum

cum ipsa Historia contendatur, æquissimam longe & admodum moderatam vocat.

PETRI MARCELLINI CORRADINI J. C. SETINI, in Romana Curia Advocati, de Civitate & Ecclesia Setina.

Romæ, apud Cajetanum Zenobium, 1702, in 4. plag. 26.

SEtia, urbs Volscorum in Latio olim appellata Livio, Straboni, & aliis, hodie Sezze nuncupatur, oppidumque est, Baudrando teste, Campaniæ Romanæ, in ditione Ecclesiæ, in monte prope Pontinas paludes sedens, septendecim milliaribus distans a Velitris in Ortum. Patria fuit C. Valerii Flacci, inter eos, qui Heroica decantarunt, omnium judicio celeberrimi, quique de Argonauticis octo scripsit volumina; imo & ante eum C. Titinii, Poetæ itidem sat clari, qui opus reliquit in honorem patriæ, cujus sola quædam fragmenta passim annotata reperiuntur. Hanc urbem initio nascentis Ecclesiæ, Episcopalem fuisse, omni studio probare conatur civis illius clarissimus, Corradinus, motus imprimis hoc argumento, quod temporibus illis Colonia ista non procul a Roma sita abundarit nobilibus familiis, insignibus templis, Sacerdotibus, Præsulibus, quibus præfuerit Flamen Coloniæ; unde sibi persuadere vix possit, D. Petrum & successores, quos vocat, Pontifices, qui per totum orbem miserint Episcopos, reliquisse hanc urbem haud parvi nominis intactam & derelictam, nec illi dedisse Episcopum, cum constet, eos in eadem regione longe inferioribus oppidis & minoris nominis coloniis Episcopos concessisse. Sed ne sola hac niti conjectura videatur, ad antiquorum insuper Chronicorum testimonia provocat, e quibus, quod urbs ista dudum Episcopalis fuerit, colligere liceat. Cumque objici possit, in Bulla quadam Honorii III unionem institui Ecclesiæ Setinæ cum Terracinensi, regerit, ea non obstante, Setinum mansisse cathedralem, cum unio ista haud accessorie facta sit, sed æque principaliter, ita ut unus tantum fuerit plurium Ecclesiarum Episcopus, & unum caput. Certe post istam quoque unionem, Setinam Ecclesiam Episcopalem mansisse, e literis summorum Pontificum constare

autumat, Setiamque ab ipsis Regibus Neapolis & Siciliæ, qui eam occuparint, tractatam reperiri ait tanquam civitatem nobilem, ejusque Magistratum nobilitatis privilegio & titulo ab iisdem decoratum. Quid? quod Concilium Basileense, tempore Eugenii IV anno 1439 celebratum, commendet Setinis familiam Columnensium, eosque Fidelissimos S. R. E. nuncupet, & nobilibus titulis decoret. Tacemus documenta alia, quibus favorem Sedis Romanæ erga Setiam, & ex isto unionem non accessoriam, sed cumulativam, & æque principaliter factam, confirmare laborat. Equidem nonnulla in contrarium afferre monet Terracinenses, verum ista elevare modis omnibus annititur. Imprimis, quando in Enunciativis & Bullis Pontificum Setiam appellari terram contendant, respondet, stylum Sedis Apostolicæ ita formari suevisse, ut ejusmodi etiam civitates, in quibus cathedrales Ecclesiæ, terræ titulum obtinuerint.

FLUXIONUM METHODUS INVERSA, SIVE Quantitatum fluentium leges generaliores, ad Celeberrimum Virum Archibaldum Pitcarnium Medicum Edinburgensem, a GEORGIO CHEYNÆO M. D. & R. S. S.

Londini typis Joh. Matthevvs; prostant apud R. Smith, 1703. 4. Plag. 17.

Autor Medicus Scotus in his studiis docte versatus id agit, ut Methodum Quadraturarum provehat, quod facit Mercatoris Holsati, Nevvtoni Angli & Jac. Gregorii Scoti, aliorumque insignium Virorum exempla secutus, exprimendo earum valorem, per series infinitas, quæ quidem interdum feliciter abrumpuntur, & in formulas finitas degenerant, ut constat; sed quia id plerumque non contingit, & aliæ expressiones transcendentales quidem, finitæ tamen, hactenus nondum satis in potestate habentur, ideo contentos nos esse oportet hoc Catone, donec generalior reddatur hæc scientia; nempe utendum est subsidio serierum infinitarum, quæ, si non aliorsum, certe ad appropinquationes practicas prodesse possent, si quis eam aliquando traderet Methodo ad captum communem accommodata. Interea noster Autor conatur

natur ſeries condere generales, exempli cauſa pag. 7 area quærenda eſt per ſeriem infinitam Figuræ, cujus abſciſſa exiſtente z, & v exiſtente Z^{e}, fiat ordinata $Z^{\frac{r-1}{}}(a + bv + cvv + dv^3 \&c.)$ $(e + fv + gvv + hv^3 \&c.)^{\frac{m-1}{}}$ vel per compendium, $Z^{\frac{r-1}{}} \odot \rangle^{\frac{m-1}{\cdot}}$. Quia autem, ſi $m-1$ ſit numerus fractus vel irrationalis, hæc quantitas per Geometriam ordinariam non eſt tractabilis, ideo, nota jam ratione, quærit $\rangle^{\frac{m-1}{}}$ per ſeriem infinitam, compoſitam ſi placet ex potentiis ipſius v, multiplicatis per coëfficientes conſtantes. Hanc ſeriem multiplicat per $\odot$ & poſtremo (v, rurſus explicata, cum ſit Z^{e}) per $Z^{\frac{r-1}{}}$: ita ſingulis terminis ſeparatim ſummatis, habetur ſumma ordinatarum quæſitarum. Utitur & ſubinde, uti p. 9 Methodo comparationum, quam in Actis noſtris Aprilis 1693 ad ſeries infinitas applicare docuit Illuſtris Leibnitius, ut ſcilicet ſeriem infinitam quæſitam aſſumamus tanquam datam, inſtructam coefficientibus incognitis, ſed quarum deinde valor invenitur, dum ex ea ducimus, quod cum dato comparemus. Cum etiam Leibnitiana & Bernoulliana Schediasmata in Actis novos uſus calculi exponentialis vel Logarithmici oſtendant, & inter alia poſito eſſe $\int dx : x = lx$ & $x^{x} = a^{y}$ (ſeu cum $la = 1$) $x\,l\,x = y$ unde $dx\,lxdx = dy$ ſeu dy ad dx ut $1 + lx$ ad 1, & plura hujusmodi, in quibus Clariſſimus Nieuwentiit hærebat, & ampliorem explicationem merito deſiderabat; ideo Cl. Cheynæus non nihil his inſiſtit, eaque ad ſeries applicat. Pag. etiam 50 & aliquot ſequentibus utitur ſerie Cl. Joh. Bernoullii in Actis noſtris A. 1694 prodita, quam ingrediuntur, dy, ddy, d^3y, d^4y. &c. ſeu quotcunque differentiæ differentiarum. Deinde quoniam Leibnitius noſter olim aliquoties monuit, maximi uſus fore calculos ſecundum expreſſionem generalem omnium curvarum dati, vel etiam cujuscunque gradus; Autor ait p. 54, ſe aliquid in eo genere præſtitiſſe, nullamque noſſe methodum, quæ culturam magis mereatur.

Serierum Methodo exposita, applicat eam ad inventionem arearum curvilinearum aliaque problemata, ut constat, ac Cl. Joh. Cragii etiam Scoti ea in re operam passim commendat, quæque in eam rem affert p. 63, p. 123, ei se ex integro debere ait. Neque vero opus est, ut de curvarum longitudine, superficiebusque aut solidis rotatione genitis, centris gravitatis & similibus, quæ Autor ipse tantum generalissime attingit, agamus, cum talium mensuram ex mensuratione arearum seu quadraturis haberi constet.

ASTRONOMIÆ PHYSICÆ ET GEOMETRICÆ Elementa Auctore DAVIDE GREGORIO M. D. Astronomiæ Professore Saviliano Oxoniæ & Regalis Societatis Sodali.

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, 1702. fol.

$5\frac{1}{2}$. Alph.

EXcellentissimum hoc opus, quod eo tempore, quo in Regio Juvene Duce Glocestriæ formando, spes omnium essent positæ, elaboratum, nunc post ejus præmatura fata Serenissimo Principi, *GEORGIO*, Parenti dedicatum est, eo consilio publicavit Autor Clarissimus, *ut illa* (propria Autoris verba repetimus) *quam subodoratus est sagacissimus KEPLERUS, quamque Geometrarum princeps ISAACUS NEWTONUS ad eum, quem omnes suspiciunt, apicem perduxit, Physica Cœlestis, meis etiam curis illustrata, Philosophiæ & Astronomiæ Studiosis paulo facilius innotesceret.* Calculatoriam proin, alibi forte proferendam, hic omisit; Physicam autem Astronomiam, utpote primam inter disquisitiones naturales, facillimamque, cum solam vim gravitatis universalem consideret, diligentius tractat.

Hæc *KEPLERO* debet fundamenta (quamvis & antiquissimis Philosophis harmoniam Cœlestem, qua gravitates Planetarum in Solem reciproce sunt ut quadrata distantiarum eorum a Sole, cognitam fuisse in præfatione doceat Autor) *NEWTONO* fastigium (ad quod eam in incomparabili Opere *Principiorum Mathematicorum Philosophiæ Naturalis* evexit, vid. A. E. 1688 Junio, pag. 304.) Autori Clarissimo ordinem & claritatem;

VI.
1.

tem; non enim cujusvis erat, ex Kepleri nutantibus conjecturis, & Nevvtoni abstrusis, hic dilucidatis demonstrationibus, tantæ certitudinis, perspicuitatis & perfectionis systema compaginare, quale præsens egregium opus a rerum gnaris æstimabitur.

Libro I de Mundi Systemate agens, Sect. I exponit Planetarum primariorum circa Solem gyrantium Ordinem, Periodos, Distantias in numeris rotundis proxime veris

☉	o o	--
☿	3 mens.	4
♀	$7\frac{1}{2}$	7
♁	1 ann.	10
♂	2	15
♃	12	52
♄	30	95

hinc Phænomena Planetarum variantia, tam respectu motus in longum & latum, quam illuminationis apparentis, ut & Cometarum admodum dilucide deducit.

Sect. II Directionem Virium, quibus Planetæ primarii in orbibus suis retinentur, explanat. Hæc consideratio totius operis primaria & fundamentalis, meretur & huc breviter transferri. Propositio XI, (quæ Nevvtonianæ primæ libri I correspondet,) ita rem proponit: Concipiatur Tempus divisum in partes æquales, in cujus prima corpus sola vi insita, qua secundum directionem AZ (vid.fig. 1.Tab. VI.)progredi nititur,describat ejus partem A B, descripturum temporis parte secunda B C ipsi A B æqualem, verum ubi corpus ad B pervenit, intelligatur Vis Centripeta ad G tendens agere impulsu unico quovis, ita ut temporis parte secunda corpus per solum hunc impulsum impelleretur per rectam BC. TAB. VI. fig. 1.
Patet, (si per c ducatur c C ad B G, & per G, GC ad B c parallela,) corpus ex utroque impulsu, quo simul impellitur, perventurum ad C, describens rectam BC, diagonalem nempe parallelogrammi, quam conjunctis viribus eodem tempore describi, quo latera separatis, notissimum est. Sed areæ descriptæ, seu triangula BSA & BSc sunt =, ejusdem nempe altitudinis & æqualium basium. Pariter triangula BSc & BSC =, quia in iisdem

parallelis & super eadem basi constituta ; Ergo & areæ BSA & BSC =, id est, areæ erunt sicut tempora, quibus describuntur. Quod & porro de areis CS d, CSD, DSE &c. valet. Si augeri intelligatur triangulorum SAB, SBC, SCD &c. numerus, & latitudo minui in infinitum, horum bases AB, BC, CD, DE, constituent lineam curvam versus eosdem pontes cavam, & in eodem plano jacentem, quam corpus de tangente istius curvæ perpetuo retractum, describit. Hæc igitur tempori proportionalis seu æquabilis arearum descriptio, verum est symptoma Planetarii motus, quo omnes excogitatæ hypotheses, veræne an falsæ sint, multum an parum abludant a cœlo, probari possunt debentque. Hinc patet, corpora tali modo mota, urgeri a Vi Centripeta tendente ad punctum S. Planetæ itaque Primarii omnes a motibus rectilineis retracti, inque orbitis suis retenti, versus Solem tendunt, uti & Cometæ; non autem versus Terram.

Sect. III easdem considerationes repetit circa Planetas secundarios, qui circa aliquem primariorum revolvuntur.

Primarii	Secundarii		Period.	Distant
♁	1 Satell. ☽.		$27\frac{1}{3}$ dies	60 Semid. terræ.
♃	4 Satel.	1 & intimus	$1\frac{3}{4}$	$5\frac{2}{3}$ Semid. ♃
		2	$3\frac{3}{5}$	9
		3	$7\frac{1}{6}$	$14\frac{1}{3}$
		4 & extimus	$16\frac{3}{4}$	$25\frac{1}{3}$
♄	5 Satel.	1 & intimus	$1\frac{7}{8}$	$4\frac{3}{8}$ Semid. ♄
		2	$2\frac{3}{4}$	$5\frac{3}{5}$
		3	$4\frac{3}{5}$	8
		4	16	18
		5	$79\frac{1}{3}$	54

Hinc phænomena Lunæ ex illuminatione & opacitate, quas eclipsis & a tellure patitur, & rursus facit, perspicue exponit.

Dum Sect. IV Planetarum Secundariorũ circa suum Primarium, & horum circa Solem motus distantiasque confert, invenit utrinque Quadrata temporum periodicorum esse in eadem ratione cum Cubis distantiarum eorundem a Centro vel Primarii, vel Solis.

Hinc

Hinc Nevvtonianas libri I propositiones, quibus rationes Virium Centripetarum comprehendit, egregie & facili calculo illustratas subjungit. Quæ ex motu circa proprios axes oriantur phænomena, Sect. V. inquirit, ascribitque revolutionem

☉	♁	♃	♂	♀
25 dieb.	1 d.	10 hor.	$24\frac{2}{3}$ hor.	23 hor.

& ex hac circumvolutione figuram non perfecte Sphæricam sed Sphæroidem, ex rotatione Ellipsis circa minorem axem genitam, ad Polos depressam, ad Æquatorem elevatam, magis aut minus pro quantitate Vis Centrifugæ a motu Circulari oriundæ. Jam ipsas Planetarum Cometarumq; orbitas, sectiones nempe conicas, ellipses præsertim, in quibus primarii planetæ circa Solem, umbilicorum alterum, & secundarii circa suum primarium revolvuntur, Sect. VI. proponit, indagatque legem Vis Centripetæ, qua in illis orbitis deferuntur. Hanc ob summam utilitatem ex prop. XXXVII (Nevvton. Prop. 6 lib. I) brevi calculo, subjicimus. (vid. fig. 2.) TAB. VI. fig. 2.

Si Corpus secundum directionem rectæ cujusvis projiciatur, & simul urgeatur a Vi Centripeta tendente ad Centrum S, ita ut motu ex hisce duobus composito describat Curvam APp; hanc vero tangat in puncto quovis P recta PR, & a puncto B, ipsi P proximo, ducatur BD rectæ SP normalis, & BR eidem SP parallela; similisque fiat constructio ad aliud quodvis Curvæ punctum p. Dico Vim Centripetam in P, esse ad vim Centripetam in p, sicut $\frac{Spq + bdq}{br}$ *ad* $\frac{SPq + BDq}{DR}$: *Sive Vim Centripetam in P esse reciproce ut Solidum* $\frac{SPq + BDq}{BR}$, *ubi figura P R B D est indefinite parva.*

Vis in P ad centrum S tendens, vocetur V: Tempus, quo percurritur arcus minimus PB, vel quo corpus, sola vi insita, percurreret tangentem minimam PR, vocetur T: Vis Centripeta in p agens vocetur v: & tempus, quo pb percurritur, vel quoque pr percurreretur, vocetur t. Sumatur arcus Pβ, quem corpus percurrit æquali tempore, quo pb arcum; & ducatur $\beta\varrho$ parallela ad PS. PS vocetur D, Sp vero d, BD = X, & bd = x, $\beta\varrho$ = Z. Jam Lineolæ erunt ut quadrata temporum vel arearum.

Y Z

$Y \quad Z \quad :: \quad T^2, \quad X^2 \quad :: \quad D^2X^2, \quad d^2x^2.$

Et lineolæ ut vires Centripetæ

$Z \quad y \quad :: \quad V, \quad v$

Ergo ratio componitur. Ecl. lib. 5 def. 20.

$$\frac{Y}{y} = \frac{Y}{z} + \frac{Z}{y} = \frac{D^2X^2}{d^2x^2} + \frac{V}{v} = \frac{D^2V^2XV}{d^2x^2\,xv}$$

jam ut habeatur $\frac{V}{v}$ sola, multiplic. utrinque per rat. inverſ. $\frac{d^2x^2}{D^2X^2}$ fiet $\frac{Yd^2x^2}{yD^2X^2} = \frac{V}{v}$. Et = in :: reſol. erit

$V, \quad v \quad :: \quad Yd^2x^2, \quad yD^2X^2$; quibus diviſ. per Yy

$V, \quad v \quad :: \quad \frac{Yd^2x^2}{Yy}, \quad \frac{yD^2X^2}{Yy}$ id eſt :: $\frac{d^2x^2}{y}, \quad \frac{D^2X^2}{Y}$

Seu Vires Centripetæ erunt in reciproca :: ſolidorum illis locis correſpondentium. Hæc ſolida autem ex data figuræ natura erunt computanda, quod Autor in ſequ. pluribus exemplis ſect. Conic. monſtrat. Concipiendi igitur ſunt Planetæ primarii & Cometæ quaſi totidem Projecta, quæ nempe a duabus Viribus urgentur: nam hoc modo, eoque ſolo, Orbitas deſcribunt, quales obſervata produnt. Vis ſecundum rectam tangentem eſt æquabilis; Vis autem, qua Projectilia hæc a motibus rectilineis retrahuntur, hæc eſt lex, ut augeatur, prout minuitur quadratum diſtantiæ projecti Planetæ vel Cometæ a Centro Solis. Secundarii Planetæ vero circa ſuos Primarios eadem lege moventur, ut præter Vim omnem acceleratricem, qua Primarius urgetur, moveantur motu compoſito, uno nempe in tangente æquabili, & altero verſus Primarii Centrum aucto in ratione, qua quadratum diſtantiæ Satellitis ab illo diminuitur.

Cauſam autem, qua Planetæ in Orbitis ſuis retinentur, eſſe non varie diverſam, ſed unam eandemque, Gravitatem nempe, eadem lege per univerſum Syſtema Solare propagatam, Sect. VII docet demonſtratque exemplo Lunæ, quæ (vid. fig. 3.) per 60

TAB. VI. fig. 3.

Semid.

Semid. Terræ RAE a Terræ Centro T distans in orbita sua VL percurrat unius scrupuli horarii spatio partem LC; hæc, ob periodum Lunarem 27 d. 7 h. 43', hoc est, 39343 scrupulorum horariorum, erit $\frac{1}{39343}$ totius peripheriæ, seu 33 scrup. secund. gradus. Terræ vero ambitus (sec. nuperam D. *Picart* mensuram) est ped. Paris. 123249600, hinc Semidiameter TA ped. 19615800: quare TL semidiameter Orbitæ Lunaris erit ped. 1176948000, sexagecupla nempe ipsius TA; arcus Lc 33'' sinus versus est LD, & hine æqualis BC ped. Paris. $15\frac{1}{12}$ quam proxime; tanta est linea, qua per 1' hor. Luna a motu rectilineo retracta versus Terræ Centrum impellitur. Sed in superficie Terræ nostræ, per 1'' hor. gravia versus Centrum longitudine ped. Paris. $15\frac{1}{12}$ impelluntur, uti Celeb. *Hugenius* definit; ergo nostra vis gravitatis juxta distantiam sexagecuplo majorem diminuetur, ut illi $15\frac{1}{12}$ pedes, per 1' hor. percurrantur. Paria ergo præstant vis nostra gravitatis, & vis Lunam in orbita retinens, adeoque & ob simplicitatem naturæ eadem erunt. Hinc & omnia gravia ex puncto extra Telluris superficiem, secundum horizontalem rectam vi satis valida projecta, orbitam describerent, & terra intacta gyrum complerent. Sumatur punctum aliquod G, (vid. fig. 4.) extra Terræ superficiem ABCD, ex quo secundum directionem GH ad TG normalis projiciatur grave quodvis. Patet, si corpus hocce minima aut nulla vi projiciatur, (hoc est, si libere demittatur,) casurum illud ad A, directe infra G; si aliqua vero, grave attinget Terram ad punctum B ab A versus H distans; si adhuc majore, corpus projectum ultra B ad C Terræ occurret. Si augeatur vis projiciens eo usque, ut Terram non attingat, donec ultra E punctum ipsi A oppositum perveniat, tum rursus versus G ascendens Ellipsin GKMF complebit, atque eundem rursus perpetuo non impeditum describet, & Planeta fiet. Si punctum M minus distet a Terra, quam punctum G, Centrum Terræ T est umbilicus Ellipsis a vertice remotior. Si augeatur vis projiciens, donec puncta M & G

TAB. VI. fig. 4.

 æqua-

æqualiter a T distent, semita fiet Circulus; auctaque adhuc vi projiciente fiet Ellipsis, in qua T est focus vertici G vicinior, alter vero focus longius a T removebitur, pro Vis projicientis augmento, donec tandem in Parabolam, postea que in Hyperbolam mutetur. Hinc rationem motus Planetarii, ceu fundamentalem hujus operis, cuique totum superstructum est, hypothesin facile percipere licet. Ut vero hactenus motus corporum ad centrum immobile attractorum proposuit Autor, ita Sect. VIII. motus corporum se mutuo attrahentium, & circum commune centrum gravitatis similes figuras describentium, Systemati Solis Planetarumque applicat; Sectione vero IX motus ipsius centri gravitatis, quod systemati corporum circa aliud corpus revolventium commune est, Planetarum tam primariorum quam secundariorum motibus dilucidandis adhibet; omnia ex Newtonianis principiis. Aliorum Philosophorum vero rationes motus Planetarum Sect. X exponit & examinat, primo quidem *Keplerianam* Physicam Cœlestem ex ejusd. lib. IV *Astron. Copern.* explicat, plagas tamen Planetarum Soli vel amicas vel inimicas motibus ellipticis non convenire, breviter indicat. Dein *Cartesii* sententiam ex ejusdem *part. 3. Princip. Philos.* describens, vortices ab eo confictos motibus cœlestibus omnino contrariari, cum Newtono demonstrat. Viri Illustris *Leibnitii Tentamen de Motuum Cœlestium Causis* (vid. A. E. 1689 Febr.) dum recenset, monet quidem aliqua contra vortices corporeos, Planetas deferentes, approbat tamen ab eodem inventam Gravitatis legem, eandem cum Newtoniana. Et hæc quidem de vetere mundi systemate Philolaico hactenus; jam Sect. XI. de aliis mundi Systematibus & viribus ad illa conservanda necessariis agit, ubi *Semitychonicum*, *Tychonicum*, *Ptolemaicum*, & ex his composita diligenter exponit, ut & Astronomi quod phænomenis, & Physici quod rationibus naturalibus optime respondeat, Systema eligere possint.

Quæcunque Doctrinam Astronomis *Sphæricam* dictam concernere possunt, Libro II proponuntur. De Genesi Circulorum Sphæræ Sect. I. De temporis divisione, Sect. II. De Globis cœlestibus terrestribusque, eorumque usu, Sect. III. De Circulorum situ per observationes determinando, Sect. IV. De fixarum locis, Sect. V. De calculo Sphæric. triang. huc pertinente, Sect. VI. De

De Parallaxi siderum, Sect. VII. De Refractione, (cujus certam determinationem tam per observationes cum calculo collatas, quam per dioptricam quandam, de variis atmosphæræ ad 40 aut 50 milliaria in altum protensæ densitatibus, hypothesin monstrat) Sect. VIII; & tandem de Tabulis Primi motus Fixarumque Sect. IX, summa cum perspicuitate, nihil necessarii omittens, agit.

Theoriæ Planetarum Primariorum Librum III dicavit, quibus Orbitas Ellipticas convenire Keplerus, exactissimis Tychonis observationibus nixus, ostendit. Inhujusmodi igitur vera Planetæ Orbita Elliptica (vid. fig. 5.) ALP, ubi S focus alter est Solis locus, ASP lineaApsidum, A Aphelium, P Perihelium, L locus Planetæ ad libitum assumtus, ALS area sub rectis SA, SL & curva Elliptica AL comprehensa (computata ab SA in consequentia signorum) vocatur *Anomalia media*, id est *æquabilis*; hæc enim area crescit æquabiliter, nempe in eadem ratione cum tempore. Ex ASL angulus a linea apsidum SA & radio vectore SL comprehensus, dicitur *Anomalia Coæquata*, sive *Vera*. Hæc generaliter omnibus Planetis Sect. I applicat, exque data Planetæ orbita, Anomalias medias & veras calculo determinare docet. Sed data Anomalia media veram invenire, vicissimque indirecta (directam enim methodum dari negat *Keplerus*, & Geometrica *Wallisii* per Cycloidem protractam calculo minus apta est) primum methodo, mox per series, tandem per approximationem monstrat, quam (nempe: æquales esse Anomaliis mediis angulos circa focum alterum a Sole diversum) primo *Bullialdus* ipse, licet nescius, supposuit; dein *Sethus Wardus* usurpavit (quem in Gallia *Paganus*, in Germania nostra *Zimmermannus* in Prodromo Cono-Ellipt. bicipiti secuti sunt) mox *Bullialdus* correxit, tandem Clar. *Cassini* mutavit in orbitam ellipticam circa medias longitudines graciliorem, cœloque non convenientem. TAB. VI. fig. 5.

Jam Telluris theoriam subjungit Sect. II. Orbitam, tempus Æquinoctii & Solstitii, anni vertentis & syderei quantitatem, Aphelium, a Sole distantiam, dierum naturalium inæqualitates, temporisque æquationem determinare docet. Reliquos Planetas primarios Sect. III eidem examini subdit, eorumque Elongationem a Sole maximam, Directionem, Stationem & Retrogradationem

Nnn 2 Sect.

Sect. IV inquirit, tabulasque huc pertinentes Sect. V enumerat; hinc orbium planetariorum magnitudinem comparat Sect. VI, & inde magnitudines densitatesque Planetarum Sect. VIII investigat, figuramque eorum, hoc est, rationem, quam axis eorum habet ad diametros eidem normales, Sect. VIII determinat. De distantia Fixarum Sect. IX egregia monet, quomodo, si sensibilis sit diameter orbitæ annuæ telluris, per observationes commode distantia fixarum determinetur, (insensibilem autem & puncti loco totum orbem magnum habet;) Hinc per rationes opticas rem investigat.

Secundariorum Planetarum Theoriam Lib. IV comprehendit, & cum eorum motus maxime compositi reddantur ex diversa ad bina corpora, Solem nempe suumque Primarium tendentia, inæqualitates illas Astronomi potius hypothesibus *salvare*, quam physicis rationibus explicare sperabant. Autor vero *felicissimi* Netvvoni cogitata hic dilucidata applicat, & Sect. I errores in Satellitis motu a Sole productos demonstrat, cum Satellitis orbita Primario suo est concentrica; & Sect. II, cum est excentrica; & Sect. III, cum Satellitis orbita est inclinata ad Planum orbis a Primario circa Solem descripti; Sect. IV, cum Primarii orbita circa Solem est excentrica. Hæc omnia rationibus physicis, sed calculo intimioris geometriæ tractatis, dilucidantur: Sect. vero V. hæc motui Lunæ e Terra spectatæ applicantur, cujus Tabulæ Sect. VI ordinantur, ubi simul *Lunæ Theoriam Nevvtonianam* in praxi usurpatam adjungit Autor, qua Lunæ locus, etiam extra Syzygias, & in ipsis cum Sole quadraturis cœlo consentiens, (Astronomis hactenus desperatus) ex calculo definitur. Eclipses Lunæ Sect. VII proponit; Solis vero Eclipses Sect. VIII.

Aliorum Satellitum circa suos Primarios motus Sect. IX pandit; circa propria vero centra Sect. X; magnitudines & densitates eorum Sect. XI definit. Figuram Satellitum & Primariorum ex mutua gravitate oriundam Sect. XII, inprimis in Luna figuram sphæroidem ad explicandum phænomenon æstus marini determinat. Saturni annulo ejusque phasibus Sectionem ultimam XIII attribuit, quia hic fornix Satellitii pars est, suumque locum sibi vendicat. Restant corpora alterius generis in Cœlo, Cometæ nempe, quorum motus lib. V plene persequitur, Physicas

cas primum opiniones & placita Philosophorum varia de iis recensens, mox Geometrica seu orbitarum determinationem subjungit. Generalia quædam Sect. I de Cometis tractat, de duratione locoque Cometarum, quos antiquissimi Philosophi æterna mundi corpora esse statuerunt, quæ altiora mundi secant, & tum demum apparent, cum in imum sui cursus veniunt. Peripatetica vero Schola, ut cœlorum ingenerabilitatem tueretur, eos ex terrestribus exhalationibus compactos in regiones sublunares detrusit, quos ob defectum parallaxeos diurnæ, *Tycho & Keplerus* in sedes supralunares reposuere. Eos excrementum quoddam ætheris, *Keplerus*; Planetarum, *Hevelius*; ex Fixa aliqua maculis obducta, & a vicino vortice abrepta, *Cartesius*, inque linea recta moveri statuerunt. Qui perenne corpus Cometam asserunt, ejus orbitam summe excentricam, telluremque vel intra eam contineri, vel extra poni, ita ut orbitæ convexitas terram respiciat, volunt. Clar. *Jac. Bernoulli* Cometas habet pro invisibilis cujusdam Planetæ ad distantiam a Sole 2583 Semid. orbis magni, circa Solem rotati Satellitibus. Phænomenon caudæ, cui maximam materiæ copiam atmosphæra Cometæ suppeditat, vaporem statuit Autor a nucleo calore Solis elevatum, cujus expansionem in æthere, expansione aëris nostri declarat, qui ea cum raritate, quam haberet in altitudine semidiametri terrestis impleret omnes Planetarum regiones ad usque sphæram Saturni, & longe ultra, quod prolixa demonstratione de globo aëris nostri unciam unam lato evincit. Notat quoque, plures Cometas in Hemisphærio versus Solem, quam in opposito videri; distantiam autem Cometæ a Sole ex comparatione lucis Cometæ cum luce Planetæ æstimat. Viam & locum Cometæ apparentem prope verum Sect. II determinat, cujus veram Trajectoriam Sect. III accurata diligentia vel Parabolicam vel Ellipticam esse demonstrat; hincque Sect. IV de Cometæ Loco tam Heliocentrico quam Geocentrico in illa Trajectoria ad tempus datum invenire, deque Tabulis ad Cometarum motus expedite definiendos necessariis docet, quæ quia omnia ex sublimiori sectionum Conicarum Geometria deducuntur, adeoque in breve compendium redigi nequeunt, apud ipsum Autorem sunt inquirenda. Libro ultimo VI Astronomiam Compa-

rativam, hoc est eam, ubi oculus observatoris in variis Planetis supponitur, tractat, imitatus *Kepleri* Somnium astronomicum seu Astronomiam Lunarem post ejus mortem editam, & *Hugenii* Cosmotheoriam, quamvis duo hi insignes viri serio de incolis Planetarum egerint: (Sethi Wardi in Anglia, Kircheri in Itinere Extatico, celeberrimi nostri Weigelii in Geoscopia Selenitarum, pares labores Astrophilis quoque innotuerunt.) Phænomena igitur, oculo in Sole posito, primum enarrat; dein quænam ex Mercurio spectentur; mox ex Venere; porro ex Marte; Jove; & tandem Saturno. Phænomena quoque, oculo in Cometa aliquo posito, visa describit. Circa phænomena ex Luna spectata ceu Satellite Terræ, & demum, ex Satellitibus vel Jovis vel Saturni, ultimus occupatur labor, unde judicium de Astronomia *tale oritur*: Oculo in Sole constituto, Astronomiam fore *simplicissimam*; in aliquo sex Primariorum, magis compositam difficiliusque condendam, quamvis Tellus optima præ reliquis subsidia possideat; in aliquo autem Secundariorum Planetarum oculus constitutus Astronomiam intricatiorem difficilioremque experietur.

Atque hæc est umbratilis tantum delineatio Operis pulcherrimi, principio unico naturali, gravitatis nempe legi, superstructi. Cessabunt proin opprobia in Mathesin hactenus largiter effusa: eam in Cœlo nil nisi figmenta condere, quibus intellectus humanus inutiliter fatigetur: applicatio enim principiorum *Newtoni*, Viri profundissimæ indaginis, ad Astronomiam, ab Autore nostro in tam perspicuum firmumque ordinem feliciter redacta, peperit Astronomiam vere physicam. Calculatoriam vero, seu ad ipsos usus astronomicos adaptationem, si juxta promissum Autor publico donaverit, adhuc magis merebitur; cum ex profundissimis Geometriæ considerationibus, Physicæ applicatis, difficulter constans Calculi tenor eruatur; cum autem in regulas & exempla computi ista sunt redacta, faciliorem viam etiam minus exercitatis pandent mysteria hæc tractandi. Vires igitur Celeberrimo Autori tam animi quam corporis serio exoptamus, quo Virium, quibus universa mundi corpora agitantur, doctrinam porro perficere queat.

ACTA

ACTA SANCTORUM ORDINIS BENEDICTI. Sæculum sextum, quod est a Christo nato undecimum, divisum in duas partes.

Lutetiæ Parisiorum, apud Carolum Robustel, 1701. in fol. Alphab. 20.

QUæ sit ratio instituti de condendis Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, cœpti a Luca Acherio, & a Jo. Mabillonio continuati, dudum in Actis nostris A. 1686, mense Februario, p. 57. s. indicavimus. Jam (ubi interea Mabillonio socias præbere manus haud dedignatus fuit Theodericus Ruinartus,) post Seculum Ordinis Benedictini quintum, quod est a nato Christo decimum, cujus faciem tunc adumbravimus, sextum sequitur, aut Christi undecimum, quod duos tomos complet, cum materiæ amplissimæ Autores indulgere voluerint, ut penuriam illius temporis monumentorum, quæ ecclesiasticam & civilem historiam spectant, utcunque supplerent. Quam enim jejuna sit & sterilis utriusque historiæ illius seculi materia, probare censet Præfationis Autor Mabillonius, Annales Baronii non minus ac res Francicas, quibus adeo quoddam e rebus suis supplementum adjicere, perjucundum cum Socio ipsemet existimavit. In sequentibus vero seculis Sanctorum Benedictinorum Acta paulo magis coarctanda fore innuit, ita ut decem omnino (novem autem jam tum prostant,) tomis tota compages absolvatur.

More autem solito Præfationem Seculo integro præmisit Mabillonius, eamque paulo prolixiorem, in qua post divulgatæ per id tempus doctrinæ historiam, Ordinis quoque Benedictini in Oriente aliisque regionibus factam propagationem latius insinuat. Mox ortam sub finem seculi decimi, occasione professionis, quam Episcopi ab ordinandis Abbatibus exegerint, controversiam declarat. Hinc ad Pontificalia ornamenta Abbatibus tunc concessa pergit. Porro observationes ecclesiasticas monasticasque varias ex isto ævo depromtas suppeditat, utpote de antiquo illo more, quo seculares homines, quinimo & Episcopi cæterique Clerici majores, in extremis habitum monasticum in signum pœnitentiæ susceperint; de Principibus & Optimatibus, honoribus seculi

seculi abdicatis, ad monasticum se ordinem conferentibus; de tribus institutis in monasteriis Italicis tempore Petri Damiani introductis, ut nimirum Abbas tres semper pauperes haberet commensales, ut in monasteriis & eremis decimæ quorundam proventuum in egenorum usus assignarentur, ut anniversariæ octavæ pro carioribus quibuscunque defunctis fierent; de disciplinæ tunc usitatæ ratione, ubi ab anonymo Historiæ Flagellantium Autore ea in parte dissentire se haut negat, quod flagellationem propriam improbare minus audeat; de generibus probationum, ad dirimendas res dubias undecimo seculo frequentatarum, ignito nempe ferro pro ecclesiasticis, & duello pro secularibus viris, quin & de dubiis Sanctorum reliquiis per ignem probatis. Ut taceamus, quæ de anno obitus Hugonis Capeti, deque anno, quo *filius ejus*, Rotbertus, monarchiam Francorum adeptus est, & *de tempore*, quo Rotbertus ille Bertam repudiavit, duxitque Constantiam, ab eruditissimo Autore disputantur.

Ipsos autem, qui vocantur, Sanctos paulo curatius lustraturis, primo loco p. 3 occurrit Ramuoldus, Abbas S. Emmerammi apud Ratisponam, cujus Vitam ab Arnolfo, ejusdem monasterii monacho & coæquali, conscriptam ex Tomo secundo Antiquæ Lectionis Canisii suppeditant Clarissimi Editores, in observationibus prævius monentes, quod ortus Ramuoldi annum nemo hactenus assignaverit; sed ipsi illum A. 901 natum fuisse, nulli dubitant. Sequitur p. 25 Fingenius, cœnobiorum S. Vitoni apud Virdunum, & apud Mettas S. Felicis seu S. Clementis, tum S. Symphoriani Abbas; cujus occasione de monasterio S. Vitoni Episcopi Virdunensis, qui ineunte seculo sexto decessit, plura disseruntur. Tertius est S. Abbo, Abbas Floriacensis, cujus Vita auctore Aimoino monacho, ejus discipulo, descripta & valde commendata, p. 39 sistitur. S. Froilani, Episcopi Legionensis in Hispania, vitam a nemine antiquorum scriptam perhibent, quanquam ejus gesta plerique recentiores Hispani memoriæ mandarint: unde quæ de eo sive in Officiis Ecclesiasticis, sive in variis passim auctoribus invenire licuit, p. 58 in unum collegerunt. Mortis ejus tempus non ad annum 855, ut quibusdam visum, sed cum aliis ad A. 1006 referunt. Hinc post Vitam S. Alfrici seu Ælfrici, Archi-Episcopi Cantuariensis, & post

post commemoratam translationem. Sanctorum Livini Episcopi, & Briccii pueruli, Martyrum, in monasterium Gandavense S. Bavonis, Petri quoque Abbatis primi S. Petri in monte Caprario prope Perusium, Vitam recensitam, de Anastasio, Archi-Episcopo Strigoniensi in Hungaria, p. 72 agunt. Post alios interjectos, p. 85 de S. Aufrido seu Ansfrido, Episcopo Trajectensi ad Rhenum, verba faciunt. Vitam S. Martiani, Abbatis Aptensis, ex Benedicto Gonono p. 93 repetunt. De Johanne II & III, aliisque Abbatibus Casinensibus & Viris piis, qui ab A. 1000 ad annos quinquaginta sequentes in Monte sacro floruerunt, commentationem a p. 96 ad 112 inserunt. Vita S. Elphegi, Archi-Episcopi Cantuariensis & Martyris, autore Osberno, ejusdem Ecclesiæ Cantuariensis monacho, concinnata, & S. Libentii, Archi-Episcopi Bremensis, ex Adamo Bremensi repetita, p. 113 & p. 128 exhibetur. Nec fœminæ desunt, quorsum Adelheidem virginem referas, primam Abbatissam Vilicensem in Germania inferiori, cujus Vita stylo Berthæ, ejusdem loci sanctimonialis, ex Surio & Februario Bollandiano p. 137 repetitur. S. Symeonem, monachum & eremitam in monasterio S. Benedicti de Padolirona, Benedictinam quidem regulam haud unquam professum fuisse innuunt, multis tamen de causis locum inter Benedicti alumnos eum obtinere posse perhibent, ac proinde ejus Vitam p. 149 s. describunt. S. Wolbodonem, Leodiensem Episcopum, p. 174, & Theodoricum, Episcopum Aurelianensem, p. 192 in scenam producunt. Circa S. Bernwardum, Episcopum Hildesheimensem, diu occupantur, postulante id prolixa vitæ ejus descriptione, autore Tangmaro presbytero adornata, quæ suum p. 202 capit exordium. Ut illustre admodum est nomen S. Romualdi, Abbatis, Ordinis Camaldulensis institutoris, sic Vita ejus a Petro Damiani enarrata spatium a p. 280 usque ad 312 occupat. Vitam S. Guilielmi, Abbatis Divionensis, autore Glabro Rodulfo, ex manuscripto codice S. Benigni Divionensis, cum alio & editis collato, p. 320 recensent, eique p. 335 aliam ex Chronico S. Benigni Divionensis excerptam associant; quin & post excerpta ex Chronico Besuensi, de eodem S. Guilielmo duas subnectunt appendices, quarum prior p. 346 de monasterio Fructuariensi a Guilielmo condito, po-

sterior p. 351 de monasterio Fiscamnensi, in quo suum ille sepulcrum habet, disserit. Meinverci, Episcopi Paderbornensis, memoriam dum p. 382 refricant, de monasterio simul Abdingoffensi, atque aliis ab eo conditis aut dotatis disserunt. S. Godehardi, Episcopi Hildesheimensis, Vita a Wolfero, ejus æquali & discipulo scripta, p. 569, illiusque Canonizatio & translatio p. 430 prolixe enarratur. Vitam S. Chunigundæ dum p. 451 exhibent, Henrici una Imperatoris, ejus Conjugis, mentionem cum summa laude faciunt. S. Popponis, Abbatis Stabulensis, p. 569 ita meminerunt, ut & de ejus matre Adelwiva disserant. S. Odiloni, Abbati Cluniacensi, a p. 631 ad 679 præclarum suspendunt elogium, quod Vita ejus a Jotsaldo monacho scripta excipit.

Præfatio, quæ frontem Partis secundæ hujus ejusdem Seculi exornat, multo amplior illustriorque est priori, *inque ea* disseritur de Schismate Græcorum per Michaelem Cerularium excitato; de Berengario ejusdemque dogmatibus, adversariis, pœnitentia; de gestis Gregorii VII contra Investituras & Simoniam, & pro cœlibatu Clericorum; de variis Congregationibus & Ordinibus monasticis seculo undecimo institutis, veluti de Congregatione Camaldulensi & Vallumbrosana, de Ordine Grandimontensi, & Ordinis Cartusiensis institutione per Brunonem, ubi vulgatam illam fabulam de Doctore Parisiensi ansam eidem præbente, explosam videas; de origine & instituto Fratrum Conversorum, & eorum quos Donatos & Oblatos nuncupant; ut alia taceamus.

Tomus ipse a Vita S. Bardonis, Archi-Episcopi Moguntini, sortitur auspicium. Hinc post duos alios interjectos, S. Leo IX Papa p. 49 comparet. Pag. 117 de Theoderico, Abbate Uticensi, agitur; de S. Dominico Loricato p. 141; de S. Theobaldo, Eremita, p. 156. Vita S. Roberti, conditoris & primi Abbatis Casæ Dei in Arvernia, autore Marbodo, Archi-Diacono Andegavensi, ex variis codicibus manuscriptis cum Aprili Bollandiano p. 183 s. confertur. Nec reticendus est Petrus Damiani, Cardinalis & Episcopus Ostiensis, qui p. 245 introducitur; itemque S. Joannes Gualbertus, Abbas & Vallumbrosanæ Congregationis primus institutor, de quo p. 266 agitur. Herluinus, Abbas primus

&

& fundator Beccensis cœnobii, duplici penicillo, semel p. 340, iterumque p. 355 delineatur. De S. Gregorio VII Papa a p. 403 ad 469 sermo est. S. Anastasii, monachi & eremitæ, Vita a Galterio consarcinata, ex manuscripto codice Ecclesiæ S. Martini Doydensis, p. 487 primum nunc in lucem protrahitur. S. Arnulphum, Episcopum Suessionensem, a p. 502 ad 557 decantari legas. Victoris III. Papæ ubi p. 583 mentio fit, simul de Abbatibus & Viris piis, qui in monasterio Casinensi inde ab A. 1050 ad exitum usque seculi undecimi floruere, differitur. Adest quoque p. 630 f. Lanfrancus, Archi-Episcopus Cantuariensis, & p. 661 S. Adalbero, Episcopus Herbipolensis, ut reliquos silentio præteream mus.

ANATOMIE NOUVELLE DE LA TETE DE L' Homme &c.

i. e.

ANATOMIA NOVA CAPITIS HUMANI &c. Autore JOSEPHO de la CHARRIERE, Medico-Chirurgo.

Parisiis apud Viduam Danielis Hortemels, 1703, in 12.
Constat plagulis 19.

Integram meditatur Anatomiam Vir Clarissimus, qui ante duo lustra *Novas Operationes Chirurgicas*, a nobis anno 1693, mense Junio pag. 267 recensitas edidit, cujus partem primam, primum corporis ventrem continentem, jam exhibet. Quoniam autem hic, præter partes sibi proprias, etiam ex talibus conflatur, quibus nec reliqua vel membra vel viscera destituuntur, in his explanandis ita se gerit Noster, ut generalem de istis ideam Lectoribus communicet. Orditur vero suum tractatum statim a motibus capitis, pro cujus semicirculari potissimum motu perficiendo, singulare Naturæ artificium celebrat. Facta tum partium caput constituentium divisione, cuticulæ, cutis, pinguedinis, salivæ, & musculorum naturam & usum explicat. Quemadmodum autem musculos pro fasciculo fibrarum membrana quadam, ex qua omnes exiliores fibra membranosæ reliquis

fibris motum præſtantibus intertextæ originem ducunt, involuto habet: ita exiſtimat, quamprimum muſculi venter intumeſcit, membranam hanc plus minus tendi, hinc fibras membranoſas verſus principium ſuum moveri, ſicque fibras carneas a centro ad circumferentiam pro contractione præſtanda cogi, omnemque motus muſcularis vim in eo conſiſtere, ut hæ duplicis generis fibræ ſibi invicem cohæreant, viresque conjungant. Reſpirationem vero motum mixtum, i. e. partim voluntarium, partim involuntarium vocare dubitat, utpote quæ absque vitæ jactura ſufflaminari diu neutiquam poſſit, & potius ab aere, quem inſpiramus, quam a muſculis pneumaticis perficiatur; quapropter mere involuntariam eam pronunciat. In ſpecie tum capitis muſculos recenſet, & pericranium examinat. Accuratam dein oſſium formandorum rationem init, eorumque prima ſtamina *in ovo latere* putat. Cum enim omnes partes ſolidæ ſint faſces exiliſſimorum filorum perforatorum, & contextum infinitorum vaſculorum, exinde ſequi dicit, canales illos, qui oſſa conſtituunt, eſſe continuationes fibrarum, reliquorumque vaſorum, quæ tendinem formabant, eodem modo quo tendines ex muſculis, hi ex nervis propullulant. Duritiem denique oſſium a dilatatione canalium, ſubtilitate ſucci ſalini, pondere partium prementium, & teneritudine fibrarum derivat. Nec in illorum concedit ſententiam, qui oſſa medulla aut ſucco nerveo nutriri adſtruunt, ſed quoniam natura univoca ſit in omnibus ſuis operationibus, oſſa eodem ſucco, quo muſculi & tendines, nutriri probat. Poſtquam igitur oſſium medullam, partes, cavitates & articulationes conſideraverat, ad capitis oſſa revertitur. Quibus quoad ſingulas partes examinatis, cerebrum evolvit, cujus fibras medullares concavas eſſe, prolixius probat. Eodem modo & cerebellum & medullam oblongatam examini ſubjicit. Quemadmodum autem cerebrum, omnium conſenſu, pro ſpiritibus *animalibus* elaborandis formatum eſt: ita Noſter, ejus uſum dum commemorat, mechaniſmum naturæ pro ſecernendo ſubtiliſſimo ex ſanguine liquore, tam animæ & corporis functionibus, quam generationi impendendo, maximopere deprædicat. Hinc in pneumatoſi ad varias triturationes attendendum eſſe monet, quas ſanguis

guis patitur, antequam depuratos ex suo dimittat sinu spiritus. Primam triturationem subit in dextro cordis ventriculo, dum hic se constringit, & contentum fluidum in arteriam pulmonalem propellit; alteram in arteria pulmonali, quæ cessante cordis motu, sanguinem pulmonibus insinuat; tertiam in pulmonibus, dum in inspiratione aer ei admiscetur; quartam in iisdem pulmonibus, dum in expiratione iterum conquassatur, & per venam pulmonalem cordi redditur; quintam in corde, dum hujus contractione majori impetu in arteriam magnam injicitur; sextam in arteria aorta, carotidibus & vertebralibus; & ultimam in vasis capillaribus. In cerebrum hac ratione delati spiritus cum sanguine triplici modo præparantur; in corticali enim substantia formantur, in medullari subtilisantur, in protuberantiis medullæ oblongatæ poliuntur. De sede, facultatibus & passionibus animæ dum agit, multus in refutando Cartesio est; ad nervos tum pergit, quorum originem & usum tradit, sensuum organa describit, & modum, quo perficitur sensatio, explicat; ubi insimul, quæ ad doctrinam opticam spectant, in compendio enucleata inveniet Lector benevolus.

LETTERA DEL DOTTORE BARTOLOMEO CORTE, Milanese &c.

EPISTOLA, IN QUA DE TEMPORE ILLO, QUO Anima Rationalis fœtui infundi solet in utero, disquiritur, scripta ad Maxime Reverendum Patrem D. ALPHONSUM LODI, Canonicum Reg. Somascensem, a BARTHOLOMÆO CORTE, Philos. & Medic. Doctore, Mediolanensi.

1702, in 8. plag. 4.

IN Ecclesia Romana & Jure Canonico solenniter receptum ac commune dogma est, non prius quam post quadragesimum a conceptu diem, infundi animam rationalem, atque uniri cum mortali hominis corpore, in utero matris. Cum enim Medici, Aristotelici cumprimis, pristinis temporibus, organa in fœtu, non nisi elapso quadraginta dierum spatio, completa atque vitalia crede-

diderint, illis etiam animæ communicationem ante dictum tempus competere, nullo modo sibi persuadere potuerunt. Et ab his, tanquam communibus in Philosophicis eo tempore Præceptoribus, ad Romanæ Ecclesiæ Theologos Jureque Consultos error transiit, ad hunc usque diem suos inveniens propugnatores. Hujus rei non nescius *Clarissimus præsentis schediasmatis Auctor*, *D. Barthol. Corte*, quamvis dictæ Ecclesiæ venerari se fateatur decreta, de veritate ac fide allegati dogmatis dubia concepit non levia, quibus sanæ rationis æqua lance rite trutinatis, non potuit non deprehenso errori aperte contradicere, & conscripta præsente dissertatione epistolica, aliam in moderna Philosophia magis fundatam de Infusionis tempore sententiam publicare. Id quod etiam citra omnem hæreseos culpam fieri posse existimat, præsertim, cum neque per S. Codicis auctoritatem, neque per viam revelationis, sed potius per Aristotelicorum oscitantiam, erroneam hanc de Animæ infusione traditionem, Ecclesiæ olim obtrusam fuisse, certum sit. Adeo autem eximia est thematis hujus ab Auctore nostro facta pertractatio, ut dubium sit, an in ea judicium, an vero nervosam brevitatem magis laudes. Brevissimis igitur *Clarissimi Auctoris* mentem hic, facto compendio explicabimus, siquidem & omnia, quæ profert, ad probandam suam de tempore infusionis sententiam, argumenta, sequentibus nituntur, brevibus quidem, ast sat ingeniosis *postulatis*:

1. Animam sensitivam, quæ & spiritus vel vita appellari consuevit, esse unicum illud medium, quo intercedente, anima rationalis cum corpore uniri possit:

2. Dato hoc medio, necessario uniri debere duo illa extrema; animam immaterialem puta, & materiale corpus:

3. Exemplar hujus unionis perfectum prostare in Genesi, ubi, formato jam, i. e. anima sensitiva instructo primo homini, infusum fuerit ab Omnipotente spiraculum vitæ, i. e. immortalis atque immaterialis anima; quod autem vivum habuerit, ante animæ rationalis infusionem, primus homo corpus, ex præcedentibus in eodem sacro textu verbis: *producat terra animam viventem &c.* constare posse:

4. Ad normam primæ hujus creationis, continuari secundam;

dam ; & hoc quidem virtute benedictionis Divinæ universalis : *crescite & multiplicamini &c.*

5. Non dari ratione organorum, generationis a creatione diversitatem. Licet enim organa fœtus in utero, vel ovulo etiam, propter summam subtilitatem suam, sensus fere fugiant, perfecta tamen ac numeris omnibus absoluta ex saniori Philosophia credenda esse ; quod si quis in dubium vocare vellet, illo Platonis rubori dandum : *profani sunt, qui nihil esse putant, nisi id, quod manibus palpare ac prehendere possunt :*

6. Dictam organorum in embryone subtilitatem, animæ rationalis unioni cum corpore non contradicere ; *mens enim & corpus,* inquit, *non junguntur per fines duarum ad se invicem admotarum extensionum, quia mens extensione caret.*

Stantibus firmo talo hisce postulatis, sequi necessario existimat Cl. Autor, *quod eo ipso momento, quo vivere incipit fœtus in ovulo*, (i. e. protinus post conceptionem,) *fiat etiam animæ rationalis cum corpore intima connexio*, ne quicquam scilicet statim ab ortu deficiat, quod natura homini convenit. Tantam enim inter essentiales hominis partes intercedere necessitudinem existimat, ut corpus sine anima, anima sine mente (i. e. anima rationali) in statu naturali nunquam persistere queat.

ETYMOLOGIÆ SACRÆ GRÆCO-LATINÆ P. NICOLAI du MORTIER.

Romæ ex Typogr. Jo. Jac. Komarek, 1703, fol.
Alph. 8. pl. 6.

CUm Latium curtæ suæ supellectilis probe memor, magnam omni ævo vocum & terminorum artificialium farraginem ex Helladis fontibus locupletissimis emendicaverit, easque civitate donatas in Theologorum & Philosophorum maximam partem scholas introduxerit : non omnibus solum, qui Literati videri volunt, ast tamen Græcarum literarum imperiti sunt, sed & Theologis atque Philosophis omnibus perutile & proficuum opus in his Sacris suis Etymologiis, moderno Pontifici Maximo Clementi XI inscriptis, se adornasse confisus est P. Nicolaus Mortierius, Religionis Clericorum Regularium infirmis ministrantium Generalis. Evolvit quippe

pe primo ubique in hoc opere loco, ordine Alphabetico, omnia pene vocabula Latina ex Græcia oriunda, eorumque tum originem & ex duabus aut tribus pluribusve vocibus Græcis compositionem, tum significatum proprium, tum quoque usum quandoque diversum, ex Græcis Scriptoribus & Patribus Ecclesiasticis, brevem simul hinc inde hujus vel illius rei factive historiam pertexendo, eruit. Deinceps vero in eo multum terit otii, ut ex Græcæ linguæ indole, Latinarum vocum ex Hellade oriundarum pronunciationem omnes Græcæ linguæ imperitos rite edoceat. Nam cum v. g. Philosophia, Theologia, Academia, in Græcis fontibus φιλοσοφία, θεολογία, ἀκαδημεία, accentum in penultima syllaba habeant, rectius esse censet, si quoque in Latina lingua hæ voces paroxytonæ permaneant; utut juxta idioma Latinum, alioquin penultima syllaba in his similibusve vocibus brevis sit, eædemque a multis ut proparoxytonæ, accentu in antepenultima syllaba locato, pronuncientur. Et cum pariter quoque hydrops in Genitivo Græco ὑδρῶπος per ω habeat, contra vero dæmon in Genitivo Græco δαίμονος per ο seu omicron: hinc quoque apud Latinos Genitivum hydropis, penultima syllaba longa facta, paroxytonum, ast Genitivum dæmonis, penultima correpta, proparoxytonum esse admonet. Tandem quoque subinde lites adjungit, quæ Romanæ Ecclesiæ cum Evangelicis aut Reformatis, circa voces v. g. idioma, eucharistia, latria intercedunt, easque, quantum per operis angustias fieri potest, brevissimis quibusdam eadem opera disceptationibus dirimere allaborat.

LIBRI NOVI.

Apparatus ad Bibliothecam Maximam veterum Patrum & antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum. Opera Domni Nicolai Le Nourry. Parisiis, apud Jo. Anisson, 1703. fol.

Theologia Dogmatica & Moralis, Appendice duplici aucta, auctore Natali Alexandro. Parisiis, apud Ant. Dezallier, 1703. fol.

Nova Plantarum Americanarum genera. Auctore P. Carolo Plumier. Parisiis apud Jo. Boudot, 1703. 4.

Jo. Christiani L. Baronis de Boineburg Epistolæ ad Jo. Conradum Dietericum. Norimbergæ, apud W. Michahellis & J. A. Schwobachium, 1703. 12.

* * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris, Anno MDCCIII.

A GENERAL ECCLESIASTICAL HISTORY &c.

i. e.

HISTORIA ECCLESIASTICA GENERALIS, A Nativitate Servatoris nostri optimi usque ad Christianismi, sub Constantino M. legibus humanis primum stabiliti, tempora deducta, spatiumque CCCXIII circiter annorum continens. Accedit rerum Romanarum & Ecclesiasticarum, quæ sub eadem temporis periodo evenerunt, tabula Chronologica prolixior. Auctore LAURENTIO ECHARDO, A. M. Præbendario Lincolniensi, & Summe Reverendo ejusdem Diœceseos Episcopo a sacris domesticis.

Londini apud Jacob. Tonson, 1702, in fol.
Constat Alph. 5. pl. $8\frac{1}{2}$.

Quæ cura hactenus eruditorum non paucos tenuit, ut Ecclesiæ historiam magis ac magis expolirent, iisque, qui in addiscenda illa occupantur, quoad facultas tulit, operam levarent, eadem Clarissimum Auctorem impulit, ut civium suorum commodo præcipue inserviturus, Anglico idiomate res tribus prioribus seculis in Ecclesia gestas, generatim & universe persequeretur. Neque vero dum in recensendo hoc opere eleganti versamur, illud per omnes libros ac singula capita pressius sectari est animus, cum in eo Echardus ipse solum, quæ ab aliis scriptoribus in hoc genere præstantissimis fuerunt consignata, se repetiisse, ac non sine studio collegisse, lubentissime fateatur. Potius itaque partibus nostris

sic satis defuncti videbimur, si de methodo, qua usus idem fuit, deque scriptoribus, quorum vestigia pressit, pauca dixeramus.

In tres ergo libros divisum opus est, quibus præfationis loco Introductionem quandam eum in finem præmissam videas, ut Lectoris animus ad meliorem ipsius Historiæ, cognitionem quasi præparetur. Describitur enim in illa Terra, quam Sanctam communiter adpellant; depingitur Judæorum Respublica, eorumque Sectæ enarrantur: de variis, quibus Messias V. T. tempore se revelavit, modis disseritur; memorabilia Christi nativitatem antegressa exponuntur, quæ singula quin rebus, quæ in ipso opere traduntur, magnam lucem accendant, nemo est, qui inficias iverit. In primo autem libro Auctor Servatoris nostri *optimi* vitam exhibuit, inque ea describenda, non modo ex Novi *Testamenti* scriptis atque Josephi monumentis multa collegit, sed etiam recentiorum tum eos, qui sacras Pandectas commentariis illustrarunt, tum qui Chronologiæ studium excoluerunt, sedulo secutus est: quales sunt ex istorum numero Medius, Hammondus, Lightfootus, Grotius, & illi, qui Criticorum sacrorum nomine comprehenduntur; ex horum vero ordine Chemnitius, & qui cœptum ejus laborem perfecerunt, Garthwaitus item, Richardsonius, Lightfootus, Cradokius, Tillemontius, Taylorius, Walkerus, Du Pin, ac forsitan alii. Quod autem ex Whistoni Harmonia, quam nuper Actis hisce inseruimus, in usum suum nihil convertere potuerit, quamvis eam scriptam adhuc manu pervolverit, id temporis, qua tum laboraverit, penuriæ Noster adscribit. Secundo atque tertio libro omnem Apostolorum ac primorum Christianorum historiam complectitur, quæ non tantum Josephi, Philonis, Eusebii, Lactantii, Orosii, Sulpitii Severi aliorumque auctorum, qui primis quatuor Ecclesiæ seculis vixerunt, sed etiam eorum, qui res Romanas consignarunt, testimoniis ubique confirmatur.

Cæterum scribendi ratione Auctor utitur perspicua ac ejusmodi, quæ narrationibus exponendis apta omnino est, nihilque quod a primis Ecclesiæ incunabulis, ad Constantini M. ætatem usque, memoria dignum accidit, prætermisit, additis non raro iis,

iis, quæ ex Romana historia desumta, ab argumento suo non aliena penitus esse existimavit. Hinc jam Christianæ religionis statum adumbrare, jam gravissimas Ecclesiæ persecutiones recensere, mox horrenda Martyrum supplicia enarrare, mox Præsulum meritis & doctrina præstantium memoriam renovare, modo scripta ipsorum commemorare, modo Tyrannorum vitam, quorum sub jugo Ecclesia sæpe anhelavit, breviter exponere non infelici conatu nititur, ubivis non nisi ad sincerissima testimonia provocans. Abstinuit hac de causa a Nicephori, Metaphrastæ aliorumque illius ætatis scriptorum incertiorum autoritate, potiusque præter antiquos autores, recentiorum quoque præstantissimos in consilium adhibuit, ex quibus nominare nobis liceat Centuriatores Magdeburgenses, Baronium, Brietium, Capellum, Valesium, Spanhemium, Norisium, Pagium, Ruinartum, Godellum, Suerium, Fleryum, Du Pin, Tillemontium, Foxium, Usherium, Simpsonium, Montagum, Pearsonium, Hovvelium, Stillingfleetum, Dodvvellum, Wakium, Wottonum, & his singulis non minorem, Guilelmum Caveum, qui pro eo, quo in nos omnemque rem litterariam amore fertur, præsens Echardi opus benevole nobiscum communicavit. Addita quoque cernitur operi tabula Chronologica pariter & Geographica, quarum illa & Romanas & Ecclesiasticas res, a Christi nativitate ad Constantini M. tempora, secundum doctissimorum Chronologorum placita computat, hæc vero Cananæam terram eo in statu, quo Christi ætate fuit, accurate exhibet; ut indicem rerum & verborum, qui in fine annectitur, taceamus.

LETTERS OF FRANCIS BACON &c.

i. e.

LITERÆ FRANCISCI BACONI BARONIS DE Verulamio, Vice-Comitis S. Albani & Cancellarii Angliæ, scriptæ regnante Jacobo I &c. Introductione Historica atque Observationibus illustratæ, juxtaque temporum seriem dispositæ.

Londini, sumptibus Benj. Tooke, 1702, in 4.
Constant 2. Alphab. 2. plag.

FAsciculi hujus literarum maximam partem ineditarum ea est præstantia, ut non arcana vitæ tantum ab incomparabili Bacono in negotiis publicis exactæ, quibusve artibus viam is sibi ad summæ dignitatis fastigium muniverit, palam faciat, sed plurima etiam status politici Anglicani singularia, haud absque legentis voluptate accumulata, offerat. Quæ omnia ne per difficiles demum ambages investigare oporteret, præliminarem discursum satis copiosum, rebusque notatu dignis refertum, præmisit anonymus Editor, cujus tanquam digiti indicis ope, veram eventuum potiorum seriem cernere datur; adeoque nec nobis, opinamur, fraudi cedet, si ejus ductum in delibanda tanti Herois historia presso pede insequamur. Illi autem Londini A. 1561. d. 22 Jan. nato pater obtigit Nicolaus Baconus, Magni Sigilli Angliæ Custos, vir *spectatæ* fidei ac probitatis, quoque Elisabetha Regina, *præter Burgleium* & Walsinghamum, in Republica administranda *imprimis fuit usa*; mater vero una e sex filiabus Antonii Cookii, Præceptoris quondam Edoardi VI Regis, quas omnes edecumata Latinæ Græcæque linguæ cognitio perquam celebres reddidit. Germanum quidem habuit natu majorem Antonium, sed multa post lustra sine prole demortuum. Ipse vero Cantabrigiæ studiorum circulum mature absolvit, mox comes datus Amicio Pauleto, Legato Reginæ in Galliam, a quo ad eandem certi nuncii perferendi causa remissus, egregiam dexteritatis laudem sibi peperit. Verum parentis mors intempestiva, cum vix decimum nonum ætatis annum Noster ageret, & Magnatis cujusdam, gratia apud Elisabetham valentis, injusta æmulatio obstitere, ne virtutis suæ præmia capesseret, aut muneribus publicis admoveretur, donec Jacobus Scotiæ Rex rerum in Anglia summam teneret, cui etiam ut Soli orienti singularem venerationis cultum deferre properavit. Diversam enim ab Elisabetha viam vel in hoc ingredi visus est Jacobus, *dum* honores titulosque liberaliore manu in subditos *profudit*, *protinus* sub auspicium regiminis sui aliquot centum, inter quos Baconus, Auratis Equitibus creatis. Cum deinde arduum unionis Anglici Scoticique regni negotium ex voto Regis tractaretur, Commissariique ab utraque parte delecti essent, qui communis salutis fundamenta sollicite perquirerent, magni præcipue æstimabatur Baco-

Baconi opera, quippe qui bis ea de re ad Parlamentum verba fecit, & duos insuper ad Regem conscripsit libellos, in opere, cui *Resuscitatio* titulus, jam exstantes, ut licet tum temporis optato exitu careret, quandocunque tamen illa melius successerit, plurimum adhuc ista ætas Baconi consiliis sit debitura. Eadem fere tempestate, qua Regi servitia sua approbare studebat, non minorem quoque a literis Angliæ gratiam iniit, libro vernacula lingua de Augmentis Scientiarum A. 1605 edito, quem Regi consecravit, multisque e Nobilium ordine obtulit. *Epist. 12. seqq.* Ast exterorum etiam favorem commeriturus, Latinitateque eum donare cupiens, opem Doct. Playferi, Professoris Cantabrigiensis, dictionis elegantia summopere clari efflagitavit, *Ep. 17.* qui tamen nimis politam versionem moliendo, Bacono res verbis antiquiores habenti haud fecit satis, ita ut hic post primum acceptum specimen, illi continuandæ ejus causa aurem vellicare, opus non censeret. Ipse vero adjutus postea a Georgio Herberto aliisque eruditis, in Latinum sermonem ingenii sui fœtum transtulit, adjectisque nonnullis ac immutatis A. 1623 in fol. prelo submisit, quem D. Wattesius infelici versione rursus adulteravit. Pauca quædam hic inserit Autor de Thoma Egertono, Angliæ Cancellario ac Barone Ellesmerii, mox Vice-Comite Brackley, nec non de Edoardo Coke Magno Justitiario Angliæ & Præside Tribunalis Regii, quorum ille senex emeritus muniis suis se abdicavit, & Bacono Sigillum tradidit, talem sibi in tanto honore successorem unice expetens; alter vero, cum summus ævi sui haberetur Jure-Consultus, ægre tulit, Bacono eruditionis palmam ab omnibus tribui, unde simultates atque obtrectationes, hujusque ad eum querelæ acerbissimæ. *Ep. 24.* Sane in opprobrium ipsi cessisse solidæ doctrinæ amorem & culturam, vel exinde patescit, quod eum Sollicitatoris Generalis officium aliquoties prensaret, tanquam rudior Juris municipalis repulsam semper ferret, nec ante A. 1607 illud obtineret. *Ep. 18.* Interea Historiam Magnæ Britanniæ contexendam esse, serio suaserat, *Ep. 19.* specimenque ejus Regi exhibens, in quo primordia regni uniti delineata erant, abunde declaraverat, neminem tantæ provinciæ subeundæ se aptiorem fore. Anno 1608 intestino tumultu contremuerat Ultonia, Hiberniæ borealis regio, quo sedato agrisque rebellium confiscatis,

 nova

nova colonia a civitate Londinensi prope urbem Derry fundataac London-Derry vocata fuit; qua occasione Baconus in libello quodam peropportuna consilia Regi detexit, transducendis ac stabiliendis ejusmodi coloniis accommodata.

Ep. 29. Panegyricum quoque in felicem memoriam Elisabethæ, schediasmati *Misera Fœmina*

Ep. 28. inscripto, (quod illi nomen Papa in bulla quadam sua dederat) oppositum elaboravit, ac Georgio Carevv Legato Parisiis degenti transmisit, quo Thuano veritatis amantissimo Historico, ac gesta ævi Elisabethani consignaturo, communicaretur. Quod licet factum, atque a Thuano mentio ejus injecta fuerit, Noster tamen integrum Panegyricum separatim typis exeudi ultima voluntate jussit; sed non prius cives morem gesserunt, quam A. 1658, quo Ravvlejus illum una cum Anglica versione inter *Opuscula* evulgavit.

Ep. 30. sequ. Porro A. 1609 luci publicæ exposuit Baconus *Cogitata & Visa*, in quibus pessimum literarum statum atque errores quotidie obvios

Ep. 35. depinxit: quæ excepit A. 1610 de *Sapientia veterum* liber, Comiti Sarisberiensi atque Academiæ Cantabrigiensi sacer, totusque scatens parabolis & fabulis Antiquorum insignioribus, quibus mentis suæ sensa juxta priscam methodum involvere voluit. Enim

Ep. 36. 373. 8. vero ut ad provincias revertamur, quas diligentissime obivit, primarii Procuratoris Regii gradum A. 1613 M. Octobri occupavit, successorem in superiore sparta nactus Heinricum Yelvertonum, virum rerum usu exercitatissimum, de quo varia memorat Editor, a nobis brevitatis studio prætereunda. Innotuere eo circiter tem-

a. 1614. pore Peachami atque Ovveni crimina, quorum ille sermoni nunquam quidem habito aut habendo, attamen in schedas in museo ejus repertas conjecto, plurimas locutiones seditiosas admiscuisse:

Ep. 42. usque ad 48. hic vero ex Hispaniis redux, doctrinam e Suaresii lacunis haustam, Reges nimirum Papæ sententia excommunicatos regnoque privatos jure a quocunque occidi posse, aliis instillare voluisse deferebatur. In utraque accusatione tum strenue Noster egit partes sibi commissas, ut Regis gratiam magis magisque acquireret. Nec leviorem sedulitatis gloriam indeptus est in causa Oliverii St. Johannis, cujus eædem epistolæ, ut & quinquagesima, mentionem faciunt. Cum enim in consessu Parlamenti, A. 1614 congregati, subsidia pecuniaria impetrare Rex non valeret, illudque propterea dissol-

dissolveret, complures e Nobilitate & Clero agri Londinensis amorem suum spontaneo donativo ei declaraverant. Istud exemplum aliis quoque ad imitationem commendandum ratus Senatus sanctior, literis per reliquas Angliæ provincias dispersis significabat aperte, quam accepta Regi futura foret similis subditorum suorum benevolentia, ita tamen, ut nemo ad aliquid dandum cogeretur, aut requireretur nomen ejus, qui desideriis regiis annuere nollet. Hoc factum vituperare cœpit modo dictus Oliverius, & legibus, rationi ac religioni adversari, scripto ostendit. Quocirca in jus vocatus, ad mulctam 5000 lib. Sterling. & carceres quoad Regi placeret, nec non ad veniam admissi erroris nomine rogandam, condemnari meruit. Eidem indigentiæ ut Rex mederetur, privilegium de pannis non tinctis extra Angliam exportandis, Societati mercatorum quondam indultum, revocavit, novamque Societatem condidit, quæ omnes pannos exteris vendendos tingi curaret, sperans hoc ipso reditus suos haud mediocriter auctum iri; re autem accuratius perpensa, plurimisque incommodis manifestatis, restauravit pristinum Consortium, ita tamen, ut summam quinquaginta millium librarum Sterling. fisco ejus inferret. Quo in negotio maxime eminuit Baconi industria, *Ep. 11. 53. 60.* sicut & in prohibitione duellorum, ad quæ Angli Gallorum in morem nimis faciles, jam magno cum regni exitio descendebant. Hæc aliaque merita ejus, in quibus enumerandis Auctor Introductionis copiosus est, effecerunt, ut non modo in sanctius Consilium Regis cooptaretur, verum etiam ad munus Custodis Magni Sigilli Angliæ m. Mart. 1617 eveheretur; quod cum Buckinghami amicitiæ aliquo modo se debere putaret, exquisitissimas ipsi desuper gratias persolvit. Ast parum absuit, quin haud ita mul- *Ep. 92.* to post Hephæstionis hujus favore, occasione nuptiarum inter Johannem Villierium fratrem ætate priorem Buckinghami & filiam Edoardi Cokii conciliandarum, quas disturbatum ibat, penitus *Ep. 99. usque* excideret; sed tandem ei reconciliatus, animi sui lætitiam eleganti *104.* epistola aperuit. Itaque Cancellarii Angliæ munus Nostro A. 1619 M. Januar. fuit delatum, quod excepit M. Jul. honor Baronatus Verulamii. Attamen inter medias curas tam arduas, inter tot *Ep. 30.* propitios fortunæ amplexus, adamatæ a se Philosophiæ subinde o-

peram

operam navare non cessavit, sed M. Octobr. A. 1620 *Novum Organum* publici juris fecit, quod opus, novæ quippe Logicæ fundamenta suppeditans, maximum & benignissimum approbatorem in-
Ep. 128. venit Jacobum Regem, cui illud dedicaverat. Cum deinde ad annum 1621 Parlamentum esset convocandum, summe grata ei quo-
Ep. 127. 131. 132. que reddidit servitia sua, aptissimum schema Proclamationis Regiæ adumbrando, aliaque præparatoria expediendo, sic ut dignus judicari posset axiomate Vice-Comitis S. Albani recens impetrato. Verum in eodem Parlamento locum ac sessionem vix obtinuerat Baconus, cum magno casu, ut sunt rerum humanarum vicissitudines, rueret, & avaritiæ sordiumque publice accusaretur.
Ep. 133. 134. Primo quidem multis se defendere, atque amicorum ope actioni remoram injicere cœpit, ast nihil profecit, novis utpote indiciis
Ep. 135. 136. aggravatus. Igitur ingenue confessus culpam, ad Regis Curiæque superioris misericordiam totus confugit, seriam admissi facti pœnitentiam agens. Nihilominus Judices, excusso negotio, sententiam dixere, quæ Bacono mulctam 4000 libr. Sterl. pendendam, carcerem in Turri Londinensi, donec Regi liberet, exclusionem perpetuam ex Parlamento, atque inhabilitatem ad suscipiendum ullum munus publicum irrogavit. Executioni autem sic illa fuit mandata, ut Rex, remissa pœna pecuniaria, brevissimæ custodiæ ipsum traderet, qua liberatus integrum deinde quinquen-
Ep. 146. nium studiis suis insumsit. A. 1624 tamen Regi supplicavit, ut ignominiæ maculam ex sententia contractam prorsus abolere dignaretur; quod etiam factum esse inde arguit Autor, quoniam initio regiminis Caroli I. Regis ad Parlamenti conventum fuerit vocatus. Cæterum eatenus ab avaritiæ labe immunem prædicat Baconum, quod a corradendis divitiis alienus semper apparuerit, adeoque taxandam solum ait nimiam ejus erga famulos suos indulgentiam, quibus omnia permiserit; unde hi abusi conniventis heri benignitate, ac simul prodigi, largitiones a partibus promiscue flagitarunt. Dona autem ab ipso accepta, vel interlocutoria decreta, quorum nullum tamen dein tanquam injustum subverti potuerit, respexisse, vel ante aut post controversiam finitam data fuisse. Fertur aliquando, dum conclave transibat, ubi plures e familia pristina prætereuntem assurgendo salutabant, dixisse eis:

Sedete

Sedete Domini mei; vestrum enim assurgere casum mihi accelera-vit. Quamdiu remotus a publicis officiis vitam privatam duxit, tam libere contemplationibus suis incubuit, ac Reipublicæ commoda promovere sategit, ac si nihil plane adversi sibi contigisset; quam in rem Regi persuadere conatus est, ut e numerosa legum Anglicarum farragine, Digestum aliquod conficeretur, suamque opem atque otium eum in finem obtulit. Vivendi finem fecit Londini d. 9. April. festo Paschatis A. 1626, febricula antea correptus, demumque catarrho suffocatus, cum sexagesimum sextum ætatis annum ageret. Sepeliri voluit in Ecclesia D. Michaelis, quæ Verulamii seu Albani est, ubi monimentum e marmore candido in ejus honorem exstrui deinde curavit Thomas Meauty, quondam amanuensis ipsius, postea scriba in sanctiore Regis Consilio. Conspicitur ibi sedens, meditabundi in morem, subjecto epitaphio, cujus Henricus Wottonus autor:

Franciscus Bacon, Baro de Verulam,
S. Albani Vice-Comes:
seu,
Notioribus Titulis,
Scientiarum Lumen, Facundiæ Lex
sic sedebat.
Qui postquam omnia Naturalis Sapientiæ
& Civilis Arcana evolvisset,
Naturæ Decretum explevit:
Composita solvebantur,
Anno Dom. MDCXXVI.
Ætatis LXVI.
Tanti Viri Memoriæ Thomas Meautus, Superstitis Cultor,
Defuncti Admirator
H. P.

Plura quidem tam ex Introductione, quam e Literis, iisdemque superadditis notis, petere licuisset, nisi quemlibet paulo curiosum, vel absque ulteriore incitamento, ad pernoscenda tam illustris Viri fata, adeoque ad librum ipsum perlegendum, propensum fore consideremus.

VITA S. PETRI DAMIANI, TRIBUS TOMIS comprehensa, auctore JACOBO LADERCHIO, Congregationis Oratorii Urbis Presbytero.

Romæ, apud Petrum Oliverium, 1702, in 4.
Constat Alph. 9. plag. 22.

CElebre adeo ac clarum nomen est Petri Damiani, ut eo se adductum fateatur Auctor Reverendus, quo vitam ejus copiose traderet, tribusque voluminibus inclusam orbi erudito exhiberet. Cujus instituti rationes ita moderatus est, ut ductis ab ortu initiis, ad exitum ejus perrexerit, remque omnem ope variorum librorum, quantum fieri potuit, studiose enarraverit. Natum esse dicit Ravennæ; quo anno, non definit, cum in diversas sententias scriptores abeant, & mox ad annum 1006, mox ad 980 ortum ejus referant. Fratres duos habuit, *Damianum* alterum, Ravennatis Ecclesiæ Archi-Presbyterum, inde Monachum; alterum *Marinum*, nec non sorores duas. Caute ab his separandi sunt, docente Laderchio, *Damianus*, Petri Damiani, de quo hic sermo, ex sorore nepos, & *Marinus*, fratruelis. Petrus Damiani natu minimus fuit, quem proinde mater numerosæ prolis pertæsa abjecit, at sustulit fœmina quædam, & a moriendi periculo liberavit. Duro usus est difficilique initio, inprimis cum mater & pater mature obiissent, adeo ut porcos pascere necesse habuerit. Nihilominus in puero jam tum eluxisse dicitur insignis sanctimonia, & mira erga defunctos parentes pietas, quam eo maxime tempore declarasse existimatur, quo numum a se inventum Sacerdoti, quo Patris causa Deo offerret sacrificium, tradidit. Cum ergo frater *Damianus* erectam in eo indolem animadvertisset, exemit ipsum servituti, & Ravennam, Faventiam ac Parmam, quo studiis vacaret, misit. Id quod Noster tanti duxit, ut grati erga fratrem animi ergo, Petrus Damiani appellari voluerit. Hæc dum refert Laderchius, monet insimul, perperam aliquos Petrum Damiani cum Petro de Honestis, Ravennæ itidem nato, ac Portuensis cœnobii fundatore, confundere. Excultus literis Petrus Damiani, ordini S. Benedicti se addixit, ac deinde Eremum seu Congregationem Fontis

tis

Fontis Avellani ingressus est. Late commemorat Laderchius de fundatione hujus Eremi, tum vero & exponit de vitæ genere Petri Damiani, deque singulari Scripturarum studio, & nominis fama. His enim rebus effectum dicit, ut non ab aliis solum observatus, sed Congregationis quoque Prior constitutus fuerit. Interea maximis turbis ac dissidiis adfligi cœpit Romana Ecclesia, mortuo A. 1033 Joanne XX Pontifice. His ut mederetur, omne suum studium in eo collocavit, ut pacem ac concordiam instauraret ac reduceret. Non minus elaboravit, ut vitæ purioris ac disciplinæ ratio haberetur, ac proinde contra Simoniacos, quorum gratia quoque Leo IX Synodum coegit, maxime disputavit, & adversus Sodomitas librum *Gomorrhianum* exaravit. Quem utut Leo IX scripta epistola approbaverit laudaveritque, ab Alexandro II tamen callide surreptum, & scrinio inclusum Laderchius dicit, propterea quod obscœnæ res non ita describi ab eo potuerint, quin castos legentium oculos offenderent. Inde disputatum est, an ordinati a Simoniacis, denuo ordinari seu reordinari debeant. Quam rem definivit Noster scripto libro, cui titulus: *Gratissimus*; in quo evicit, minime reordinandos esse. Tantam hujus libri auctoritatem fuisse refert Baronius, ut nullus amplius repertus fuerit, qui adversam sententiam propugnaverit. Laderchius noster summam hujus libri hic repetit: inde progreditur, ac probare satagit, Petrum Damiani primum omnium voluntariam flagellandi disciplinam instituisse. Laudat hoc institutum Laderchius ac defendit, & quomodo a Petro Cerebroso, & nonnullis Florentinis Monachis impugnatum, & quibus porro modis propagatum fuerit, explanat. His aliisque explicatis, allata Damiani epistola narrat, quomodo Leonem IX adhortatus fuerit, ne se rebus bellicis a persona sua plane alienis immisceret, idque recte ipsum fecisse, contra Baronium & Bellarminum non solum probat, sed Cajetani quoque verba, quibus Petrum Damiani defendit, adducit. At nec hic substitit Damiani diligentia, sed processit ulterius, impulitque eum, ut contra Clericos concubinarios, & eos, qui vitam monasticam deserere audebant, scriberet, atque vehementer eos coargueret. Varios huc usque, quos pertulit, labores commemo-

ravimus; nunc præmia, quæ consequutus est, attingemus. Anno nempe 1057, vel ut alii censent, 1058, Rom. Eccl. Cardinalem Episcopum Ostiensem constituit Stephanus Papa X, dictus IX, ut dignam laboribus ac bene merendi ardore (qui tantus in eo fuisse perhibetur, ut, cum acribus febribus noctu conflictatus, mox orto Sole templum ingressus fuisset, missarum solemnia inchoaverit, & reliqua sibi facienda peregerit) mercedem persolveret. Hac dignitate auctus, scripsit ad S. R. E. Cardinales, & hortatus eos est, ut sanctimoniæ curam haberent, atque ita viverent, quo vita ipsorum aliis in exemplum proponi posset. At vero frustraneas Nostri monitiones fuisse, ac proinde de abdicanda, quam adeptus erat, dignitate eum cogitasse, Laderchius scribit, qui hac occasione de Romanæ Ecclesiæ facie, qualis illis temporibus fuit, ex antiquo codice MSto Vaticanæ Bibliothecæ nonnulla adfert. Hæc dum aguntur, magna rerum facta est conversio, mortuo 4 Cal. Aprilis A. 1058 Stephano X Pontifice. Gregorius enim Lateranensis, & Tusculanensis Comes, sociato sibi Gerardo Galerense & Romanis potentibus aliquot, noctu cum armatorum turbis Ecclesiam una pervadunt, & Joannem Velitrensem Episcopum, Mincium postea cognominatum, Papam constituunt, Benedicti illi nomine imposito. Ægre hoc tulit cum aliis Petrus Damiani, restititque fortiter, tandemque non id assequutus solum est, ut a Cardinalibus Senis congregatis Gerardus, Episcopus Florentinus, postea Nicolaus II, Pontifex eligeretur, sed effecit quoque, ut Joannes, Velitrensis Episcopus, muneribus suis excideret. His gestis, scripsit Petrus Damiani ad Nicolaum II, & aperuit, se de Episcopali provincia decedere constituisse. At vero renuit Pontifex, & solummodo concessit, ut ad tempus ad Eremum regrederetur. Brevi post, hoc est anno 1059, mense Aprili, Romæ Concilium in Laterano est institutum, eoque evocatus est Petrus Damiani. Præter alia, de Episcopis Simoniacis & concubinariis ibi actum est, ursitque mirum quantum Pontificem Petrus Damiani, quo in id genus homines graviter animadverteret. *Nam si quis ad quemlibet ecclesiasticum erat ordinem promovendus, nullatenus absque venalitatis commercio ad consecrantis, immo contaminantis, manus valebat*

valebat accedere. Alterius vero fœditas eatenus se impudenter effuderat, ut nuptiæ Presbyterorum nihil discrepare viderentur ab ambitione sæcularium, ut ex vita Damiani, a Joanne discipulo scripta, Laderchius refert. Huic proinde rei quo obex poneretur, missus est Petrus Damiani Mediolanum, maxime cum ideo inter clerum & populum Mediolanensem ingentes lites intercessissent. Descripsit res in hac legatione gestas ipse Petrus, in quodam ad Hildebrandum S. R. E. Cardinalem Archi-Diaconum libro, qui inscribitur: *Actus Mediolani*; ex quo varia hic adferuntur. Confecta prudenter & cum cura legatione, ad Eremum reversus, & Nicolao II, qui armis Procerum Romanorum superbiam fregerat, gratulatus est. Inter hæc anno 1061 mense Julio Nicolaus II moritur, eligiturque Alexander secundus. Cui instituto cum Aula Regia Germanica repugnaret, & Cadaloum, Parmensem Episcopum, Anti-Papam constitueret, Petrus Damiani magnopere Romanæ sedis auctoritatem defendere annisus, scriptisque literis Cadaloum a proposito dehortatus est. Enimvero flectere Cadaloi animum non potuit. Coactum ergo est Concilium Osboriense, in quo approbata est electio Alexandri, annitente inprimis Petro Damiani. Non quidem coram adfuit, at vero eo misit opusculum, cui titulus: *Disceptatio Synodalis*; ubi disceptantes introducit *Advocatum Regium* & *Defensorem Ecclesiæ Romanæ*. Inde cum Legati munere missus est in Galliam, tum alias ob causas, tum vel maxime, ut Cluniacensi monasterio contra Droconem, Matisconensem Episcopum, adesset, qui jus in monasterium sibi vindicare & vi adserere ausus fuerat. Quæ destinata quo ex voto a Petro Damiani expedirentur, ad Præsules Galliarum literas perscripsit Alexander Papa, in quibus significavit, se Nostro arbitrium statuendi agendique prorsus & omnino permisisse, & copiosis præterea laudibus eum extulit. Inter alia his verbis usus est: *Talem vobis Virum destinare curavimus, quo nimirum post nos major in Romana Ecclesia auctoritas non habetur: Petrum videlicet Damianum, Ostiensem Episcopum, qui nimirum & noster est oculus, & Apostolicæ sedis immobile firmamentum.* Et peregit sane rite demandata sibi munia, & insidias auspicato effugit, quas

Cadalous ipsi struxerat. Quo igitur suscepti laboris fructum consequeretur, petiit a Pontifice, ut muneris, quod gerebat, Ecclesiastici vacatio concederetur. Ægre annuit Pontifex, & ea quidem lege, ut centum annorum pœnitentiam ageret. Ergo ad Eremum reversus est, at non sibi solum vacavit, sed pro totius Ecclesiæ salute curavit, atque scriptis literis Pontificem ac Præsules, tum vero & alios, ut disciplinæ & recti moris rationem haberent, diligenter admonuit. Quanta cæteroquin auctoritate floruerit, inde Laderchius probat, quod hortatu ipsius Romam venerit Agnes Imperatrix, Henrici IV mater, egeritque pœnitentiam propterea, quod Cadaloi partes sectata fuerat. Non minus valuit ejus sententia in Florentina, quam A. 1062 turbarum sopiendarum ergo suscepit, legatione, & synodis Romanis, nec pauca ex sententia ejus egit Alexander *Pontifex*. Inprimis vero scriptis epistolis diligenter cavit, ne turbæ hinc inde excitatæ crescerent, sed tempestive opprimerentur. Cujus instituti gratia exaravit ad Gottfridum, Hetruriæ Ducem, literas, atque effecit, ut Cadaloi partes desereret. Imo Regem Henricum IV scripta epistola serio cohortatus est, ne Pontificiam sedem labefactaret ac incesseret. Maxime vero his verbis usus est: *Cavendum est, o Rex, ne dum tu pateris dividi Sacerdotium, tuum quoque, quod absit, dividatur Imperium.* Quod vaticinium tum impletum esse ait Laderchius, cum Conradus filius contra patrem arma ceperit. Quæ Damiani adhortatio tantum valuit, ut anno 1065, vel 1066, Anno, Archi-Episcopus Coloniensis cum Legati munere Romam mitteretur, eo potissimum consilio, ut inito, quod Noster Regi suaserat, Concilio, pax & concordia restitueretur. Utut vero monitionibus Damiani tum obtemperavit Rex Henricus, interjecto tamen tempore iterum ab instituto eum declinasse ait. Interea Mantuæ institutum Concilium, sublatumque dissidium est. Cui etsi interesse recusaret Noster, attamen omne tempus a quiete & otio sejunxit, & Pontifici ex Concilio revertenti librum de *brevitate vitæ Romanorum Pontificum* obtulit. Inde iterum Synodos Romanas invisit, eversaque incestuosorum, ceu Laderchius loquitur, hæresi, ad Eremum reversus, & cum de *contemptu seculi*, tum aliis rebus com-

commentatus est. Aliquantum post Legatus ad Henricum Regem, ac interjecto tempore, Ravennam missus est. Inde rediens moritur Faventiæ. Hæc de vita & rebus gestis excerpere nobis libuit. Reliquæ hujus operis partes virtutes Damiani persequuntur, & ita constitutæ sunt, ut non tam historiæ faciem, quam orationis, laudes Damiani quam copiosissime decantantis, referant, cujus proinde flosculos decerpere & huc transferre nolumus.

DE LOCIS SOLIDIS SECUNDA DIVINATIO Geometrica in quinque libros injuria temporum amissos Aristæi Senioris Geometræ, Autore VINCENTIO VIVIANI, Magni Galilæi novissimo Discipulo, Regiæ Celsitudinis Cosmi III M. D. Etruriæ Mathematico primario, a Ludovico Magno inter octo exteros Regiæ Academ. Scientiar. Socios adscripto, & Regalis Societatis Londini Sodali. Opus Conicum continens Elementa tractatuum ejusdem Viviani, quibus tunc ipse multa, maxima & abdita in Mathesi Theoremata demonstrare cogitaverat.

Elaboratum anno 1646. Impressum Florentiæ ab Hippolyto Navesi A. 1673. Addendis auctum & in lucem prolatum A. 1701. Florentiæ typis Regiæ Celsitudinis, apud Petrum Antonium Brigonci, in fol.

Constat 3. Alph. plag. 15. & fig. æn. plagulis $2\frac{1}{2}$.

Quantum apud Mathematicos nomen consecutus sit Autor Illustrissimus, *prima Divinatione de Maximis & Minimis* anno 1659 edita, nemo in his studiis versatus ignorat. Nunc ex longissimo intervallo sequitur *altera de Locis Solidis*, exemplo Aristæi senioris elaborata, quem Pappus Alexandrinus libro 3 de hoc argumento scripsisse refert, his verbis: *Hi* (Heronem & Philonem intelligit) *afferentes problema* (duplicandi cubi seu aræ Deliacæ) *solidum esse, ipsius constructionem instrumentis tantum perfecerunt, congruenter Apollonio Pergæo, qui & resolutionem ejus fecit per Coni-sectiones; alii per Locos Solidos Aristæi; nullus autem per ea, quæ proprie Plana appellantur.* Idem Pappus in prooemio libri 7: *Scripserunt autem hac de re*

re (de Locis scilicet) *tum Euclides* (de Locis ad Superficiem) *qui Elementa tradidit*; *tum Apollonius Pergæus* (de Locis Planis;) *tum Aristæus senior* (de Locis Solidis.) Et paulo infra: *Aristæi Locorum Solidorum libri quinque.* Et inferius: *Erant igitur Conicorum Elementorum primum Aristæi senioris libri quinque.* Et mox: *Euclidis libros quatuor Conicorum cum Apollonius explevisset, ac quatuor alios adjunxisset, octo Conicorum libros confecit. Aristæus autem, qui scribit ea, quæ ad hoc usque tempus tradita sunt, Solidorum Locorum libros quinque Conicis cohærentes vocavit.* Fuit autem hic Aristæus prior Euclide; nam ut idem Pappus: *Euclides autem secutus Aristæum scriptorem luculentum in iis, quæ de Conicis tradiderat &c.* Ex his suspicatur Vivianus, Aristæum quinque libros Conicorum Elementorum, & quinque alios Locorum Solidorum scripsisse. Sed & ex Campano Novariensi, qui floruit anno salutis 1030, & in sua ex Arabico versione, Commentarioque Theonis in Elem. Eucl. ad 1 prop. libri 14, ita loquitur: *Nunc ergo explicandum est, quod ait Aristæus in libro intitulato: Expositio Scientiæ quinque corporum, nec non & Apollonius in Dono secundo:* & in exordio propositionis 10 ejusdem libri: *Hoc est, quod superius post demonstrationem primam hujus auctoritate Aristæi & Apollonii commemoravimus;* colligit Vivianus, Aristæum scripsisse de quinque Corporibus Regularibus, & quidem seniorem, quia a Campano semper ante Apollonium nominatur.

Hujus gravissimi autoris Loca Solida resuscitare celeberrimus Autor noster constituit, sed negotiis publicis, assiduis itineribus, fluminumque & agrorum lustrationibus, tum adversa subinde valetudine, fuit retardatus. Nunquam tamen per intervalla tractare Geometrica desiit, tamque multa excogitavit in Mathematicis disciplinis, ut obruat copia jam senio confectum. Nec fere edendi quicquam otium fuit, quam Formationem & Quadraturam Geometricam superficierum curvarum, tum antiqui Romani *Fornicis scaphiformis*, tum novæ suæ *Testudinis Florentinæ.* Nunc ad octogesimum annum provectum, & amplissimis honoribus rursus a Ludovico Magno cumulatum, hoc tandem opus proferre se voluisse ait, ex tribus libris constans: nam

nam duos ut adhuc adjiceret, & quinarium numerum Aristæi expleret, nec ætatem, nec occupationes, nec valetudinem permisisse. Hæc in præfatione exponit ipse, & præter defunctos, amicos laudat *Wallisium*, *Leibnitium* & *Baconem Gregorium*, quorum primus de Italorum meritis candide judicarit, postremus etiam operam ad edenda Autoris scripta obtulerit. Leibnitio autem nostro quas tribuit invidendas laudes, recensere supersedemus.

Liber primus agit de Ordinationum Conicarum limitibus, quibus præmittit Autor definitiones novas; ubi meminit *Ramorum*, id est rectarum ex uno puncto, tanquam origine, ad diversa puncta Coni-Sectionis ductarum, ad imitationem Apollonii ex Arabico editi. Et prop. 10. demonstrat, si Coni-Sectionem ABC ex eodem puncto E, duæ rectæ lineæ EA, BC contingant ad A, C, & ex ipso tangentium occursu E, sit alia recta Coni-Sectionem secans in B, F, rectam vero AC, tractuum puncta jungentem, secet in L; constare jam ex 37 tertii Conicorum, secantem EF divisam esse in B, L, in ratione *harmonica*, ita ut FE ad EB, sit ut FL ad LB; nunc vero accedere, quod, si segmentum hujusmodi secantis inter tangentium occursum E, & tactus jungentem AC interceptum, nempe EL, media harmonica, bisecetur in M, tres MF, ML, MB, esse inter se in eadem continua ratione Geometrica, & in ea, in qua est FE ad EB, vel FL ad LB. Item FL ad LB esse, ut EM ad MB. Et prop. 13. si sit Coni-Sectio quæcunque AB, cujus axis BC, vertex B, latus rectum BD normaliter ad B cum BC constitutum, sed ab altera parte Coni-sectionis, transversum vero latus in axe sit BE, binos vertices oppositos jungens, rectam DE, quæ duo extrema D, E laterum recti & transversi jungit, vocat *regulatricem*. Sit recta BA, angulus ad BC semirectus, hæc recta alicubi occurret regulatrici ut in G, & ex A & G in axem agantur normales AL & GH; quoniam ergo rectæ BH magnitudinem ad limites indagandos utilem reperit, vocat eam *Modulum ex semirecto*; & bisecando eam in P, vocat P *centrum Moduli ex semirecto*, & prop. 14 ostendit in Coni-Sectione quadrata ramorum ab origine in vertice esse inter se, ut rectangula segmentorum axis, inter ordinatas ex ramorum terminis, & terminos moduli ex semirecto interceptorum. Nempe ex *origine* B præter BA sit alius *ramus* BI ex vertice B ad aliud

curvæ punctum I ductus, & ex I ad axem normalis agatur ordinata IK, erit quadratum BI ad quadratum BA, ut rectang. HKB ad rectang. HLB. Eodem modo definit postea Modulum ex Verticali, Modulum ex Laterali, Modulum ex Asymptoto, quos infra explicabimus. Si rectæ ordinatim sumtæ, v. g. normales ad parabolam ab ejus puncto usque ad axem ductæ, sumantur in ordinata ex axe, ait Autor, *Limitem ordinationis* harum normalium esse ad locum concavum alterius parabolæ priori congruentis, & communem axem habentis, cujus focus sit in vertice parabolæ datæ: eodem modo in Ellipsi & Hyperbola, aliam Ellipsin vel Hyperbolam prodire, ostendit prop. 38. 39, 40; simili ratione & multi alii limites ordinationum definiuntur. In libro autem secundo exponuntur Loca ipsarum ordinatarum parallelarum, quæ per rectas earumque quadrata & rectangula definiuntur, & in loca plana aut solida terminantur. Et in libro tertio exhibentur non pauca loca plana & solida, præsertim in quæ terminantur rectæ ex eodem puncto eductæ, & quantitatem habentes certa quadam communi lege definitam. Sic prop. 1 Locus, quem attingunt ad eandem partem positi vertices triangulorum similium, quorum bases ab eodem puncto dato ad eandem rectam lineam extra ipsum datam pertingant, est locus planus, videlicet ea recta, quæ vertices duorum tantum quorumlibet horum rectangulorum conjungit. Et prop. 24 locus, quem attingunt vertices triangulorum super eadem basi descriptorum, & quorum anguli ad alterum basis terminum dupli sint angulorum ad reliquum, est linea Hyperbolæ, cujus focus sit ad terminum basis, in quo sunt anguli reliquorum dupli, vertex vero sit in basi per hujus trientem a foco distans, & axis transversus sit segmentum, quod superest ex eadem basi. Hic etiam passim illustrat Autor loca solida, quæ habet Pappus, qualis est lib. 4. prop. 42. Sit recta AB positione data, atque a dato extra puncto C, ipsi occurrat recta quædam linea CD, & ipsi AB ad angulos rectos ducatur DE, sit autem proportio CD ad DE data; punctum E est ad Hyperbolam. Ubi notat Autor, insignem quendam Mathematicum, & maximi Geometricorum librorum autorem, (forte Gregorium a S. Vincentio) in prop. 96 & 197 sui de Hyperbola tractatus quædam attulisse,

tulisse, sed in prop. 197 nonnihil fuisse lapsum. Notat etiam prop. 37, si in Circuli ADFCE diametro AC sumatur punctum B, unde normaliter educatur BF & ipsi radio circuli æqualis BD, ipsaque DB producatur in E, fore inter AB, CB, mediam Arithmeticam BD, Geometricam BF, Harmonicam BE, hasque tres medias esse inter se in continua ratione Geometrica. Multæ habentur egregiæ propositiones in hoc opere, sed cum eas exscribere nimis prolixum futurum sit, & ipsum opus potius harum literarum studiosis quærendum & legendum judicemus, ea fere tantum adduximus, unde novæ Autoris definitiones cognoscerentur, cum ad compendium enuntiandi vocabula quædam novo sensu adhibere, perutile judicarit. Diximus jam, quid appellet Modulum ex semirecto. Nunc & aliorum Modulorum definitiones addere, operæ pretium videtur. Sit Coni-Sectionis ABC vertex B, axis BD, ordinata BC ad axem normalis in D. Ipsam Coni-Sectionem tangant AG, CP, quibus occurrat tangens verticalis GBP, sumatur in BG punctum I, sic ut sit DI æqualis ipsi BG: producatur DI, donec tangentibus AG, CP, productis occurrat in H & M, ex quibus punctis agantur in axem normales HL, MN, appellabitur LN *Modulus ex verticali*, &, si bisecetur LN in Q, erit Q *centrum Moduli ex verticali*, quæ definitio præmittitur propositioni 18 libri 1, quæ ita habet: in quacunque Coni-Sectione quadrata ramorum ab origine inter focum & verticem, in Ellipsi autem *prolata* (seu relata ad axem minorem, cujus respectu lata est, ut respectu axis majoris oblonga) ab origine interna ubicunque data sunt inter se ut rectangula segmentorum axis inter ordinatas ex terminis ramorum & terminos Moduli ex verticali interceptorum. Nempe retenta figura præcedente, si *origo ramorum* sit D, sitque alius quicunque *ramus* DR seu recta ex D occurrens Coni-Sectioni in R, unde ad axem agatur ordinata RO, erit quadratum DR ad quadratum DA, ut rectangulum NOL ad rectangulum NDL. Eadem figura quantum opus manente, in AC producta sumantur DS, DT, æquales ipsis AE, CE, posito punctum E esse concursum tangentium AG, CP, in axe. Jungantur ES, ET. Jam ipsi ES occurrat producta DG in P. ipsique DG occurrat IE producta in V (exce-

 pto

pto circulo, ubi DG, TE sunt parallelæ.) Ex punctis P & V ad axem ducantur normales PW, VX, appellabitur WX *Modulus ex Laterali*, & punctum bisecans WX *centrum Moduli ex Laterali*, & SET dicetur *Triangulum Circumauctum*. Quibus definitionibus subjicitur propositio 22, libri 1. In quacunque Coni-Sectione quadrata ramorum ab origine externa ubicunque data, quæ tamen in Hyperbola sit intra centrum & verticem, sunt inter se ut rectangula segmentorum axis inter ordinatas ex ramorum terminis & terminos moduli ex laterali interceptorum. Nempe in figura præcedente sit E origo ramorum, unde rami EA, ER, ad puncta Coni-sectionis A & R, unde ordinatæ AD, RO, erit quadratum ab ER, ad quadratum ab EA, ut rectangulum WOX ad rectangulum WDX. Addemus & *Definitiones*, quæ Libro Secundo præfiguntur, tanquam utiles ad compendia enuntiandi. Data recta terminata A B sit utcunque secta in C, & ei addita in directum BD. Dicetur AB *data*; AC vel BC erit *pars*; utraque, *partes integrantes*; BD *addita*; AD *superaddita*; AD, BD, *coadditæ*; C *occursus partium integrantium*; A *occursus datæ cum superaddita*; D *occursus coadditarum*; B *occursus datæ cum altera integrantium*; A *occursus datæ cum reliqua integrantium*.

Cæterum non spernenda sunt, sed magnificienda potius, scripta Geometrica ad morem veterum elaborata, si præclaras contineant propositiones. Etsi enim calculus analyticus Vietæ & Cartesii effecerit, ut multa compendiosius obtineamus calculando, sunt tamen &, quæ more veterum ex figurarum contemplatione facilius eruuntur. Et constat, multa problemata compendiose & eleganter solvi more veterum per constructiones, ad quas solo calculo non facile pervenissemus; idque præsertim per doctrinam *Datorum* & *Locorum* obtinetur, quam ideo veteres studiose excoluerunt, quorum Locis non pauca Autor noster adjecit. Cui utinam ætas viresque sufficerent, accederentque apti adjutores, ad multa, quæ adhuc præclara in scriniis habet, proferenda. Postremo laudanda est Viri egregii gratitudo erga Galilæum, ex cujus discipulis unus est superstes. Cui monimentum erexit in ædibus suis, quas Adeodatas vocat, quod Ludovici Re-

gis

gis, a suis initio Adeodati dicti beneficiis Deo dante, comparatæ atque perfectæ essent, quarum & adjecta est facies, una cum typo *simulacri anei Galilæi*, quod ex protoplasmate a celebri sculptore Joh. Caccinio, coram Serenissimo Cosmo II anno 1610 ad vivum efformato, primus publice posuit. Adjectæ quoque sunt inscriptiones, quibus & Regi munifico gratias agit, & *Galilæum* celebrat, quem in iis, ne vulgo nota repetamus, ait Microscopia ex una & duplici lente primum excogitasse, & jam anno 1612 Casimiro Polonorum Regi (sed tunc regnabat Sigismundus) dono misisse; fuisse perpetuum inanis artis Genethliacæ insectatorem; natum Pisis, eodem ipso anno, mense, die ac propemodum hora, quibus obiit celebris Michael Angelus Bonarota, patre legitimo Vincentio de Galilæis, Patritio Florentino (cujus de vetere & recentiore Musica dialogi extant & laudantur) ex uxore Julia Cosmi Venturæ de nobili Pistoriensi familia Ammanatorum filia (quod notasse videtur Noster contra eos, qui falso sparsere, Galilæum illegitimum natu fuisse;) anno ab incarnatione Christi 1563 stylo Florentino, mensis Februarii die 18, hora ab occasu $21\frac{1}{2}$. Eadem autem die, hora $2\frac{1}{2}$. Romæ obiisse Bonarotam, (non 17 Febr. ut scripsit Vasarius) didicit Autor ex commentariis domesticis Leonardi Bonarotæ, qui ex Michaelis Angeli fratre fuit natus. Galilæus autem postremo vitæ quinquennio visu fuit orbatus, & lenta tandem correptus febri optimus Philosophus, invocato sæpius nomine Jesu, immortalem spiritum Creatori reddidit anno a Christo nato 1642, die Mercurii, 8 Januarii, hora quarta, annos agens 77, menses 10, dies 10; astantibus postremæ invaletudini Doctore Vincentio filio, ac duobus hospitibus & mensæ sociis, Evangelista Torricellio, celeberrimo viro, per postremum trimestre, ac per ultimum triennium ipso Autore admodum juvene, qui Galilæo a Serenissimo Ferdinando II, Magno Duce, fuerat commendatus. Atque utinam is plura, quæ adhuc servat, ad vitam doctrinamque Galilæi pertinentia, & sua propria non pauca præclara cogitata, quæ familiarius saltem ac sine Geometrico apparatu exponi possent, perire non patiatur.

C. PEDONIS ALBINOVANI ELEGIÆ III ET Fragmenta, cum interpretatione & notis JOS. SCALIGERI, FRID. LINDENBRUCHII, NIC. HEINSII, THEOD. GORALLI & aliorum.

Amstelædami apud Henr. Schelte, 1703, in 8.
Plag. 16.

POetam exhibemus Ovidii æqualem, aureique seculi, *Cajum Pedonem Albinovanum.* Ex ejus operibus duo nobis fragmenta supersunt. Alterum ex deperdito Autoris de navigatione Germanici poemate desumtum, quo Oceanus describitur, quod *Seneca Rhetor* Suasoria prima nobis conservavit; alterum facetam de homine lucifuga narratiunculam continens, quod *Senecæ Philosophi* Epistola 122 suppeditat. Præterea tres ejus Elegiæ ad nos pervenerunt. Has suis commentariis illustratas (post antiquas editiones,) cum Catalectis Virgilii, in lucem conjunctim misit *Josephus Scaliger.* Post eum priori, ad Liviam Augustam de Drusi Neronis morte consolatoriæ, *Nic. Heinsius* medicas manus attulit, eamque a se castigatam una cum *Ovidio*, cui eam multi tribuerant, circa finem Tomi I edidit. Alteram in Mæcenatis obitum, postremamque suprema ejus verba referentem, *Mæcenati* suo *Jo. Henr. Meibomius* inseruit. Primam Augusti ævo dignam, nemo dubitat: reliquas Scholastico cuidam sequioris ævi tribuere malunt *Ger. Jo. Vossius* & *Nic. Heinsius*, quos oppido falli, recentis hujus editionis Autor Clarissimus existimat, qui eas Pedoni post Scaligerum tribuit, multisque rationibus sententiam suam corroborare nititur. Non negat tamen, loca aliqua languidiora ibi occurrere, quibus nec prima Elegia omnino destituitur. Quippe spiritus Pedoni haud per omnia æqualis fuit, sed remissus aliquando, alibi vigens ac vegetus. Nos, quid circa hanc editionem doctissimus Gorallus præstiterit, paucis indicabimus. Dedit is ante omnia operam, ut certam & accuratam statueret contextus lectionem. Itaque editionem Scaligerianam cum antiquioribus Venetis annorum 1484 & 1517 diligenter contulit, ac ubi dissentiebant, eam lectionem expressit, quæ ad seculi Scriptorisque ingenium, & rem ipsam propius visa ipsi fuit accedere; in E-

legia

legia tamen prima, Nicolai potiſſimum Heinſii lectiones amplexus. Textui ſic caſtigato, Gallos Autorum in uſum Delphini interpretes imitatus, languidiorem, ut ipſe fatetur, ſed accuratam paraphraſin, proſa oratione, e regione adjunxit; qua & eos juvit, quibus ſine tali Poetæ ſenſum aſſequi ubique non datur: & ſententiarum connexionem, quæ in Poetis ſæpe obſcura eſt, etſi in ſingulis dubium reſtet nullum, explicuit. Utrique vero paginæ, tum quæ textum, tum quæ paraphraſin exhibet, annotationes Scaligeri, Lindenbruchii & Heinſii integras ſubjecit; Lipſii quoque, Meibomii, Schotti, Jani Rutgerſii, Jo. Fr. Gronovii, & ſi quæ ſunt aliorum, obſervationes in Poetam noſtrum ſparſim allegavit, adjectis ſuis notis perpetuis. Hæ genuino Poetæ ſenſu indagando potiſſimum occupatæ, ritualia & hiſtoricas alluſiones breviter explicant, allegatis veterum verbis, indicatisque, qui de talibus plura tradidere, ſcriptoribus. Sic *Eleg. I.* v. 388 per *Appulum* Daciæ populum intelligi evincit, locumque intempeſtiva Scaligeri, qui *Angulum* legendum putaverat, emendatione corruptum, quemque Heinſius valde depravatum agnoſcens reſtituere tamen non auſus eſt, absque ulla textus correctione, optime ſibi conſtare oſtendit. Sic *Eleg. II* v. 57, per *Bacchum* deſcribi M. Antonium, erudite docetur. Porro in interpretandis Poetæ locutionibus, talem ſe gerit laudatiſſimus Gorallus, ut prætermiſſis, quæ in quovis Lexico occurrunt, dictiones Poetæ proprias e linguæ Latinæ analogia declaret, rariores vero, ac præ cæteris notabiles, adductis aliorum Autorum locis, explicet. Sic *Eleg. I,* v. 403, *gravem noctem* pro *procelloſa* ſumi docet, ac per id ipſum diſticho, quod pro deſperato habuerat Heinſius, planum ſenſum aſſerit. Ad *ejusdem Elegiæ* v. 171 obſervat, particulam *quod* pro *quoad* accipiendam; quo ſenſu etiam intelligit v. 354

Infragilemque animum, quod *potes*, *usque tene.*

Quanquam poſteriorem locum non incommode quis per *id quod*, interpretetur, conſueta Poetis inſinuatione; quo ſenſu ſæpe Ovidius: *nam potes*. Nec Poetæ phraſibus ex ſacris, aut his contra e profanis ſcriptoribus lucem affundere negligit, cum v. g. *ad avos conditum ire* idem eſſe ac *mori*, ad *Eleg. I.* v. 162 & 330,

&

& qui orant, *manus sustollere* dici, ad v. 192 ostendit, quidque *in sinu* Dei vel Abrahami *collocatum* esse denotet, ad El. III, v. ult. declarat. Quod si alii ante ipsum quædam Poetæ loca luculenter explicarunt, iis acquiescit; nec incastigatos dimittit, si qui minus commoda interpretatione textum obscurarunt. Itaque Lindenbruchii, Germanicum Drusi filium cum patre confundentis, oscitantia ad El. I v. 183 perstringitur, & Scaliger, (cujus tanta circa istas Elegias negligentia conspicitur, ut, cum animadversiones in eas scriberet, ipsas præ oculis non habuisse, per notam ad El. II v. 28 convincatur) parum accurate Pedonem aliquoties explicasse, mentemque ipsi alienam affinxisse arguitur. Vid. El. II. v. 1. 75. Eleg. III v. 32. Præ cæteris, qui depexi darentur, meruere Petrejus & Schottus ad *Fragm.* I, v. 8, ubi Pedo naves in limum & loca vadosa mersas narraturus,

- - *Jam sidere limo*
Navigia, & rapido desertam flumine classem,

refert; at illi *sidere limo* Solem obliquum indicari, ridicule statuerunt. Sed nec Poetæ ipsi, ubi castigatione opus, parcit, sive is orationi ac decoro vim faciat, sive prudentiam lædat, sive virtuti adversa comminiscatur, sive denique naturam rerum haud rite attendat. Singulorum exempla in medium afferemus. Sic de Octavia sepulta ἀκυρῶς dici ait Eleg. I v. 70:

Perficit officium funeris, ecce, soror.

neque enim mortuum, sed qui mortuo justa facit, perficere officium funeris. Ejusdem farinæ esse, quando Eleg. II v. 54 de Cleopatra, cui Romam propter nuptias donaturum fuisse Antonium ferunt, dicitur:

- - *ne posset femina Romam*
dotalem stupri turpis habere sui;

cum dos marito ab uxore detur, non huic ab illo. Imprudentiæ maculam ipsi Gorallus adspergit, quando in re seria Philomelæ, Alcyonum, Meleagridum fabulas & similes nugas Eleg. I. v. 105 sqq. crepat: aut Deum Tiberinum instar canceri ac pueri v. 22 sqq. parum θεοπρεπῶς depingit: aut præsagiis vanissimis nimis credulus fidem adhibet v. 401. Pudendam porro Pedonis nostri adulationem notat Gorallus, in Liviam El. I. v. 41, in Domum Au-

Augustam v. 59, in Drusum v. 236, in Julium & Augustum v. 245, denique in Mæcenatem Eleg. II. v. 47. Turpissimum vero contra innocentes Germanos Poetæ votum esse Eleg. I. v. 271 sqq. ad v. 281 ostendit. Sed ista quidem nimium laudandi studium, & perversus patriæ amor, utcunque excusant. In eo vero merito vanas argutias abominatur, & Poetæ suo veniæ jus nullum relinquit Gorallus, quod impie in Providentiam invehatur El. I. v. 130 sqq. eamque in adversis stolide neget v. 190 sqq. quod mox in Fortunam stomachetur, modo ut iniquam v. 51 sqq. modo ut cœcam v. 373, mox eam non irritare, sibi ipsi contradicens, jubeat v. 375, mox iterum ejus merita laudet v. 378 sqq. Quæ omnia, amoto verborum ingeniosorum fuco, solidissime confutat, & quam parum cum Fato, cui iterum sibi contradicens Deos adstringit Poeta v. 234 sqq. combinari possint, eleganter ostendit.

P. CORNELII SEVERI ÆTNA ET QUÆ SUPERsunt Fragmenta, cum notis & interpretatione JOS. SCALIGERI, FRID. LINDENBRUCHII & THEODORI GORALLI. Accessit PETRI BEMBI Ætna.

Amstelæd. apud H. Schelte, 1703, 8. Plag. 16.

HUjus etiam Poetæ ornamenta, quibus jam indutus in publicum prodit, doctissimo Pedonis Albinovani editori Theodoro Gorallo debemus. Nec indignus omnino Clarissimi Viri opera erat P. Cornelius Severus, Poeta Ovidii itidem æqualis, proximeque ad Virgilii dictionem & elegantiam accedens; ex quo etiam factum putamus, ut poema hoc de Ætna a plurimis olim Virgilio tributum fuerit. Illud dolendum est, quod belli Siculi descriptionem, quam orsus fuerat Severus, fato impeditus absolvere nequiverit. Dolenda etiam temporum ac vetustatis iniquitas, quæ nobis non solum ex elegantissimi Poetæ scriptis, præter Ætnam & tenuia quædam fragmenta, nihil reliquit; sed & Josepho Scaligero, qui cum Catalectis Virgilii illum quoque edidit, censente, nulli fere veterum tantum, adspersis plurimis maculis, quantum nostro nocuit. Quæ cum festinante Scaligeri opera adeo non detersæ sint omnes, ut novæ etiam subinde adjectæ sint; optime de Republica Litteraria meritus

est Gorallus, cujus studio ita tandem expolitus & exornatus Severus est, ut, qui intelligi antea nullo modo poterat, legi nunc cum voluptate queat. Nam & textum pro virili emendavit, & tum paraphrasi, tum subjectis notis, Poetæ sui sensum perspicuum reddidit. Sic, ut speciminis loco pauca delibemus, vers. 642,

Nec sanctos juvenes attingunt sordida fata,
Sed vere cessere domus & jura piorum,

explicaturus, *pios* dici camporum Elysiorum incolas, omnes nosse ait; Severum autem præterea respicere monet ad cognomen fratrum Catanensium, qui κατ' ἐξοχὴν dicti sunt *pii fratres*, quod suos parentes, ipso Severo narrante v. 620 sqq. per medias incendiorum Ætnæorum flammas incolumes tulerant. Ad v. 20, cur *dentes sevisse* Cadmus dicatur, declaratum legimus. Ex lingua nimirum Phœnicia, *serere dentes serpentis* explicandum esse per *distribuere cuspides æneas*, quibus se armarent Græci. Id autem Cadmo propterea tribui, quia iste Tyrius mercator eam mercem primus in Græciam ex patria attulerit, quæ Phœnicio sermone vocibus *Schinne Nahhasch* exprimatur, quæ æque per *cuspides æneas* ac per *dentes serpentis* verti possint. Ex eadem amphibolia vocabuli *Nahhasch* confictam esse Gorallus ad v. 47 absurdam fabulam dicit, qua hominum corpora cum serpentibus conjunguntur, item qua Hesperides, velleris aurei custodes, aliique in serpentes mutati finguntur, quod scilicet lingua Phœnicia *Nahhasch* æque significare potest serpentem, ac eum, qui diligenter aliquid observat, i. e. custodem. Ad v. 516 generale illud Philosophiæ recentioris deprehendisse sibi visus est præceptum, quod dubiis non sit assentiendum, nec verum quicquam vocandum, nisi quod certis argumentis constet. Multa præterea alia, quibus & natura Ætnæ, igniumque & effluviorum Ætnæorum declaratur, passim deprehendas; sed his, cum ubivis obvia sint, non immorabimur. Unum, quod moneamus, superest. Gorallium nempe, uti & in notis ad Pedonem fecerat, tum scriptorum aliorum, tum Scaligeri inprimis errores subinde notare. Sic enim sæpe ipsum depravare Autorem suum ad v. 150, acumen & attentionem non adhibere v. 441, frequentissimeque eruditionem suam ostentare, & multa erudita, quæ ad rem non pertineant, afferre, ad v. 19, 471, 522, 560, atque aliis locis asserit. Sæpe inanes ejus conjecturas p.
63

36 ad v. 112, commenta ad v. 6, ineptas ratiocinationes v. 308, monstrosas emendationes v. 505, pessime tortas correctiones v. 460 & 487 arguit. In quibus ut multa rectissime a Gorallo monita concedimus, ita versum 319, ex Aldina editione, *pugnantes suffocat & intus* &c. legi nos quidem mallemus, quam e Clarissimi Editoris emendatione, *pugnantes & suffocat intus*, cum vocis *suffocat* media syllaba probis autoribus non nisi producatur. Equidem novimus, quæ ex Propertio L. IV. El 8 v. 84 pro corripienda illa syllaba afferri soleant. Sed rectissime ad ea Clarissimum Broekhusium in nupera nitidissima Propertii editione respondisse, existimamus.

Hæc de Ætna Severi. Fragmentorum primum paulo prolixius de Ciceronis morte, a *Seneca* Suasor VII. conservatum, & a Gorallo e Plutarcho, Dione, Seneca, Livio, & aliis huic æqualibus scriptoribus satis illustratum est. Reliqua minora e *Seneca* Suasor. II, *Persii Scholiaste*, *Sosipatro Charisio*, *Diomede* & *Prisciano* desumta sunt. Subjectus ad calcem Petri Bembi de Ætna Dialogus, Physicam non omnino accuratam, elegantiam autem Latinæ linguæ tantum non affectatam redolet.

OBSERVATIONUM RATIOCINANTIUM IN COMpendium Juris Lauterbachianum Centuriæ quindecim, Autore GOTTLIEB GERHARD TITIO, U. J. D.

Lipsiæ sumtibus Hæredum Friderici Lanckisii, 1703, 8.
Constant 2. alph. 16. plag.

QUare consilium scribendarum in libros Juris Systematicos observationum, annotationum similiumve meditationum, non plane inconsultum ac improbandum censeri debeat, ejus rei rationem, a morbido Jurisprudentiæ Germanicæ statu, quem in præfatione pluribus repræsentasse sibi videtur, Noster repetit: nam alioquin istud scribendi genus, & quodammodo exosum esse, nec eodem tironum studiis satis prospici, in dicta præfatione agnoscit & fatetur. De cætero duplex hujus scriptionis perhibetur esse scopus, primo ut *verus Juris Romani habitus & usus, ex genuinis principiis, per singulos titulos ostendatur*, deinde ut *loca obscuriora ac dubia explanentur*. Prius ita exequitur Autor

Nobilissimus, ut naturalibus & positivis per singulas materias discretis, multorum quidem capitum, in Jure Romano occurrentium, usum in Germania admittat, sed ea Romana esse neget, ac potius ex communi omnium Gentium jure dependere, contendat; quæ vero positiva ac mere Romana sunt, illa in subsidium recepta esse censeat. Hinc ex ejus sententia, legibus Romanis uti in Germania possumus, quatenus Germanicis non repugnant, aut his expressa sanctione vel constanti fori usu prælatæ sunt, porro quatenus a statu Germaniæ, vel hypothesibus Germanorum, non abludunt, aut etiam ipso non-usu rejectæ censeri non possunt; ex quibus præsuppositis, legum mere Romanarum exiguum omnino usum esse, consequitur. Quo illa magis evadant perspicua, exemplis nonnullis, prout succurrent, eadem *illustrabimus*. Quæ de jurisdictione aliisque capitibus, ad *processum forensem* pertinentibus, in Jure Romano traduntur, ea, maximam partem, nullius usus esse, censet Consultissimus Auctor *Obs. 39 seqq.* cum ex propriis Romanorum institutis eadem fere resultent. Neque etiam utilem applicationem, quam vocant, seu extensionem eorum ad similia, idem admittit. Cum enim hæc in Germania, vel communi Gentium jure, vel legibus propriis dirigantur, adeoque nihil eo nomine Romanis debeatur, hinc nimis superstitiosum ei videtur, utilis cujusdam applicationis fucum, sine ulla necessitate, iis allinere. Doctrina pactorum dubio procul juris Gentium, adeoque omnibus hominibus communis est: varietatem vero pactorum, quam leges Romanæ, ex propriis hypothesibus, introduxerunt, nullius in Germania esse usus, Nostro iterum est persuasum. Hinc quasi-contractuum nullam esse necessitatem, veros autem cum pactis coincidere, ac tantum consensuales esse, adeoque pacta nuda & non-nuda, legitima item, adjecta, contractus innominatos & nominatos, eosque reales, verbales ac literales, denique contractuum bonæ fidei & stricti juris discrimen, in Germania cessare arbitratur *Obs. 56, 57:* id quod speciatim quoad contractus reales *Observ. 305, 390, 402, 465*, literales *Observ. 313 seqq.* contractus innominatos *Observ. 621 seqq.* bonæ fidei & stricti juris *Observ. 1148 seqq.* ac verbales *Observ. 1152* amplius confirmare nititur. Quæ de foro competente leges Romanæ tradunt, illa vel ex communi Rerumpublicarum habitu, vel insti-

ftitutis Romanorum propriis dependere, Noftro videntur, priora in Germania valere, fed Romanis non deberi; pofteriora vero fine ufu effe cenfenti *Obferv. 149 feqq.* Actionem Publicianam nomen hodie otiofum putat Nofter, cum eodem non nova & peculiaris actio, fed potius actio realis, ac in fpecie rei vindicatio & confefforia, quatenus ex jure reali probabiliter præfumpto movetur, innuatur, adeoque facile liqueat, illud omne ex captiofa antiqui proceffus formularii follicitudine refultare; hodie vero confueta actionum realium nomina in omnem eventum, id eft, quando jus reale vel vere, vel faltem præfumtive probari poteft, fufficere *Obferv. 205 feqq.* Celebre in Jurisprudentia Romana eft argumentum legis Rhodiæ de jactu, fed in illo nihil effe, quod Romanis debeatur; verum conclufionem, ex generali juris naturalis, neceffitatem dirigentis, dictamine deductam, eodem folum exhiberi, Autor nofter credi vult *Obferv. 413 feqq.* adjiciens, parum recte ab interpretibus laudatam illam legem Rhodiam ad alios cafus extendi, aut talem extenfionem, velut utilem & neceffariam jactari; cum non ex rivulo, feu fubfumtione ac conclufione Romanorum fpeciali, fed ex fonte potius, feu generali æquitatis decreto, aliæ conclufiones derivari debeant, adeoque nimia illa, ac in opprobrium velut legis naturalis facta Juris Romani æftimatio, cenfuram omnino mereatur. De actionibus adjectitiæ qualitatis, quas vocant, puta exercitoria, inftitoria, de peculio, tributoria, quod juffu ac de in rem verfo, hæc Noftri *Obferv. 410 feqq.* eft fententia: maxime naturale effe, ut ex contractu alterius, actio contra alium detur, quatenus hic in illum confenfit, aut in hujus utilitatem ille ceffit Romanos autem ambagibus fuis, dum actionem ftricto jure contra alium negarunt, fed ex æquitate, Prætori probata, afferuerunt, excogitato novo actionis nomine, nihil aliud effeciffe, quam ut planiffimæ materiæ nebulas velut effuderint, ac variis falfisque affertionibus, de actionum illarum indole, fundamento ac concurfu, occafionem præbuerint: non rectius igitur folidam doctrinam hic reftitui, quam fi illa omnia, quæ Romani adfperferunt, iterum abftergantur. Divifio actionum forenfium, qua in rei perfecutorias, pœnales & mixtas, nec non in eas, quæ fimplum, du-

 plum,

plum, triplum ac quadruplum persequuntur, distingui illæ solent, nullius usus Nostro *Observ. 457* videtur; non quod Jus Romanum sit abrogatum, sed quod nunquam receptum; hoc enim ex constanti fori non-usu, qui positivam rejectionem utique involvat, merito colligi: nec eum turbare exempla contraria, nonnunquam forsitan intercurrentia, cum affectus Germaniæ, circa jura extranea admittenda aut rejicienda, ex eo, quod ut plurimum accidit, non sententia unius aut alterius, præjudiciis Romanis in transversum fortassis acti, æstimandus sit. Alterum hujus scriptionis scopum perhiberi, ut loca dubia & obscuriora explanentur, antea indicavimus; ei autem illustrando aliquod exemplum nunc quoque adjiciemus. In *Obs. 105* contendit Autor Consultissimus, restitutionem in integrum fori Romani esse inventum; nam sub illo nomine conflari dispensationem & interpretationem doctrinalem, ac utramque sic conflatam opponi interpretationi legali, seu ei, quod fit ipso jure, ita quidem, ut inter restitutionem & ipsius juris auxilium, multum intersit, si effectum & durationem spectes; id vero speciale esse, nec facile, extra forum Romanum, apud alias Gentes reperiri. Ex illo præsupposito, uti deinceps usum restitutionis in integrum Romanæ, in singulis casibus amplius demonstrare nititur: ita in genere, eam fori Romani corruptionem arguere censet, ac quomodo hæc emendari possit, indicat. In titulo de *Condictione indebiti* docuit *Schüzius*, quod is, qui injusta judicis sententia absolutus est, nequeat repetere, si ex errore facti postea solvat. Verum hac doctrina everti autoritatem rerum judicatarum, Autor Clarissimus *Observ. 363* ostendit, ac ad *l. 60 pr. de Condict. indeb. l. 8 §. 1 rem rat. haber.* per quas vulgo dissentiunt, respondet, loqui eas de debitore absoluto, qui suo consensu & confessione, vim rei judicatæ a se repulerat, a quo adeo ad simpliciter absolutum male inferatur, ac exinde regula generalis constituatur. In titulo de *Rescind. vendit.* obscure nimis Compendium Lauterbachianum duplicem computandi enormem læsionem, emtoris intuitu, rationem innuit: hinc Noster *Observ. 542* clarius utramque proponit, ac alteram, quam neoterici nonnulli accuratissimam eredi volunt, quaque emtor tum demum enormiter læsus censetur, si

si ne quidem dimidium ejus pretii, quod dedit, acceperit, aliquot rationibus falsitatis convincere nititur, adjiciens, quod, si quis vulgatum illud, *nihil tam absurdum esse, quod non aliquando defenderit Philosophus*, ad interpretes Juris Civilis applicare velit, tum jactatam illam computationem, in exempli vicem non male allegari posse. In eodem argumento, sententia *Lauterbachii*, qua emtor ad emendandam læsionem obligatus esse dicitur, sive res vendita apud eum ejus voluntate, sive casu perierit, *Observ. 565, 566* confirmatur: hinc non tantum ad textus oppositos sigillatim respondetur, sed & inprimis obligationis, emtorem constringentis, ordo, in cujus vera æstimatione totius rei cardo, ex sententia Nostri, vertitur, cujusque neglectus nonnullos egit transversos, explanatur. Legem falcidiam etiam in mortis causa capionibus locum habere, secus ac *Lauterbachius* docuerat, adstruit Noster *Observ. 944*, ac ad *l. 1 §. 8, l. 93 ad L. falcid.* quæ contrariam sententiam sustinere creduntur, respondet, in priori cessare deductionem falcidiæ, quia indebitum a sciente fuerit solutum; in posteriori vero rationem negatæ detractionis itidem non a qualitate objecti, sed subjecti dependere, seu falcidiæ ideo locum non esse, quod hæres centum, quæ mortis causa, adeoque titulo singulari (cujus generis successoribus in universum falcidiæ detrahendæ jus non competit) ceperat, alii velut fidei commissum singulare restituere rogatus esset. Celebris est *l. 68 ad L. falcid.* ob perplexam falcidiæ, de alimentis deducendæ, computationem, adeo ut, judice Gomezio, textus ille sit admirabilis, in suo casu singularis & unicus, ac in omnibus actibus hominum locum habeat: verum Nostro, computationis ibi propositæ sensum, habitum & usum, prolixius paululum scrutanti, nihil sani continere videtur *Observ. 945*. In titulo *de Captiv. & postlim.* contendit *Lauterbachius*, rem postliminio censeri reversam, si ad amici præsidia pervenerit, ac Grotium velut dissentientem allegat: nullum vero hic subesse dissensum, sed casibus rite distinctis, diversas, quæ hic occurrunt, sententias posse & debere conciliari, in *Obs. 1451* ostenditur. Nimirum si res capta potestatem hostium evasit, ac in locum tertii pervenit, tum postliminio rediit, & nihil interest, sive tertius ille sit commu-
nis

nis amicus, five noster socius; si vero hostis prædam in portum communis amici detulerit, ejus nondum est postliminium; quod si autem tempestate compulsus, portum socii nostri appellere cogatur, eo ipso rem amisit, eademque postliminio ad nos reversa est, in quibus assertionibus omnes, qui dissentire sibi videbantur, consentiunt.

INTRODUCTIO AD VERAM PHYSICAM, SEU Lectiones Physicæ &c. quibus accedunt CHRISTIANI HUGENII Theoremata de Vi Centrifuga, & Motu Circulari, demonstrata per JO. KEILL, e Colleg. Ball. A.M. & Reg. Soc. Socium.

Oxon. e Theatro Sheldon. 1702, 8.
Constat Alph. 1. plag. 8.

QUemadmodum, ut vidimus, titulus hujus opusculi *veræ Physicæ* nomen præ se fert: ita in præfatione statim Clarissimum Autorem, de perversa quorundam Physicorum Philosophia, graviter conquerentem observamus. Quamvis enim nunc dierum celebretur Philosophiæ Mechanicæ nomen, & insignes in hoc ævo sui obtineat cultores; in plerisque tamen Physicorum scriptis, vix quicquam Mechanicæ, præter nomen, inveniri ait, in cujus dein locum substituant corpusculorum, quæ nunquam viderunt, figuras, poros, & interstitia, motum, pugnas & conflictus Alkali & Acidi &c. Porro ipsos postulata adhibere ad naturam rerum explicandam, quæ nec fieri possint, nec intelligi, & Cartesianorum hypothesin de gravitate v. gr. ab actione materiæ cœlestis dependente, quæ in vortice agitata circa terram deferatur &c. omnibus fere naturæ legibus adversari. Horum autem errorum fontem exinde promanasse, quod homines Geometriæ ignari philosophari ausi sint, & rerum naturalium causas reddere; quos inter Cartesius agmen ducat, qui etiamsi Geometra fuerit insignis, ignavo tamen & desidi ut placeret philosophantium populo, nullum Geometriæ usum in Philosophia adhibuerit: & quamvis iste professus sit, se omnia mechanice per materiam & motum explicaturum, Philosophiam tamen excogitarit, quæ a veris Mechanicæ legibus abhorret quam longissime. Veros contra

tra fuisse Mechanicos philosophos, divinum Archimedem, & post longum ab eo intervallum, Rogerum Baconum Oxoniensem, & Hier. Cardanum, Galilæum tandem, Torricellium, Paschalium, Hugenium, Boylium, Wallisium, Hallejum, & denique celeberrimum Newtonum. Quam vero facile principia mechanica ad explicandos motus cœlestes ipsorumque inæqualitates, res longe a nobis dissitas, adhibeantur, brevi literato orbi patefactura esse *Astronomiæ, Physicæ & Geometriæ Elementa D. Gregorii:* quæ luci jam exposita mense Oct. p. 452. sqq. recensuimus. Noster vero quid hoc in rerum genere præstiterit, ipse mox declarat. Nimirum ut præpararet animos suorum auditorum, *Lectione I.* egit *de methodo philosophandi*; ubi ante omnia de quatuor præcipuis physicorum sectis tractationem instituit, nempe geometrica, peripatetica, experimentali & mechanica: neque non de principiis & modo tractandi physicam. Ex his selectum se habere debuisse asserit, ea eligendo, quæ usui maxime futura sint, & rationem ex his compositam sequendo; quemadmodum id uno alterove exemplo pluribus illustrat, qualitatis præcipue, cum scilicet ex primæ & secundæ sectæ rationibus sequens deducit theorema: quod qualitas seu virtus omnis, quæ undique a centro per rectas lineas propagatur, remittatur in ratione duplicata. Putat autem tutius in hoc negotio progredi neminem posse, quam si sequentes observentur regulæ: 1. secundum geometrarum methodum, definitiones ad rerum necessariarum intelligentiam necessariæ ponantur. 2. conditiones in veritate physica investiganda solum primo positæ considerentur, & ab omnibus aliis interea temporis abstrahatur. 3. a simplicissimis casibus initium sumatur, atque illis semel stabilitis, exinde ad magis compositos progressus fiat. Has jam fusius exponens regulas Autor imprimis ostendit, quomodo contra illas peccent theoristæ plerique omnes. In *Lectione II.* agit *de corporis soliditate & extensione*, quas proprietates conjunctas cum *mobilitate* essentiam corporis constituere, primamque illam omnibus corporibus ita essentialem esse asserit, ut nihil aliud in rerum natura esse cernamus, cui competere possit. Porro per hanc distingui dicit corpus ab alio extensionis ge-

nere, quod penetrabile concipimus, & ſpatium vocamus, in quo omnia corpora locari & moveri cernimus. Atque ſic Carteſianos nulla, quæ non ſint corporea, ſpatia admittentes pluribus impugnat, eosdemque contra bonæ methodi leges agere oſtendit, eo quod corporis naturam ſeu eſſentiam intimam in aliquo ejus attributo ponant, quod an illi ſoli competat, non certe conſtet. Quod quidem ut felicius agat, multis demonſtrationibus geometricis ſpatii corporis vacui poſſibilem ſaltem exiſtentiam oſtendit, tandemque concludit, revera eſſe ſpatium ab omni corpore diſtinctum, quod ſit vas univerſale, intra quod omnia corpora contineantur & moveantur. *Lectione III* agitur de magnitudinum diviſibilitate, tanquam generali extenſionis affectione. Hanc autem rationibus ex geometria petitis demonſtrare volens Autor, conqueritur ab initio, eſſe quandam philoſophorum hodie gentem, geometriam ex phyſica exulare cupientem; deinde harum rationum vim ſtabilire, & quibusdam objectionibus reſpondere conatur. Stringit autem præcipue calamum in clariſſimum Du Hamel, quem hypotheſes geometricas nec veras eſſe, nec poſſibiles, cum nimirum nec puncta, nec lineæ, nec ſuperficies, prout a geometris concipiuntur, vere in rerum natura exiſtant, docuiſſe dicit. Contra quod quidem argumentum, ſi exiſtit, dicit, corpus, neceſſario etiam exiſtent vera puncta, veræ lineæ, veræ ſuperficies &c. His vero prælibatis, geometrice demonſtrat illam corporum diviſibilitatem, & quidem in infinitum; atque tandem ex quantitatis ex indiviſibilibus compoſitione, ſi quæ eſſet, ſequi ſcribit, nullas dari magnitudines incommenſurabiles. Rejicit quoque diſtinctionem in corpus mathematicum & phyſicum, eo quod diviſibilitas illa ab ipſius extenſionis natura & eſſentia dependeat, indeque ortum ſuum trahat, adeoque omnibus extenſis tam phyſicis quam mathematicis convenire neceſſum ſit, quia quicquid prædicatur de genere &c. Poſtremo in gratiam eorum, qui demonſtrationibus geometricis non ſatis aſſueti ſunt, unicum pro illa infinita continui diviſibilitate argumentum phyſicum adjungit, & quidem ex motu petitum: nempe ſi continuum ex indiviſibilibus conſtaret, ſequeretur, omnes motus æquiveloces fore, nec minus in eodem tempore confecturam ſpatium ſegniſſi-

ſegniſſimam teſtudinem, quam πόδας ὠκὺν Achillem &c. *Lectione IV.* reſpondet objectionibus contra materiæ diviſibilitatem afferri ſolitis. Fatetur autem clariſſimus Autor, eſſe aliquid in natura infiniti, quod humano intellectu haud comprehenſibile eſſe videatur; unde nec mirum ſit, ſi ex ea quædam ſequantur, quæ hominum mentes concipere non poſſint. Eſt autem prima, quam producit, objectio Epicuri, qui, ſi continuum diviſibile eſſet, inquit, in infinitum, contineret infinitas numero partes, adeoque finitum contineret infinitum. Ad quam plura cum regeſſiſſet, exemplis tum arithmeticis tum geometricis eandem infringit: illis v.gr. quando ſeriem infinitam numerorum in ratione quavis decreſcentium ſumit, quæ tamen finito adæquentur numero: his, cum notum eſſe dicit, ſpatium poſſe dari infinite longum, quod tamen ſpatio finito perfecte adæquetur; id quod a celeberrimis geometris Torricellio, Walliſio, Barrovio &c. ſatis demonſtratum ſit. Similes nec adeo ignotas atomiſtarum objectiones refutat hoc loco Autor, negans v.gr. contra illos, Deum poſſe ita ſecare materiam, ut daretur pars ultima indiviſibilis; eſſe partes in continuo adeo minutas ſeu parvas, quin adhuc ſint & ſemper ulterius diviſibiles &c. quæ & ſimilia cum ingenio humano non ſtatim pateant, exempla comparat plurima, quæ inter & illud Newtoni eſt in Schol. Sect. I. Phil. Nat. de curva parabola Apolloniana. *Lectionem V.* de materiæ ſubtilitate inſtituit, quam phænomenis jam vulgaribus, ex ſumma auri ductilitate, diſſolutione unius cupri grani in S. S. armon. ex odoribus item & effluviis, & tandem omnium & lectu & admiratione jucundiſſimo animalculorum, quæ in aliorum ſemine & in aliis liquoribus conſpiciuntur, experimento, cum clariſſimo Lewenhookio deducit. Ultimo denique de lucis particulis agit, & per harum ſubtilitatem fieri dicit, ut Sol, etiamſi continuo lucem emittat, non tamen ſenſibile quicquam de ſua amittat magnitudine, etſi quotidie per aliquam inæſtimabilem quantitatem decreſcat: unde etiamſi poſt 6000 annos ejus diminutio nondum notabilis evaſerit, poſt finitam tamen annorum ſeriem, quamvis valde protractam, totum diſſipatum iri. Ex quo etiam ſequatur, mundum hunc nec in æternum exiſtere poſſe, nec potuiſſe etiam ab æterno exiſtere.

 Lectio

Lectione VI. occupatur in doctrina de motu, loco, & tempore; refutans primo eos, qui cum Didoro Chrono, Zenone atque aliis, motum a corporibus omnem sustulerunt: dein ipsi tractationi de locali motu nonnulla præmittit, distinguens v. gr. locum, spatium & tempus in absolutum & relativum; illud nominans, quod in se, hoc quod apparenter tale est, & respectu corporum, quæ in eo sunt, consideratur. His præmissis, *Lectione VII.* motus & quietis, tam absolute quam relative spectatæ, definitiones subjungit, remque exemplo declarat ejus, qui in nave sedet, atque ita relative quiescit, absolute autem vere & eadem celeritate, qua navis, movetur. Item si navis versus orientem feratur, & aliquis in prora sedens lapidem versus occidentem cum eadem velocitate projiciat, qua ipsa navis ad orientem progreditur, *tunc lapidem* ait in hoc casu spectatori intra navem *moveri videri versus occidentem*, & ejus velocitatem relativam æqualem futuram ipsius navis celeritati absolutæ; revera tamen lapidem quiescere in spatio absoluto, abstrahendo a terræ motu & eo omni, qui ex gravitate oriri potest: at si ponamus, pergit, aliquem extra navem in aere pendulum, ille lapidem quiescentem spectabit; cum vero gravis sit lapis, videbit illum perpendiculariter deorsum moventem, nec magis versus ortum quam occasum tendentem. His explicatis, quid spatium, motus æquabilis, acceleratus, retardatus, æquabiliter acceleratus & retardatus, vis motrix, gravitas, vis centripeta, centrifuga &c. sit, declarat. Atque sic definitionibus etiam finitis, ad axiomata physica *Lectione IIX.* accedit; deinde de materia & forma agit, atque quomodo a philosophis ostendatur, varias particularum ejusdem materiæ magnitudines, figuras & texturas, varias producere corporum formas, & ex variis etiam ipsorum motu & positione varias oriri qualitates, pluribus exemplis erudite monstrat. In *Lectione IX.* theoremata de motus quantitate & spatiis a mobilibus percursis, *h. e.* de corporum momentis, item de proportione spatiorum a mobilibus emensorum tradit, eademque demonstrationibus maximam partem geometricis evincit, ostenditque corporum motus esse ut rectangula sub ipsorum celeritate & materia: unde ex datis cujusvis corporis materia & celeritate, dari ejusdem asserit momentum,

&

& vice versa ex momento & materia, ejusdem celeritatem &c. Inde in *Lect. X.* scientiam hanc de motu per numeros illustrat, & arithmeticam præsertim speciosam adhibet. Juvat quoque meminisse theorematis, quo omnium corporum pondera quantitatibus materiæ in corporibus existentibus proportionalia dicit; neque non problematis: dato corpore quovis, & ejus celeritate, & alio quovis corpore etiam dato, invenire velocitatem eam, cum qua si moveatur aliud illud corpus, habebit momentum æquale momento prioris corporis dati; atque tandem sequentis theorematis: quod si vectis sit AB circa punctum seu fulcrum C tantum rotabilis, erit cujusque puncti velocitas, ut ipsius distantia a fulcro. Ex quibus illustratis illud etiam deducit, cur in canalibus communicantibus diversæ amplitudinis conservetur liquorum æquilibrium. In *Lectione XI.* ad leges naturæ progreditur, h. e. illas, quas omnia corpora naturalia constanter observasse necesse est. Quæ vero cum eodem ordine & iisdem verbis, atque abs Newtono prolata sunt, proponantur, eas impræsentiarum mittimus. Harum autem legum naturalium occasione, plurima subnectit nova theoremata, & hac quidem lectione, seu capite, de motu corporum accelerato duo. *Lectione XII.* illam naturæ legem (numero apud Nevvtonum tertiam) explicat, qua actioni semper contraria & æqualis esse dicitur reactio; quamque licet non uno exemplo illustratam dederit, dignissimum tamen notatu nobis visum est illud, quo non solum magnetem trahere (ut loquimur) ferrum, sed & æqualiter a ferro trahi magnetem, monstrat &c. *Lectione XIII.* definitiones, quas vocat secundas, subnectit, quibus quid centrum gravitatis cujusque corporis, & vicissim duorum corporum commune centrum, quid directe, quid indirecte impingere, quid corpus perfecte durum, molle, elasticum &c. sit, exponit: adjungens dein theoremata nonnulla de percussione corporum durorum, quam quatuor potissimum casibus fieri ostendit; cui tandem problema subnectit, corporum nempe durorum aut mollium post directum impactum determinare motus, id quod quinque exemplis illustravit. *Lectione XIV. eaque ultima* de vi corporum elastica & causa hujus resilitionis agit, monstrans Cartesianos, qui elasti-

elasticitatis vim ad corpora, ut loquitur, reflectendum nesciebant, aliam plane tradidisse reflexionis causam, quæ vero nec rationibus, nec experientiæ congrua sit. Quod vero objiciant, quo pacto innotescat, globos eburneos, marmoreos &c. & alia reflectentia corpora elasticitate pollere, hoc inde posse concludi ait, quod cum percutiuntur, tinnitum edant, item quod si unius globi superficies atramento (aut quovis alio colore, qui facile abstergi potest) inficiatur, & alter in ipsum quiescentem impingat, experimento constet, non punctum tantum physicum globi incurrentis post impulsum alterius colore tingi, sed partem ejus superficiei satis magnam &c. His addidit denuo theoremata, quibus v. gr. corporum perfecte elasticorum & directe impingentium regulas congressuum geometrice determinat, inque fine Wallisium, Wrenium atque Hugenium citat, tanquam *quos corporum durorum leges omnium optime explicasse constet.* Ut taceam reliqua non adeo ignota theoremata, quibus v. gr. corpus oblique impingens ita reflectere dicit, ut angulo incidentiæ æqualis sit angulus reflexionis, & quæ sunt alia hujus generis plura.

Sequuntur duabus plagulis in calce operis *Clarissimi Hugenii Theoremata de vi centrifuga & motu circulari*, jam ineunte A. 1672 edita, & subjuncta erudito operi de Horologio oscillatorio; ubi quidem illa nuda solummodo, demonstrationes alio tempore traditurus, proposuerat Autor. Hinc igitur jam eo mortuo, cum nulla amplius restaret spes, illius demonstrationes in lucem prodituras esse, opus reipublicæ philosophicæ non ingratum fore sperabat Noster, si alias demonstrationes Hugenianis parum absimiles traderet, quibus præclara hæc inventa, ultra dubium posita, in naturalis scientiæ incrementum felicius cederent. Ipsa theoremata cum jam innotuerint orbi literato, & loco modo memorato facile evolvi possint, hac vice præterimus. Neque addimus aliquid de Autoris nostri laudatis demonstrationibus, utpote quæ concatenatæ sunt, & nisi integræ exscribantur, multum claritatis suæ amittunt. Potius optamus, ut similes ingenii sui sublimioris fructus eruditorum oculis etiam inposterum sistat, & qua cepit industria, rerum naturalium causas indagare, maximo cum suo, tum aliorum emolumento pergat.

CRITIQUE DE L' HISTOIRE DES FLAGELLANS.

i. e.

JO. BAPTISTÆ THIERS CENSURA HIstoriæ Flagellantium.

Parisiis, apud Jo. de Nully, 1703, 12. plag. 19.

QUi nuper fatis concessisse dicitur, Jo. Baptista Thiers, Carnutensis, Vir Clarissimus, Theol. Doctor & apud Burgundos Parochus primum Champodiensis, tum Vibrajensis, inter polygraphos suo quodam jure locum obtinet. Extant enim ejusdem *de dierum imminutione*, *de stola Parochorum*, *de altaribus*, *de ludis & delectationum variis generibus*, *de coma adscita*, *de essedis*, *de voce paracleti* libelli, tum *Advocatus pauperum*, aliaque scripta, ad ritus præsertim Ecclesiasticos & rem Canonicam, cui se totum velut consecraverat, facientia, quorum quædam in Actis his A. 1692. p. 397, & Supplementorum Tomo I. p. 51. recensuimus. Finem imposuisse scribendi studio fertur Censura hac Historiæ Flagellantium, ab Abbate Boilavio Latina lingua Parisiis anno 1700 editæ, & a nobis ejusdem anni mense Septembri pag. 414 sqq. memoratæ, quæ multis sudes in oculo fuit. Auctor postquam in præfatione indignationem suam aliorumque exposuisset, vitioque vertisset Abbati, quod librum de tactibus impudicis, & alium quendam conscripserit, quo probaverit, licere uni clerico plura simul possidere munera ecclesiastica (qui tamen nondum sit editus,) ipsum statim Historiæ Flagellantium titulum cap. I. sub censuram vocat. Quem quidem libro isti prorsus non convenire existimat, quippe cum non de Flagellantium secta, quam describit atque repudiat, sed de incommodis ac turpitudine flagellationum ecclesiasticarum tractet, vel potius ista confundat. Longe gravius *cap. II.* in stylum Viri invehitur, quem alienum a Latio, obscurum, calamistris muliebriter ornatum, æquivocationibus, solœcismis ac barbarismis plenum esse pronunciat, enotatis inter alia Boilavianis phrasibus, *rotula Theologica tornare*, *ex caudice gentilitatis*, *insulsitas seipsum flagellantium.* Consimili rigore *cap. III.* citata ab illo sub censum vocat, quæ studio augendi molem libri, addita etiam, ubi necessari-

rium non erat, editionum nomenclatura, atque, ubi opus erat, omissa, corrasa fuisse ait. Multa ab eodem episodia aliena a scopo libello assuta esse; multa etiam eidem contraria adducta esse observat. Quædam vero ridicula, imo ab obscœnitate parum remota Boilavio singulariter *cap. IV.* vitio vertit, ac *cap. V.* peculiariter in eo reprehendit, quod Jo. Gersonem omne flagellationis studium repudiasse tradat, cum tamen sectam Flagellantium Doctor ille, ut audit, Christianissimus tantum impugnaverit & sui ipsius flagellationes, eas tamen, quæ alio infligente fiant, retinendas suaserit. Neque a Senatu Regio Parisiensi, quod Abbas docuerat, ipsum flagellandi institutum, sed societatem quandam Flagellantium Bituricensem, A. 1601 condemnatam fuisse, observat.

Hac velut velitatione præmissa, ad rem ipsam *cap. VI.* se confert, summam Historiæ flagellationis hanc esse tradens: *Flagellationem voluntariam contrariam esse pudori ac pietati, ex idololatrarum superstitionibus oriundam, erroneam, recteque rationi contrariam, stultam denique ac turpissimam.* Quas Noster propositiones Ecclesiastica condemnatione dignas censet. Parum vero abest, ut hæresin in ea Abbatis sententia reconditam dicat, qua Christum invitum flagella pertulisse, *Histor. Flag. p. 29. 30.* docuit. Posthæc Auctor noster *cap. VII.* adversarii sui diligentiam in dubium vocat, quem Petrum Damiani cum Petro de Honestis, Dominicum Loricatum cum Ansone confudisse, imo fidem suam fecisse sublestam, multa falso citando, adducta exemplorum nube contendit. Cujus generis alia quoque *cap. VIII.* enumerat, videlicet contra omnem veritatem negari, quod Petrus Damiani in Vita Romualdi, & Guigo in Statutis Carthusianis flagellationis mentionem fecerit, quodque Archiepiscopi appellatio seculo VI usitata fuerit; falso pronunciari, quod hæresis Flagellantium nulla, præter flagellationem, reprehensione digna fuerit; Alberto Cranzio, mirabili parachronismo, Albertum Argentinensem juniorem fingi, atque hujus generis alia.

Ad probandum flagellorum usum Auctor noster *cap. IX.* se accingit, adductis præcipue Petri Damiani rationibus, quod nempe seipsum flagellans, perpessionem Christi & Martyrum dolores imitetur, carnem castiget, peccata expiet, jejunium Deo

gra-

gratius faciat, odium mali adaugeat, pro miſeris in purgatorio igne ſatisfaciat, & quæ ſunt hujus farinæ alia. Veteres vero flagellationum hoſtes, Eremitas Urbicos, Petrum Cerebroſum & Stephanum Cardinalem refutat, quos Boilavio mitiores hoc in negotio fuiſſe, exiſtimat. Poſthæc ex regulis Monachorum antiquiſſimis *cap. X.* diſciplinæ genera flagellis peracta colligit, atque ex illis antiquitatem flagellationis a tertio usque ſeculo conſtare, affirmat. In eandem ſententiam *cap. XII.* ritum pœnitentes flagellandi affert, adductis inter alia exemplis Guilelmi Ducis Aquitaniæ, Raimondi Comitis Toloſani, & Henrici IV Regis Galliæ Procuratorum. Addit inſuper *cap. XII.* Fraternitates ab Antonio de Padua flagellandi cauſa inſtitutas, Conciliorumque decretis comprobatas. Tandem *cap. XIII.* flagellationes ad alterum genus operum, quæ Romanenſes ſatisfactoria vocant, nempe ad jejunia refert, iisque in monumentis eccleſiaſticis contineri, cum Moralis Theologiæ ſcriptoribus affirmat. Sed relicto hoc probandi munere, etſi undecimo demum ſeculo flagellationes exortas conceſſerit, cauſa tamen ſe non cecidiſſe *cap. XIV.* opinatur, cum Eccleſia Romana complures ritus novos recens adoptaverit. Nihilominus tamen ad priſtina redit, atque ante ſeculum XI. flagellationem uſitatam fuiſſe, exemplo Gregorii Nazianzeni, Eccleſiæ Nitrienſis, Pardulphi Carolo Martello ætate æqualis, & Guillelmi Ducis Aquitaniæ, probatum it. Reſtauratorem vero hujus collapſæ paulatim diſciplinæ, non Petrum Damiani fuiſſe, quod multis placuit, ſed Romualdum, Joannem de Monte Feretro, & Dominicum Loricatum, Petro antiquiores, *cap. XV.* prodit. Etſi vero *cap. XVI.* fateatur, flagellandi morem apud Græcos Chriſtianos fuiſſe rariorem, in Latina tamen Eccleſia ab omnibus ferme Monaſticis Ordinibus eundem receptum, ſingulorum facta recenſione, probat, idque ſpeciatim de Benedictino Ordine, ejusque ſurculis, *cap. XVII.* oſtenſum dat, deque recentioribus Monachorum Familiis *cap. XVIII.* Adducit quoque *ſequenti capite* in teſtimonium Sanctos, quos vocant, flagellando celebritatem adeptos, videlicet Guidonem Pompoſianum, Popponem, Anthelmum, Thomam Cantuarienſem, Hugonem Lincolnienſem, Dominicum, Hedvigem, Eliſabetham, Ludovicum, Hyacinthum,



Raimundum de Penna forti, Andr. Corſinum, Catharinam Senenſem, Petrum Luxemburgenſem, Vincent. Ferrerium, Franciſcam, Bernardinum Senenſem, Jo. de Capiſtrano, Jo. de Cruce, Franc. Xaverium, Ignat. Lojolam, Petrum de Alcantara, Carolum Borromæum, Phil. Nerium, Cardinalem Berullium, & Abbatem Trappenſem. Denique *cap. XX.* collectis Petri Damiani, Petri Bleſenſis, Gregorii XIII, Card. Borromæi & Cæſ. Baronii elogiis flagellantium inſtituto datis, concludit.

Sunt plura notatu digna, quæ libellum hunc commendent. Chronologia Petri Damiani p. 108. ſeq. ſtudioſe traditur. Quæ de Archi-epiſcopis ante Seculum VI. in veterum monumentis exſtant, p. 130 ſeq. colliguntur. Refertur taciteque probatur p. 154. P. Damiani ridicula exegeſis, qui Davidis verba, *Laudate Deum in tympano*, de flagellatione aridæ cutis noſtræ *Deo placente*, interpretatus eſt. Ritus denique Eccleſiæ Romanæ poſt ſeculum IV exorti, bona fide p. 252. ſeqq. enarrantur.

L' ART DE FAIRE LES RAPPORTS EN *Chirurgie*.

i. e.

ARS FORMANDI RELATIONES CHIRURGICAS *Authore D. *** Præpoſito Collegii Chirurgorum Pariſienſis.*

Pariſiis, apud Laurentium D'Houry, 1703, in 12.
Conſtat Alphab. 1. cum 4. plag.

QUanquam Clariſſimus Nicolaus Blegny, ante hos 20 fere annos, doctrinam Relationum Chirurgicarum, a nobis anno 1685, menſe Octobri, pag. 454, recenſitam explanaverit; non dubitavit tamen Noſter, idem argumentum denuo ſibi tractandum ſumere, & quæ a probatiſſimis Authoribus diverſis tractatibus fuerunt tradita, in unum volumen colligere, ſuisque annotationibus illuſtrare, ut in Arte Chirurgica nondum exercitati habeant, unde ſibi conſulere queant. Quemadmodum igitur tres Relationum iſtarum habentur ſpecies, Relationum ſcilicet proprie ſic dictarum, de læſionibus corporum, aliisve morbis teſti-

testimonium exhibentium, Excusationum in infirmorum gratiam, & Æstimationum; ita de singulis aliquot suppeditat specimina, postquam signa diagnostica æque ac prognostica, ubi opus fuerat, exposuerat. Plura de hoc tractatu jam addere supersedemus, utpote qui cuivis lecturo seipsum commendabit: sufficiet ea annotasse monita, quæ cum Chirurgo ejusmodi Relationes facturo communicat Noster. Jubet igitur, ut 1) sit æquus, & integer, nec donis, precibus &c. moveri se patiatur; 2) ipse omnia inquirat, nec vel collegarum, vel famulorum relationibus fidat; 3) de causis absentibus, doloribus, & quæ in sensus non incurrunt, non affirmativam ferat sententiam; 4) a morbis fictis imponi sibi non patiatur; 5) circa prognostica sit dubius, imprimis si mortem vel convalescentiam ægri hæc spectent; 6) observet longitudinem, latitudinem & profunditatem vulnerum, & signa læsæ partis internæ annotet; 7) essentiam vulnerum declaret, ut symptomata concomitantia bene exprimere, quid sperandum, quidve metuendum sit, prædicere, methodum medendi, curationis durationem, ægrorum regimen determinare, & an tempore morbi suis vacare negotiis possit æger, effari valeat; 8) probe examinet, an vulnus sit vera causa mortis, impotentiæ &c. 9) addat, an ægrum in propria, an ipsius domo exploraverit, numque vel intra vel extra lectum, suisque negotiis vacantem vel minus, offenderit; 10) nihil omittat, quod Judici de causa facinoris judicanti lumen affundere valeat, & omnia breviter ac claris verbis pronunciet; 11) non præsumat, se quicquam scire, nisi hoc sciat infallibiliter; 12) nihil dissimulet, & omnia secrete tractet. Supponit interim, ut Chirurgus Anatomiæ sit gnarus, & morbos Chirurgicos cognoverit, quo eorum naturam, signa, symptomata, & prognosin, relationibus suis inferre valeat, idque ex praxi potius quam theoria didicerit. Cognitam etiam habeat methodum iis medendi, ut de ordine & duratione curationis, ut & de aliorum Chirurgorum curationibus ferre judicium queat, remedia eorumque taxam & efficaciam in numerato habeat, ut rite æstimare valeat. Circa quas Æstimationes respicere jubet 1) ad operationis plus minus operosæ vel difficilis conditionem; 2) ad morbi gravitatem magis, quam curationis duratio-

 nem;

nem; 3) ad personæ conditionem & opes; 4) ad viæ distantiam, quam Chirurgus ægrum visitaturus emetiri debuit.

De cætero, quoniam Rex Christianissimus, ante aliquot annos, certos in singulis civitatibus constituit Chirurgos, quibus Relationes adornandi munus incumbat, calci hujus operis Declarationes & Præscripta, has Constitutiones respicientia, sunt adjecta.

HISTOIRE DE L' EGLISE &c.

h. e.

HISTORIA ECCLESIASTICA, AUCTORE ABBATE de CHOISY. Tomus I. tria priora secula continens.

Parisiis, apud *Jo. Bapt. Coignard*, *1703, in 4.*
Constat alph. 2. pl. 18.

NOn ignotum in Actis nostris nomen est Abbatis de Choisy, utpote cujus & Diarium, quo iter suum Siamense descripsit, A. 1688, mense Januario p. 12, & Historiam, quam de Philippi Valesii atque Joannis, Galliæ Regum, rebus gestis composuit, A. 1689, mense Aprili p. 222, nos recensuisse meminimus. Jam idem Clarissimus Autor, indignum Christiani hominis persona esse ratus, in profanæ Historiæ studio omnem ætatem terere, & eam, quæ Ecclesiæ fata spectat, penitus negligere, Historiam Ecclesiasticam, diversis voluminibus constantem, patrio idiomate edere constituit, quorum primum hic exhibemus, in quo ea, quæ prioribus tribus post C. N. seculis in Ecclesia gesta sunt, per quatuor distinctos libros, brevi quidem, sed facili & eleganti stylo persecutus est. Perlectis nimirum plerisque, ac tantum non omnibus Ecclesiasticis Scriptoribus, parem tandem, ut in præfatione monet, ejusmodi operi conficiundo se existimavit *Choisyus*, quod ideam quandam Historiæ sacræ complecteretur, & non tam eruditis inque hac palæstra exercitatis, quam iis, qui literarum aut plane expertes sunt, aut ad civilia studia animum adpulerunt, usui esse posset. Abstinuit itaque in hac Historia a nimiæ eruditionis vana ostentatione, qua multi scripta sua onerare potius,

tius, quam ornare solent, hæresibus vela magis obtendit, quam detraxit, controversiis non inhæsit, subtiles quæstiones neglexit, communi tempora computandi rationi institit, atque eo maxime elaboravit, ut prætermissis minutiis, nobiliora ac memoratu digniora referret, ita quidem, ne Lector opus habeat, ob rerum difficultatem, lectionem interrumpere, aut de eorum, quæ dicuntur, veritate facile dubitare. Quamvis enim nomina Autorum reticuerit, eorum tamen fide dignissimos ubique secutus est, ac præter ea, quæ ex sacris literis desumsit, ex Baronio, Bollando, Godello, Huetio, Mabillonio, Ruinarto, Abbate Fleurio, Natali Alexandro, Pinio, atque inprimis Tillemontii Historia Imperatorum & Commentariis Historiæ Ecclesiasticæ conscribendæ inservituris, se plurima hausisse, imo nonnulla ad verbum repetiisse, non diffitetur. Neque tamen, ubi opus visum fuit, priscos Patres evolvere prætermisit, ipsorumque adeo Protestantium scripta aliquando consuluit, quos, nisi contra Ecclesiam Romanam pugnare constituerint, veritatem absque fuco proponere, non dissimulat. Licet autem primario circa Ecclesiæ res versetur, digreditur tamen quandoque, quamvis breviter, ad alias non penitus ab argumento alienas, inque Imperatorum imaginibus depingendis, quorum mentio subinde injicienda est, elegantiæ imprimis studet, mores ipsorum ingeniumque scite adumbrans, & quid laude, quidve vituperio dignum in ipsis fuerit, nervose exponens. Ceterum nihil amplius de hoc opere dicendum restat, nisi ut addamus, celeberrimum Pinium in adprobatione, quæ in fine subjuncta est, illud non modo ob Historiæ veritatem, sed etiam ob rerum maxime necessariarum, elegantissimarum atque utilissimarum selectum, commendare.

NOVA PLANTARUM AMERICANARUM GENERA, Authore P. CAROLO PLUMIER, Ordinis Minimorum in Provincia Franciæ, & apud Insulas Americanas Botanico Regio.

Parisiis, apud Joan. Boudot, Regis & Regiæ Scientiarum Academiæ Typographum, 1703, in 4.
Constant plagul. 11. figur. æn. 40.

DEcennium est elapsum, a quo tempore Autor Eruditis suam in Botanicis peritiam publice comprobavit, edita scilicet A. 1693. descriptione Plantarum Americanarum, eleganti sane rarissimisque iconibus referta. Sed longe plura supererant hactenus a nemine descripta vegetabilia, etiam talia, quæ ad genus aliud jam notum referri nullatenus possent. Hæc igitur in Americanis insulis observata, institutis hanc in gratiam tribus peregrinationibus, nunc quoque publici juris fecit, non sine insigni applausu omnium, qui pulcherrimam illam Historiæ Naturalis partem æstimant, ut par est. Plus quam centum etenim plane nova describit depingitque Plantarum genera, eorum characterem ex florum fructuumque conformatione, quæ optima recentiorum methodus est, unice desumens. Imitatur autem præ cæteris Tournefortium, & in stirpium *definitionibus*, & in tabulis æneis, non integram plantam, *sed florem fructum*que diligentissime observando. Imo & in eo conveniunt, quod in defectu aliorum vocabulorum novis generibus novas forment appellationes a Botanicorum nominibus. Dixerat Tournefort in Appendice Instit. R. Herb. in honorem inventoris plantam quandam Plumeriam, aliam Hermaniam, Nissoliam, Garidellam &c. at Noster non recentiorum modo, sed & veterum mentionem fieri voluit, Pittoniam vicissim a Josepho Pittone Tournefort denominando, in memoriam aliorum, Commelinam, Breyniam, Triumfettam, Muntingiam, Menzeliam, Magnoliam, Malpighiam, Morisonam, Rivinam, Fuchsiam, Dodonæam, Lobeliam, Clusiam, Dioscoream quoque ac Eresiam, quæ longa serie recensere nimis prolixum foret. Hoc unicum adhuc monendum est, sub finem libri annecti Catalogum Plantarum Americanarum, quarum genera ex Tournefortii Institutionibus R. Herb. jam nota sunt, ab Autore tamen Nostro in insulis Americanis descripta ac delineata.

HISTOIRE DE L'ORIGINE DU ROYAUME DE Sicile & de Naples &c.

i. e.

HISTORIA ORIGINIS REGNI SICILIÆ & Neapolitani.

Pari-

Parisiis, apud Anissonium, 1701, 12. Plag. 21.

POstquam Siciliæ & Neapolis regna, post excessum Caroli II Hispaniarum Regis, a Gallici sanguinis Principe occupata fuerunt, atque de iisdem non minus, quam aliis provinciis, Hispanico illi vasto imperio annexis, gravis est orta concertatio; præsentis hujus libri Autor, cujus nomen literæ initiales duæ B. J. signant, operæ pretium se arbitratus est facturum, si, qua olim ratione ex Normannia Principes descenderint in istas regiones, easdemque sibi subjecturi quæ bella gesserint, accurato studio explicaret. Inde operi huic semet accingens, scriptores eorum temporum præcipuos, quibus maxima fides adhiberi possit, pervolvit lectitavitque, Gulielmum puta Apulum, qui ligato sermone Normannorum res in Calabria gestas executus est; Godofredum deinde Malaterram, cujus Historia A. demum 1578 Cæsaraugustæ, inter Arragoniæ literaria monumenta, reperta atque statim edita est, & a Baronio tanquam insignis thesaurus prædicatur; Annam insuper Comnenam, quæ bella a Roberto Guiscardo Normannorum Duce, cum patre suo Alexio Comneno Orientis Imperatore gesta describit; Leonisque tandem Ostiensis Chronicon Monasterii Cassinensis, cujus membrum aliquando fuit. Ex his & recentioribus aliquibus facta Normannorum repetit, commemoratque, qua ratione, seculo post N. C. XI, ex Gallia profecti, Italiam religionis ergo inviserint, & cum aliquando Principis Salernitani hospitio usi, Saracenos istam regionem invadentes profligassent, magnum sint consecuti nomen. Inter illos eminuit quidam Turstin eximii roboris, quippe qui lupum etiam, ex cujus ore capram extraxerat, cum furibundus in ipsum incurrisset, correptum muro allisit, occiditque. Cumprimis celebrat Tancredum de Hauteville cum suis posteris, cujus tres filii Michaeli Ducæ, Orientis Imperatori, adversus Saracenos Siciliæ invasores multum auxilii tulerunt, inter quos Gulielmus natu major, ob superatos hos, cognomen sortitus, ut ferreum brachium diceretur, moriensque isto elogio ornatus est, quod fuerit in bello Leo, in civili societate Agnus, in consilio Angelus. Alii insuper fortitudinis insigni gloria effloruerunt tum, Gulielmum puta de Montreul, Arnaldum de Grand Menil & de Bayeul, quorum

rum posteros hodienum Parisiis & Rhotomagi inclytos esse scribitur. Super omnes vero eximia felicitate usi sunt fratres duo & Tancredi itidem filii, Robertus & Rogerius, qui Neapolitanum regnum, quam latum illud est, expugnato Rhegio, tenuerunt, ac in Siciliam trajicientes, Saracenos inde expulerunt, imo & facto cum Gregorio Pontifice fœdere, adversus Heinricum Imperatorem, & in Oriente etiam bella gesserunt celebratissima, quæ Autor noster prolixe describit, & in Rogerii morte, quæ circa A. 1100 contigit, Historiam hanc suam finit.

LIBRI NOVI.

Dionysii Petavii Opus de Doctrina Temporum, cum præfatione & Dissertatione de LXX Hebdomadibus Joannis Harduini. Antverpiæ apud G. Gallet, 1703. fol. Tomi III.

Georgii Bulli Opera omnia, cum annotatis & præfatione Jo. Ernesti Grabii. Londini, apud Rich. Smith, 1703. fol.

Ἡ Καινὴ Διαθήκη. *Novum Testamentum, una cum scholiis e Græcis scriptoribus, tam Ecclesiasticis quam exteris, maxima ex parte desumptis. Studio Joannis Gregorii. Oxonii ex Th. Sheld. Londini apud Thomam Bennet, 1703. fol.*

Disciplina Ordinis Cartusiensis. Parisiis, apud Ant. Dezallier, 1703. fol.

Josephi Pitton Tournefort Corollarium Institutionum Rei Herbariæ. Parisiis, 1703. 4.

Antiquité de la Nation & de la Langue des Celtes, autrement appellez Gaulois. Par Dom P. Pezron. A Paris, chez Jean Boudot, 1703. 8.

Ephemerides des Mouvemens Celestes depuis l'A. 1702. jusqu'à 1715. pour le Meredien de Paris. Par le Sr. de Beaulieu. A Paris, chez Guillaume Valleyre, 1703. 4.

Traité de l' Indult du Parlement de Paris. A Paris, chez J. & M. Guignard, 1703, 12.

Traité des Langues. Par Mr. Frain du Tremblay. A Paris, chez Jean Baptiste Delespine, 1703, 12.

Nouveau Sisteme sur la Construction & les Mouvemens du Monde. Par M. Gobert. A Paris, chez J. B. Delespine, 1703, 8.

* * * * *

N. XII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris, Anno M DCC III.

ECCLESIASTICÆ JURISDICTIONIS VINDICIÆ adversus CAROLI FEVRETI & aliorum Tractatus de Abusu, susceptæ ab ANTONIO DADINO ALTESERRA, utriusque Juris Professore & Decano Universitatis Tolosanæ.

Aureliis, & veneunt Parisiis apud Raymundum Mazieres, cum privilegio Regis & approbatione, A. 1703, in 4.
Constant 3. alph. chartæ majoris.

POsthumum hoc opus est, quod Clarissimus Autor, ex hypothesibus γνησίως quidem Pontificiis, sed non satis ad mentem Curiæ Gallicanæ, dum viveret, composuit. Hinc accessit Præfatio, autore forte Vaillantio, veterano Parlamenti Advocato, in qua nonnulla eam in rem monita exhibentur. Male scilicet habuit Clerum Gallicanum, quod Carolus Fevretus, in tractatu suo de Abusu, Jurisdictionem Ecclesiasticam impugnaverit: hinc Virum, antiquitatum Ecclesiasticarum peritissimum, qui partes suas tueri posset, adhibendum esse putavit. Eminuit in Clero Illustrissimus Franciscus Harlæus, tunc Rothomagensis, postea Parisiensis Archiepiscopus, qui Alteserram, scientiarum & benevolentiæ vinculo dudum sibi devinctum, sæpius hortatus est, ut Fevreto responderet. Accessit deinde Eminentissimus Cardinalis d' Etrées, Episcopus tunc Laudunensis, qui datis ad Alteserram literis, suo Clerique Gallicani nomine, idem munus eidem imposuit. Tantis igitur suffragiis auctoratus Noster, hasce Jurisdictionis Ecclesiasticæ Vindicias adornavit. Sed Viro doctissimo id accidit, judice Præfatio-

nis modo laudatæ Autore, quod plerumque iis, qui contrarias partes suscipiunt, evenire solet; ut scilicet, dum alium impugnare aggrediuntur, aliquando in alterum extremum prolabantur, & durioribus terminis animi sensa exponant. Hinc amplius ille Lectorem monendum esse censet, ne omnia, quæ in hoc opere reperiuntur, juri, quod inconcusse in Gallia servetur, & Curiæ placitis stabilitum sit, consona esse existimet: aberrasse aliquando a praxi fori Gallicani Alteserram, antiquitatis potius, quam praxis forensis studiosum; id quod vel ideo mirum videri alicui non debeat, quod Vir doctissimus omnem fere scientiam suam, tum ex Decretalibus, tum ex Canonistis, nimium Jurisdictioni Ecclesiasticæ indulgentibus, hauserit. Negari quidem non posse, temporibus nascentis Ecclesiæ, quibus enatæ lites compromisso plerumque definitæ fuerint, plerasque controversias, ad Judices Ecclesiasticos delatas, ab iisque diremtas fuisse; sed mutatis judiciorum formis, ac Jurisdictione Ecclesiastica cum strepitu forensi exerceri cœpta, judices Laicos liberum Jurisdictionis suæ in Laicos exercitium reassumsisse, multaque in foro, suadente utilitate, mutata esse. Ne igitur quem, Juris Gallici tenacem, generalius ab Alteserra scripta offendant, memoratæ præfationis Autor indiculum nonnullorum, quæ a praxi Gallicana abhorreant, subjungi curavit, adjiciens, potuisse, imo propemodum debuisse hæc in manuscripto deleri, sed aliud placuisse, ne opus hoc, cujus scripta exemplaria & in Regia, & in plerisque Virorum doctissimorum bibliothecis reperiantur, mutilum mancumque videri posset. Denique ille credi vult, Alteserram, si pauca excipias, non dogmatice, sed historice scripsisse, & reconditioris antiquitatis secreta reserasse, & hinc, ne quis offensionis caussam habeat, librum illum non ut dogmaticum, sed potius historicum, ac quoad praxin cum delectu legendum, proponi: quamvis hoc ultimum, ut id adjiciamus, menti Alteserræ non satis conveniat, in operis fine diserte scribentis: *unum in calce hujusce operis testor, me sincere & ex animi sententia hæc scripsisse, absque livore ac adulatione, non vernulæ, sed docentis ingenio, non fraudis, sed veritatis studio. Verum ne mihi credam, qua religione hæc scripsi, eadem hæc judicio Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ universæ*

ſe ſubmitto. Ipſum opus undecim libros, capitibus variis diſtinctos, complectitur. In *primo libro* contendit Clariſſimus Autor, Epiſcopos habere propriam Jurisdictionem, eamque eſſe Juris Divini, a Civili diſtinctam, Regibus minime ſuſpectam ac metuendam, ſed ab iis potius defendendam: qualis vero ab Apoſtolis, usque ad Conſtantinum, ac ab hoc, ſub aliis Imperatoribus Romanis, Regibus Gothorum, Francorum, Capetingorum & Anglorum, Jurisdictionis Eccleſiaſticæ fuerit ſtatus, deinde oſtendere nititur. Poſtea ipſam Jurisdictionem per partes explicaturus Noſter, in *libro ſecundo* Voluntariam, quæ in collatione ordinum & beneficiorum potiſſimum conſiſtat, & *tertio*, Correctivam, quæ diſciplinæ & correctionis cauſa, de plano extra tribunal exerceatur, perſequitur. Inde pergit ad Contentioſam Jurisdictionem, eamque in civilem & criminalem diſpeſcit, ſubjuncta in eodem *libro tertio* illius prolixiori explicatione; huic vero *quartus* & *quintus* deſtinati ſunt *libri*, in quibus adeo, de criminibus eccleſiaſticis & mixtis, latius diſquiritur. Reſpicit autem Jurisdictio Eccleſiaſtica præcipue Clericos: ſunt tamen etiam nonnullæ Laicorum cauſæ illi ſubjectæ, de quibus in *libro ſexto* diſſerere, Noſtro viſum eſt. Expoſita Sacræ Jurisdictionis vi ac poteſtate, ad proceſſum fori Eccleſiaſtici Clariſſimus Autor progreditur, eumque in *libro ſeptimo* quoad primam, *octavo* quoad ſecundam inſtantiam explanat. Cum vero omnis Jurisdictio ſit inefficax, ſi contumaces ad juſſa facienda malo repræſentato adigi nequeant, hinc Eccleſiaſticam quoque pœnis canonicis velut muniri oportuit, quas in *libro nono* Noſter percenſet. Atque ita ſe abſolviſſe putat ea, quæ ad Epiſcoporum, Metropolitanorum & Primatum Jurisdictionem pertinent, quibus expoſitis, conſentaneum ei fuit viſum, præcipua Jurisdictionis Pontificiæ, quæ fons & matrix Jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſit, addere: hinc cauſæ majores, Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, ut congregatio Conciliorum generalium, definitio quæſtionum fidei, depoſitio, reſtitutio & translatio Epiſcoporum, ſimilesque *libro decimo* pertractantur. His abſolutis, non alienum a propoſito exiſtimavit doctiſſimus Autor, ſi *libro ultimo* numerum perſonarum, in quibus Jurisdictio Epiſcopalis verſetur, puta Presbyterorum, Diacono-

conorum & inferiorum Clericorum, præmissis nonnullis de distinctione Ordinum Ecclesiasticorum ejusque causis, percenseret: nam exinde, ut Noster loquitur, inprimis elucebit hierarchicus Ordo Jurisdictionis Ecclesiasticæ; facesset invidia Clericorum, dum Minores intelligent, se eadem fere potestate uti in subditos, qua Episcopus in ipsos, subordinatis inter singulos Ordines sacræ Jurisdictionis apicibus; obstruetur maledicum os secularium, dum scient, eam per singulos Ordines ita divisam, ut ejus vinculo constet pulcherrimus ordo Ecclesiæ. Brevi huic totius operis delineationi, speciminis loco, nonnulla hinc inde deprompta adjiciemus. *L.1.c.2.* Jurisdictionem Ecclesiasticam juris Divini dixit Alteserra: sed is, qui præfationem supra laudatam præmisit, de Jurisdictione Ordinis, non *Contentiosa*, in indiculo subjecto id intelligi jubet. *C. 9. d. l. 1. Jurisdictio Ecclesiastica*, constitutione Valentiniani III lethaliter vulnerata ac fere extincta, a Justiniano resuscitata perhibetur, adeo ut velut sacra olea a Barbaris incursa (verba Nostri referimus) reviruerit, sibique & dignitati restituta sit. *L.2.c.2.* docet Noster, Episcopum Clericos alienæ diœcesis ordinare non posse, sed ordinatum ipso jure suspendi ab executione Ordinum, & ordinantem per annuum ab eorundem collatione: cumque Fevretus, minus idoneam hac in re providentiam sanctorum Canonum ducens, existimaverit, hujusmodi ordinationem esse abusivam, & ab ea, tanquam ab abusu, appellare licere, Noster se non sine stupore scriptum Viri, ætate & eruditione gravioris, *lectitare* dicit; nullo enim jure fieri posse, ut judices Laici, de Sacramento Ordinis, quod sit apex & culmen Sacramentorum, cœleste charisma, spiritualis unctio, Sacerdotii præcipuum Apostolis & Episcopis eorum successoribus reservatum, cognoscant; appellationem quoque tanquam ab abusu, esse subsidiarium & ultimum remedium, quod alio deficiente detur, at in hoc casu non deesse remedium Canonum; frustra igitur, ad compescendas hujusmodi ordinationes, tribunal Prætoris adiri. Verum Fevreto succurrit Autor præfationis antea relatæ, censens, acriorem illam Alteserræ invectivam, cum temperamento esse accipiendam, adeo ut Clerici vix quidem ad forum seculare recurrere debeant, re-

cur-

cursus tamen ad Parlamenti Curias, propter Jurisdictionis Ecclesiasticæ abusum, remedium ordinarium existimari debeat. *L. 2. cap. 11.* asserit Clarissimus Autor, ab initiis surgentis Ecclesiæ, Canonisationem Sanctorum fuisse penes Episcopos, eamque olim non aliam desiderasse solennitatem, quam ut Episcopus, cognita vitæ sanctitate & miraculis defuncti, votis & concursu populi ad ejus tumulum, nomen ipsius in diptycha seu sacras tabulas referret, quo ejus memoria quotannis solemni die coleretur; sed tempore Alexandri III Canonisationem Sedi Apostolicæ adscriptam, magisque solennem redditam esse; id quod *l. 10. c. 10.* ex professo iterum docetur. Jure communi tam possessorium, quam petitorium beneficii Ecclesiastici, ad Judicem Ecclesiasticum spectare, Noster *l. 3. c. 8.* contendit; in Gallia tamen, Secularem de possessorio cognoscere, simul fatetur: quo vero jure hoc invasuerit, id disputare nimis arbitratur invidiosum, hoc tamen contra Fevretum defendens, Judicem Ecclesiasticum in petitorio liberam habere judicandi potestatem, nec teneri sequi sententiam, a Judice Seculari super possessorio latam. Verum Autor præfationis aliquoties nominatæ, Alteserram ad praxin forensem parum attendere, iterum admonet, cum possessorio plene judicato, Judicem Ecclesiasticum super petitorio adire, amplius non liceat. *L. 5. c. 5.* antiquam illam Gallicanam & Germanicam consuetudinem, qua ob turbatam pacem, nobiles canem, plebeji & rustici sellam vel aratri rotam, de Comitatu in proximum Comitatum portare coacti fuerunt, antequam ultimum supplicium de iis sumeretur, Noster illustrat. In *L. 8. c. 5.* appellationes ab Episcopis, ad Judicem Secularem, late improbat doctissimus Autor, nec Pauli Apostoli, ad Cæsarem appellantis, exemplum obesse censet, cum id factum sit, vel ob defectum alius Judicis, vel a Paulo, non ut Episcopo & Apostolo, sed ut Cive Romano, vel potius, afflante Numine, quo duceretur Romam, propagandæ & martyrio contestandæ fidei causa. *L. 9. c. 4.* inter alia docet Noster, quid veteribus *atrium sauciolum* significet, nempe locum, ubi delinquentes capite vel membris plectebantur.

DIARIUM ITALICUM, SIVE MONUMENTOrum Veterum, Bibliothecarum, Musæorum &c. Notitiæ singulares in Itinerario Italico collectæ, Autore R. P. D. BERNARDO de MONTFAUCON, Monacho Benedictino, Congregationis S. Mauri.

Parisiis, apud Joannem Anisson, 1702, in 4. cum fig. æn. Alphab. 3.

Cum in Actis nostris anno 1699. novissimam operum Athanasii editionem, a Patribus Benedictinis Parisiensibus curatam recenseremus, optavimus p. 204, ut Eruditissimus Montfauconius, cujus industriæ multa in eadem debentur, plura istius generis opera imposterum usui publico exponeret. Nec dubitavimus, ita futurum, modo is ex Italia, quam tunc peragrabat, felici sidere in Gallias rediret. Et adimpleta jam sentimus hæc esse vota nostra, quandoquidem is itineris sui uberrimum fructum cum Orbe erudito communicare nunc incipit, dum in Diario hoc Italico notatu quædam digniora recenset, quæ sibi apud exteros commoranti obvenisse meminit. Licet enim principem migrationis suæ causam fuisse perhibeat, anecdota sanctorum Patrum ope manuscriptorum codicum eruenda, quippe qui post curatam S. Athanasii editionem, probe intellexerit, nonnisi lustratis Italiæ Bibliothecis, postremam Græcis Patribus manum commode admoveri posse; religioni tamen sibi duxit, ab aliis notatu dignioribus prorsus abstinere. Plurima proinde antiquitatis monumenta cum ex bibliothecis atque musæis, tum ex marmoribus eruit, chronica etiam, historias, diplomata, manuscripta, inscriptiones, Abraxeas figuras, & alia id genus in schedis suis consignavit, unde jam haud pauca in usus publicos expromit.

Cap. I. Anno 1698, decimo octavo Maji, cum D. Paulo Brioys, Congregationis S. Mauri Monacho, Lugdunum & inde Viennam se
p. 3. petiisse refert, qua posteriori in urbe deprehendit inscriptionem, in qua templum tegulis auratis ex liberalitate Flaminicæ, id est,
p. 4. Flaminis uxoris, ornatum fuisse observavit. Prope Arelatem, ostensas sibi refert cryptas S. Trophimi, Apostolorum discipuli, ejusque altare, in quo sacrum fecisse, itemque locum, ubi accedenti populo quasi e suggestu verbum Dei prædicasse dicatur.

Ex

Ex Nemausensium antiquitatibus celebrat imprimis magnæ molis codicem, seculo decimo tertio scriptum, qui collectionem contineat locorum S. Augustini, ex variis ejus operibus, pro expositione epistolarum D. Pauli facientium; quod opus Bedæ primo adscriptum, sed exinde Flori cujusdam esse, compertum fuerit. Librum tegere innuit antiquius diploma Bernardi, Comitis Ceritaniensis, quod, hactenus quippe ineditum, locum heic habere jubet. Aquas-sextias hinc petiit, ibique Clarissimo Pagio supremum vale dixit, quem Historiæ Baronii Criticæ ultimam manum paulo ante mortem imposuisse memorat, totumque opus constare testatur quatuor in folio tomis, quorum unus tantummodo publici tum juris fuerit. Massiliæ invisit cœnobium S. Victoris, cujus Ecclesiam remotissimæ antiquitatis speciem præferentem, & spississimis columnis fultam describit, sed diutius circa Lerinensem insulam occupatur.

p. 7.
p. 8.
p. 9.

Cap. II.

Mediolanum posteaquam concessit, primam in id curam impendit, ut Bibliothecam adiret Ambrosianam, in qua Antonium Muratorium, ex præcipuis custodibus alterum, commoda sua multum promovisse, gratus agnoscit. Vocat vero eandem ædificium grande, cujus conclave ab ingressu primum, amplum & præaltum, cusos complectatur libros, intermixtis paucissimis manuscriptis. Etsi autem ad quadraginta ferme millia librorum ibi compareant, multos tamen pernecessarios deesse, & editiones Patrum accuratiores desiderari, monet. Sub extremum Bibliothecæ, intromissum se scribit in peristylium, ubi icones depictæ cernantur illustrium Virorum, quot vix usquam simul occurrant, & in conclavi sequenti similem apparere addit supellectilem, unde ingressus pateat in aliud, plenum codicum Arabicorum, Copticorum, Syriacorum, ac maxime omnium Græcorum & Latinorum, qui comportati istuc fuerint ex Thessalia, Chio, Corcyra, Japygia, & Magna Græcia, curantibus maxime Olgiato, Pinello atque aliis. Ipse vero, speciminis in locum, nonnullorum codicum titulos apponit. Illustrissimi Comitis Mezzabarbæ musæum ter quaterve se invisisse ait, & singulare hinc numisma æneum profert, habens in antica Augusti vultum, cum inscriptione, *AVGVSTVS DIVI F.* in postica coro-

p. 10. f.
p. 11. ad 20.
p. 20.

coronam lauream, in cujus medio scribatur *REX PTOL.* in circuitu autem diadematis *C. LÆTILIVS APALVSIIVIR*; cujus loco Begerus in Thesauro Brandenburgico sic legat: ---- *TILIVS APALVSIIVIR*, Patinus vero mutilam & mendosam lectionem ita adferat: ---- SAPILVSIIV. Q. Ticinum ubi

p. 25. venit, Equitem, cui commendatus fuerat, Belcreddium adiit, apud quem Bibliothecam singularem deprehendit, numerosam sane, sed nonnisi libris, pro immaculata conceptione B. Mariæ Virginis propugnanda, adornatis refertam, in quorum uno a P. Alva exarato depictam conspexit Virginem sublimem, inferius septum murorum turribus munitum, in singulis vero turribus singulos prominentes Franciscanos, adversus Draconem πολυκέφαλον, conceptionis immaculatæ adversarium, strenue dimicantes. Mox Ecclesiam Canonicorum *Regularium ibidem*

p. 26, ad 30. adiit, percontaturus de reliquiis S. Augustini, quas fama tulerat ibidem non diu ante repertas fuisse. Et heic quidem multa sibi narrata de integro negotio refert, rationes etiam in utramque partem allatas enumerat, tandem vero litem adhuc pendere sub judice innuit, & rogantibus, ut liceret ea, quæ reperta fuerant, videre, id negatum, a monasterii vero Priori dono sibi oblata rescripta pro veritate reliquiarum nuper cusa, & nonnisi locum subterraneum inspicere concessum fuisse, addit.

Cap. III. Mutinam delatus Benedictum Bacchinium, Virum eru-

p. 31. f. ditissimum, insudantem invenit editioni Agnelli Ravenatis, autoris inediti noni seculi, de vita Præsulum Ravennatensium ad suam usque ætatem, cujus cura introductum se profitetur in Bibliothecam Serenissimi Ducis Mutinensis, quam præter opinionem multis codicibus manuscriptis, ab editis cura Bacchinii se-

p. 34. paratis, refertam viderit, quorum aliquot allegat. Inde fon-

p. 36. tes Mutinenses celebrat. E Bibliotheca Padolirouensi codices

p. 37. quosdam manuscriptos Latinos profert. E Musæis Venetis Gri-

p. 41. 46. manum primo loco nominat, & ad Bibliothecam S. Marci, &

p. 47. Bibliothecam Archi-Episcopi Græcorum, & SS. Joannis & Pauli Dominicanorum provocat, & e singulis memorabilia nonnulla in medium producit.

Cap. IV. Inter reliqua Venetorum memorabilia, prolixe admodum de

de Evangelio S. Marci differit, & quonam pacto codex illius celebratiſſimus illuc delatus fuerit, e monumentis non ubique obviis declarat. Apud Procuratorem Julium Juſtinianum, doctum ſenem, tot codices manuſcriptos Græcos, quot nusquam in urbe, excepta una S. Marci Bibliotheca, ſe obvios habuiſſe docet, quos inter in codicem inciderit, in quo epochæ more anni notentur a fundatione templi S. Sophiæ, novo calculi genere; in alio extare ait Timothei cujusdam de hæreſibus opus; adeſſe quoque commentarium Athanaſii in Pſalmos, ſed cujus ſcriptor vel Athanaſium mentiatur, vel pro alio ὁμωνύμῳ habendus ſit. Quæ poſteaquam enarravit, in laudes & memorabilia Muſæi Tarviſiani excurrit. p. 55. Cap. V. p. 69.

Patavii in monaſterio S. Juſtinæ divertit, ſed Bibliothecam pauciſſimis manuſcriptis ornatam reperit. In typographia Cardinalis Barbadici, characteres omnis generis, Græcos, Latinos, Hebraicos, Arabicos, Armeniacos aliosque, peculio Cardinalis fuſos conſpexit. Sepulchrum hinc Antenoris, in vico S. Laurentii, ad oſtium PP. Servorum contemplatus eſt. In itinere ad Ravennates exſcenſu facto, Bibliothecam luſtravit Pomposianam, de qua epiſtolam affert ἀνέκδοτον Henrici Clerici ad Stephanum quendam, ut compertum Lectori ſit, quantæ molis tunc fuerit, numeroſas parare bibliothecas; ſed & catalogum ejusdem nunquam antea vulgatum ſubnectit. Eccleſiam S. Vitalis Ravennenſem dum deſcribit, monogramma quoddam Titi Cornelii Nepotis evolvit, & epitaphium Iſaaci Exarchi exhibet, alia ut taceamus. Cap. VI. p. 78. p. 79. p. 80. Cap. VII. p. 97.

Duobus cum dimidio annis Romæ verſatus Noſter eſt, & otium evolvendis maxime Bibliothecarum codicibus, luſtrandis etiam urbis monumentis, contrivit. Ibi mortem Claudii Stephanotii, Congregationis S. Mauri Procuratoris Generalis, A. 1699. d. 20. Junii e vita emigrantis luxit, ſed & paucis poſt iſtius deceſſum menſibus in ætatis flore ſublatum doluit itineris ſui ſocium, Paulum Brioys, acri juvenem ingenio, Græce doctum. Non deſtitit tamen ſuperſtes Noſter a ſua curioſitate, & fructus ejus Lectori iſtarum rerum itidem curioſo nunc propinat. Multum vero ſe adjutum fatetur ſchedis Flaminii Vaccæ, ſcul- p. 103.

ptoris Romani, seculo decimo sexto florentis, qui de monumentis Romanis, cum suo tum amicorum experimento, multas observationes hactenus in publico nondum visas collegerit, atque Anastasio Simonettæ, Perusino, qui Romanarum antiquitatum librum accuratione multa paravit, dono obtulerit, quas Latine versas Noster passim inspergit.

p. 106. f. Incipit ergo a visa abs se Basilica S. Mariæ Majoris, & spectabili in ea arcu opere musivo exornato, autore Sixto III. Pontifice. Hinc rudera antiqui Dianæ templi in horreum versa memorat. Porro hortos Mæcenatianos laudat. Post alia thermas Helenæ sistit, & anaglyphum Neptuni, qui undis insidet capillatus ornatusque diademate, barba promiscua; a dextris erigitur tridens hastæ oblongæ impositus, ad imum hastæ draco alatus converso ad simulacrum capite. Alia Romæ visa memoratu

Cap. VIII. ad XX. dignissima, Auctor per viginti dies dispescit, capitibus tredecim, circa quæ spicilegium modo quoddam nobis instituere concessum

p. 169. f. est. Capitolium prolixe describit. Hinc Lupercal considerat, spelæum scilicet ad radices Palatini, ita dictum a lupa, Romuli

p. 185. & Remi nutrice. Qua occasione annularem affert lapidem, ubi in specu Lupercalis lupa Romulum & Remum pueros lactans incisa, dum Faustulus Palatino monti insidens ritu captantis auguria, lituum sive baculum recurvum manu tenet, habetque canem a tergo sursum inspectantem. Mithræ templum sistens, schema illius non unum statuasque veteres leonina facie conspiciendas dat, deque ejus symbolis & initiationibus differit. Ædibus

p. 210. Barberinis nullas in Urbe admittit magis magnificas. Bibliothecam quoque librorum copia omnibus præstare testatur, codicum item manuscriptorum magnam esse vim, Latinorum maxime; Orientales enim atque Græcos perpaucos ibi comparere. Ac etsi haud libero exterorum aditu Bibliotheca frequentetur, Græcos tamen codices raptim semel inspectare sibi licitum fuisse perhibet, & quia, contra quam rumore nuncio audiverat, exiguum prorsus numerum animadverterit, percontanti, quorsum abiisset illa Græcorum codicum copia, quæ in Barberinis ædibus extare omnium ore olim ferebatur, responsum datum innuit, jam a multis annis, cum exportarentur codices,

a ba-

a bajulis multos venum oblatos, & ad quingentos ejusmodi casu abstractos, dissipatosque fuisse. Juxta hanc Bibliothecam, monasterium Patrum S. Basilii collocat, quod quidem perparvum, nulliusque antehac nominis fuisse, haud negat; studio tamen & cura R. P. Petri Mennitii, codicum Græcorum festiva copia exornatum modo introducit. Istum namque, quia in variis monasteriis Calabriæ sibi subjectis codices istos, obsoleto pene Græcæ linguæ usu, jacere intactos neglectosque acceperit, imminenti eos exitio subduxisse, inque Urbem advehi, in usum Eruditorum, curasse perhibet, & codicum istorum numerum peramplum heic accumulat. De villa Burghesia in scriptis, quæ eandem retulerint, plurima omissa reperiri monumenta observat, quem defectum resarcire aliquo modo studet. In templo Conventus Minimorum S. Trinitatis, in monte Pincio, oculis usurpavit tumulum Antonii Mureti, cujus hoc affert epitaphium : *D. O. M. S. M. Antonius Muretus Lemovix ad Dei misericordiam obtinendam piorum precibus adjuvari cupiens, corpus suum post mortem hoc loco sepeliri jussit, attributis mille scutatis hujus Monast. sodalibus, impositoque onere perpetui anniversarii. Nicolaus de Pelleve Card. Senonen. Test.am. Executor poni mand. Vixit Ann. LIX. Mens. II. Obiit prid. Non. Jun. cIɔ Iɔ LXXXV*. Alterius item Mureti, qui magni illius fratris filius fuerit, epitaphium proxime legi his verbis significat: *M. Ant. Mureto, magni hujus Mureti fratris filio, ætate quidem & nominis celebritate minori, spe autem & expectatione prope pari, immatura morte prærepto Ludovicus Rivaldus Lemovix, & M. Ant. Lanfrancus Veronensis, ejus Testamento ad pias causas facto scripti Executores poss. Vixit Ann. XVI. mens. V. Obiit Prid. Non. Oct. cIɔ Iɔ LXXXVI.* In ædibus Chiggiis nihil insignius haberi putat Bibliotheca, quæ numero & præstantia librorum cusorum paucis concedat, adhæc vero manuscriptis cum Græcis tum Latinis instructa probe sit. Latinorum conditionem ac vetustatem se parum explorasse, haud dissimulat; esse autem eos refert, ut quidam narrent, maximam partem recentes, de gestis Alexandri VII e Chiggiorum familia, & nonnullos ejusdem manu conscriptos. Græcorum aliquot Noster suppeditat, intorque eos codicem in- primis

(margin: p. 225. — p. 227. — p. 237. — p. 238.)

primis membranaceum decimi seculi, in quo Dionysii Halicarnassæi Historiæ, cum figura ejusdem Dionysii ab initio, ex antiquiori forte codice accurate delineata minioque picta. Musæi D. Livii Odeschalchi dum meminit, numismata & gemmas ibi conspicuas generatim fere tantum cum laude indigitat. De Bibliotheca Vaticana strictim differit, alii loco ejus uberiorem delineationem reservaturus. Sub finem considerationis Romæ varios, qui de Urbe hac scripserunt, Autores enumerat, ac rationem conficiendi ejus adumbrationem paulo accuratiorem suppeditat, Anonymi etiam de Mirabilibus Romæ opusculum hactenus ineditum, & seculo XIII concinnatum, ab interitu vindicat, suisque notis aliquibus illustrat.

p. 241.

p. 277.

Cap. XXI. Roma perrexit Noster Neapolin, & salutato Cardinali Cantelmo (cujus insignem humanitatem extollit,) visoque ejus Musæo, in Bibliothecam D. Valletæ intromissus fuit, eamque manuscriptis codicibus haud paucis instructam cognovit. In monte Vesuvio, secunda Novembris die, onustos adhuc uvis palmites conspexit, id quod in æstuoso adeo solo maxiinopere miratus est. Cum in Bibliothecam S. Johannis de Carbonaria Patrum Augustinianorum concessisset, in qua codices Græci habentur ad centenos, totidemque Latini, & ipse hos evolveret, ac Socio quædam exscribenda tradidisset, accurrit custos, & interpellavit scribentem, se, quod talem Mabillonio scribendi copiam fecisset, pulsum olim e monasterio dictitans, ipsosque ulteriori perquisitione prohibuit; horis tamen aliquot interjectis, ad amicorum intercessionem, ad rem redire ipsi permissum fuit, unde titulos præcipuorum allegat. Est inter eos codex Homiliarum in Evangelium, in charta membranacea, purpureo colore, aureis characteribus quadris, cum accentibus spiritibusque, septimo aut octavo seculo exaratus, & codex Dioscoridis vetustissimus.

p. 303.

p. 307.

p. 308.

Cap. XXII. Monasterium Casini montis nominans, præter Bibliothecæ ibidem erectæ elogia, vestiumque Monachalium veterum schemata illic depicta, aliaque, prærogativam recenset Abbatis Casinensis creandi Nobiles, cogendi exercitus, & quæ istius generis plura sunt. De Albano castro & de veteris Albæ situ, monasterioque Cryptæ ferratæ, ejusque Bibliotheca ubi differuit,

p. 321.

Cap. XXIII.

paucis

paucis interjectis, se A. 1700, mense Februario, ut patriam repeteret, Roma rursus profectum Senas venisse narrat, ubi urbis Ec- Cap. XXIV.
clesiam Cathedralem cum ejus ornamentis inspexit, nec antiquam Bibliothecam Senensem præteriit, in qua solos animadvertit su- p. 345.
peresse codices, qui ad cantum pertinent, a Benedictino quodam Congregationis Casinensis exaratos. In nosocomio Senen- p. 349.
si asservari traditum recordatus fuit codicem Jo. Chrysostomi, ipsiusmet manu scriptum, & commentaria in Novum Testamentum complexum. Ast inspicere sibi illum, ejusdemque explorare vetustatem, licitum haud fuisse dolet.

Magis ipsum delectavit Florentiæ, modo Bibliotheca in pa- Cap. XXV.
latio Magni Hetruriæ Ducis, modo inscriptiones in domo Bona- XXVI.
rotæ, modo Monasterium & Bibliotheca Camaldulensium, & Bibliotheca insignis S. Laurentii, modo Gaza Medicæa, modo alia; quin & Florentiam secundo rediit, & inscriptiones ibi varias expendit, quarum non unas hic apponit.

Bononiæ cum cura inspexit librum, pro Esræ αὐτογρά- Cap. XXVII.
φῳ vulgo venditatum, quem Dominicani servant, duplici obseratum clave, quarum altera penes Magistratum, altera penes Monachos est. Constat volumen pelle vituli subacta & tractabili, in qua vero non Esræ liber, ut multorum sermone fertur, sed Pentateuchus habetur, more Bibliorum, quæ etiamnum apud Hebræos in Synagogis asservantur, & pauculas recentiore manu margini allitas notas ostentat. Eum Judæi monasterio Dominicanorum obtulerunt, quo tempore Aymericus Præfectus & Magister Ordinis fuit, initio scilicet seculi decimi quarti. Venetias reversus, beneficio Apostoli Zeni inscriptiones Corcyreas Cap. XXIIX.
nactus est, quarum unam integram, utut prolixiorem, cum ver- p. 412.
sione Latina sistit, & hanc non minus atque reliquas, itidem heic repetitas, in notulis quibusdam subjectis breviter dilucidat.

Atque hoc Diarium prodromi in vicem ab Auctore præmittitur Tomis pluribus & amplioribus, in quibus heic minus reperiunda afferre, strictim modo jam observata uberius declarare, & Florentinas inter alia, Romanasque & Venetas Bibliothecas insigniores latius delineare instituit; cui proposito laudatissimo

perficiendo vires Auctori corporis animique, & justum praeterea otium, lubentes meritoque apprecamur.

DISCIPLINA ORDINIS CARTUSIENSIS, IN tres libros distributa.

Parisiis apud Antonium Dezallier, 1703, in fol.
Constat Alph. 4. plag. 14.

Congestum opus hoc ac evulgatum est ab Illustrissimo *Innocentio Massonio*, Cartusiae Priore & Ordinis Cartusiensis Generali, eo potissimum consilio, ut Ordinis sui ratio ac finis plenius cognosceretur. Libris tribus totum opus expeditum est. Primo agitur de Ordinis origine & primaevo ejus instituto, doceturque, quomodo id servatum fuerit, a tempore editarum a R. P. Guigone Consuetudinum seu Statutorum, usque ad condita Statuta, *quae antiqua* appellantur: altero de Ordinis statu a *tempore, quo vetera* Statuta prodierunt, usque ad evulgationem novae Statutorum collectionis differitur: tertio denique status a tempore novae collectionis ad hunc usque diem traditur. Originem ac ortum Ordinis adscribit Brunoni, Coloniae nato, Remensis Ecclesiae Canonico, & S. Theol. Doctori, qui cum aliis nonnullis, concessu Gratianopolitani Praesulis, eremum Cartusiae A. 1086 fuerit ingressus, isto potissimum, ceu Ordinis sui viri tradiderint, casu permotus. Mortuus nempe Parisiis circa annum 1082 fuerat Doctor quidam, vitae integritate & doctrinae copia clarissimus. Is, cum efferretur, multique prodiissent in funus, caput ex feretro ter separatis temporibus extulit, ac terribili voce, praesentibus Brunone ac aliis huic Ordini postea adscriptis, pronunciavit, se justo Dei judicio accusatum, judicatum ac damnatum esse. Utut vero non diffiteatur Massonius, hanc historiam a multis in dubium vocari; multas tamen sibi causas esse ait, cur credat, non ipsam historiam, sed circumstantias tantum quasdam confictas esse. Sita autem Cartusia est in Episcopi Gratianopolitani ditione, loco peramoeno & figuram oblongi amphitheatri, excelsis rupibus undique cincti, referente. Hunc locum elegisse ait Brunonem, & illic cum Sociis sedem fixisse, atque hoc facto omnium in se convertisse oculos, Pontificis inprimis Urbani II. Is enim, cum jam ante virtutem ejus perspexisset, propterea quod

in cathedra docentem olim audiverat, Romam Brunonem vocavit, ut consiliis ejus uteretur. Ægre adeo id tulerunt Socii Brunonis, ut cum eo fuerint Romam profecti; unde tamen non multo post ad pristinam stationem redierunt. Quamquam vero Bruno reliquis ingrediendæ vitæ hujus auctor fuerit, non tamen ipsum regulas ac vivendi rationes præscripsisse memorat sed has demum conditas a R. P. Guigone, in iisque Brunonis mentem, documenta, & agendi modum scite adeo expressum esse, ac si sua manu Bruno scripserit. His expositis, de ipso instituto Cartusiensi late agit, & quam fructuosum illud putet, copiose exponit. Tum vero & sollicite probat, a pristino instituto neutiquam hodie discedi, sed illud stabile & sibi simile hoc tempore consistere. Inde Statuta ordine exhibentur, notis illustrata, in quibus genuinus eorum sensus explanatur. Tandem appendix apparet, ubi de confirmatione novæ Statutorum collectionis a Sede Romana facta commemoratur, & quid immutatum fuerit, edocetur. Stylo se usum dicit rudi ac simplici, eo quod non Latinæ linguæ elegantias, sed dictionem Scripturæ sacræ, Statutorum, R. P. Guigonis, & libri de Imitatione Christi, consectari studuerit. Quo ipso utique simplicitatem Cartusianam expressit, quæ ab elegantiis his abhorret, & Græcas Ebraicasque literas plane a finibus suis arcet. Audiamus verba Statutorum fol. 240: *Jam vero nonnulli sunt, qui apud semet ipsos non tantum scioli videri volunt, verum etiam affirmant hi, neminem ad veram scientiam & intellectum Scripturæ posse pervenire, nisi in lingua Græca sit eruditus. Igitur quidam obliti sanctæ rusticitatis nostri propositi, ut apud vulgares scioli videantur, tempus pro sacris lectionibus ipsis concessum expendunt quadam animi curiositate in literis Græcis, nonnulli simul & Hebraicis. Quapropter hortamur in Domino omnes nostros subditos, ut sint memores arrepti propositi & Cartusianæ simplicitatis, ut desistant ab hujuscemodi curiositate, tempus infructuose expendendo in hisce literis præscriptis. Sed potius studeant semet ipsos exercere in piis exercitiis vitæ Jesu Christi, qui nos docuit & verbo & exemplo mititatem & humilitatem, ut sic talibus exercitiis valeant pervenire ad secretiora interioris hominis, quod quidem*
vocatio-

vocatio nostra requirit. Alioquin ejusmodi lecturam Græcarum literarum non omittentes, per Visitatores provinciæ arceantur ab iisdem; & si necesse fuerit, non desistentes semel moniti ab eisdem Visitatoribus corrigantur, ut cæteri timorem habeant. Plura inde afferre non libet.

MARTINI HANKII DE SILESIORUM NOMInibus Antiquitates.

Lipsiæ, sumtibus Christ. Bauchii, Bibliopolæ Vratislaviensis, 1702, 4.

Item

EJUSDEM DE SILESIORUM MAJORIBUS Antiquitates.

Lipsiæ apud eundem, 1702, 4.

EX quo Silesiorum & universæ patriæ suæ amor, meritum optime de Re Literaria apud Vratislavienses Senem, *Martinum Hankium*, impulit, ut quarumvis ad Silesiam, natale solum suum, spectantium Antiquitatum non scrutatorem tantum, sed &, quantum per otium modo concatenatos inter labores licuit, scriptorem ageret perquam industrium & candidum: præter *Vratislavienses Eruditionis Propagatores*, Chronologicis tabulis, ab anno Christi M D XXII, ad annum M DCC comprehensos, & haud ita pridem in publicum emissos, duos superiore anno seorsim libros, unum *Antiquitates de Silesiorum Nominibus*, alterum *de Silesiorum Majoribus Antiquitates*, ab orbe condito ad annum Christi DL tradentem, typis passus est publice exscribi; quibus tertium se propediem, si Deus annuerit, *de Rebus Silesiorum* librum additurum esse, Vir Clarissimus est pollicitus.

Quod itaque priorem illum, a nobis heic exhibitum, Hankii librum attinet, collecta in eo diuturno labore, ex universa Antiquitate, quamplurima *de Silesiorum Nominibus* memorabilium genera, sub peculiaris codicis formam redegit. Recenset enim ibi primum generatim nomina Silesiorum, per dissimiles litera-

literarum vel additiones, vel omiſſiones, vel transpoſitiones, ad indolem linguæ, partim Germanicæ, partim Slavicæ nata. Siquidem Sileſii, apud auctores Latinos, mox Quadorum aut Lygiorum, mox Elyſiorum, Lyſiorum, Lyſitarum, alibi Schleſiorum, Schleſitarum, Siuslorum, Sleſaçorum, Sleſiciorum, Suſorum, Syleſiorum, alibi aliis nominibus denotantur. Poſtea ſpeciatim, unde Sileſiorum varium adeo nomen originem ſuam, cum Latinam, tum Germanicam, tum etiam Slavicam, id eſt, aut Polonicam, aut Bohemicam, ſeu conſecutum ſit, ſeu conſequi potuerit, quamque ſuis ea & rationibus & affeclis ſit corroborata, exponit. Tandem oſtendit, quando Sileſiorum nomen fuerit ortum: id quod ſeculo poſt Chriſtum X, Quadis & Lygiis, veris Sileſiorum majoribus, in unam gentem compoſitis, factum fuiſſe exiſtimat, & adverſus *Nicolaum Henelium* ac *Bohuslaum Balbinum* præ cæteris adſtruit. Atque hunc pertractatum ita librum, non extra communis utilitatis ſpem eſſe concinnatum, eo minus Hankius dubitat, quo magis Sileſiorum rebus, citra erroris periculum cognoſcendis, evidentiorem diverſorum nominum e principiis ſuis declarationem inſervire, certum eſt. Cum enim una natio, ipſorum Sileſiorum exemplo manifeſto, pluribus perſæpe, ab Annalium auctoribus, verbis ac nominibus indicari & poſſit & ſoleat: prudentis Hiſtorici officium ſe expleturum eſſe confiſus eſt, ſi, ne in Sileſiorum ſuorum Annalibus, vocabulorum ſeu convenientia, ſeu discrepantia decepti, vel ex una plures producant, vel in unam plures componant gentes, ſedulo curaret. Cæterum ſicut hæ Hankianæ de Sileſiorum nominibus Antiquitates multa complectuntur, de quibus in rerum Sileſiacarum ſcriptoribus clariſſimis, *Joachimo Curæo*, *Nicolao Henelio*, *Jacobo Schikfuſio*, *Friderico Lucæ*, nihil aut parum reperitur: ita Sileſiorum ſuorum cognominibus, quæ ipſos, quanquam revera Germanos, ideo Slavos, eoque jam Polonos, jam Bohemos faciunt, quia Sileſii Slavis, & Polonis & Bohemis, vicini ſocietatem, ſub uno regimine ſupremo, cum Polonis quondam coluerunt, & cum Bohemis adhuc colunt, explicandis ſe alium locum reſervaſſe, Clariſſimus Hankius in præfatione harum Antiquitatum præmonet.

In altero Hankii libro, quem jam eadem opera recenſere vel ideo ſuſcepimus, quod unus alteri lucem debeat & ſuggerat, memorabiles ſatis *de Sileſiorum Majoribus Antiquitates*, ab orbe condito ad annum Chriſti DL, quo Sileſios imperio ſuo Slavi partim annexos, partim etiam ſubjectos reddiderunt, Vir eruditione æque ac ſenio venerabilis conſignavit. Enarrantur videlicet in his de Sileſiorum Majoribus Antiquitatibus, non unius anni, ſed multiplices inter curas enato labore, primæ ab orbe condito ad annum Chriſti DL Sileſiorum origines, ita, ut eos ex Majoribus inter Adamitas *Noachicis*: inter Noachicos *Japheticis*: inter Japheticos *Celtis*: inter Celtas, neque Gallis Gothinis, neque Pannonibus Oſis, ſed *Germanis*: inter Germanos *Suevis*, non Semnonibus, Marſignis, Sidonibus, Cognis, Visburgiis, ſed partim *QUADIS*, partim *LYGIIS*, quorum natio *ELYSII* fuerunt, oriundos eſſe, eruditis disceptationibus & enarrationibus demonſtretur. Nam ſub his nominibus, inter priſcos Aſiæ prius, poſtea Europæ, tandem Germaniæ populos, Sileſiorum gentem in Majoribus ſibi famam quandam promeruiſſe, conſtans eſt Hankii noſtri opinio: utut eam nonnulli moderatiores in dubium vocent, inverecundiores alii negant, alii etiam oppugnant. Ex quibus antagoniſtis contrarium ſibi primum maxime fuiſſe, non diſſimulat Hankius, *Philippum Cluverium*, Virum, ejusdem judicio, clariſſimum, diligentem, ingenioſum, eruditum, at interdum meris conjecturis, a quibus momenta potiora dependent, nimium quantum addictum, *in diſſentientes durum, in aſſerendis audacem*; ceu quoque jam olim par de eodem judicium, in Prolegomenis ad Gothorum, Vandalorum & Longobardorum Hiſtoriam, tulit *Hugo Grotius*. Nam ille quidem in Antiqua Germania priſcam Sileſiæ formam, cujus pars inferior Lygiam, ſuperior Quadiam comprehendebat, mirabilem in modum, ſententia Hankii, corrupit: dum nullo ſatis idoneo nec teſtimonio, nec argumento adductus, Marcomannos ex Moravia profligavit: Quados in Moraviam, Lygios in Poloniam; in Sileſiam, & quidem ſuperiorem, Quadorum patriam, Gothinos, Oſos, Marſignos; inferiorem autem, Lygiorum ſedem, Marſignos, Buros, Semnones tranſtulit: hocque modo juſtam Moravorum Sileſio-

rum

rumque Chorographiam subvertit. Sicut proinde Cluverium, circa populos ad Rhenum male collocatos, in Disceptationibus suis Chorographicis quondam *Joannes Isacius Pontanus* animadversione dignum censuit: ita Hankius illum circa populos ad Vistulam & Viadrum perperam dispositos, non tantum in his Antiquitatibus suis accusare, verum etiam erroris convincere, eo magis officii & amoris sui erga patriam esse existimavit, quo facilius ex aliis viris doctissimis, etiam *Melchiorem Goldastum* in sententiam suam erroneam pertraxit. Deinde sunt quoque rerum, maxime Polonicarum & Bohemicarum Auctores, qui vel nullo, vel lubrico satis fundamento innixi, asserere non verentur, sub Slavorum in Germaniam ingressum, circiter annum Christi DL, intra Silesiam nullos Quados & Lygios nullos extitisse. Quo pacto cum vulgarium istis narrationum seu auctoribus, seu asseclis foret credendum, Silesiam ab omnibus prorsus habitatoribus nudam, sub annum Christi DL, advenientibus Slavis Lechitis, id est, Polonis, seu primis, seu novis suis cultoribus, patuisse: adeoque Silesiis hodiernis contigisse majores primum meros Slavos, postea associatos Slavis Germanos advenas, ex eaque demum associatione Silesios seculo XII, anno vel 1109, vel 1158, Polonis *Slezacos*, id est, Confluentes, & seculo XIV, post annum 1330, Bohemis *Slesitas*, id est, Irrepentes vocatos, mixtam, obscuram, incertam originem esse consecutos. At cum vulgaribus his narrationibus, Slavorum fama ultra fidem & veritatem æque extendatur, ac Germanorum, & maxime Silesiorum, nomen proscribatur; quoniam omnino Silesii Quadorum & Lygiorum, quorum pars quoque Elysii fuerunt, gens sunt ac tribulis: Clarissimus jam dudum in orbe literario, per suam *de Romanarum rerum Scriptoribus* Historiam, Hankius antiquas Silesiorum Historias ab inventis additamentisque vanis, partim in memoratis antea de Silesiorum nominibus Antiquitatibus, partim in earum, quas jam adhuc recensemus, de Silesiorum Majoribus Antiquitatum codice, partim vero in edendo propediem *de Silesiorum Rebus* libro, vindicare cordate est aggressus. Atque hujus grandævi inter Eruditos Senis fides eo major omnino, in tradendis Silesiorum antiquitatibus, est habenda, quo certiora is in Antiquitatibus suis testimonia & documen-

cumenta adferre est annisus, & quo minus quoque suspecti sunt scriptores, antiqui æque ac recentiores, ex quibus Hankius Antiquitates suas contexuit.

NOUVELLE HISTOIRE DU CHEVALIER BAYARD, Lieutenant General pour le Roy au Gouvernement du Dauphiné, &c. par le Prieur de LONVAL.

Id est:

NOVA HISTORIA EQUITIS BAJARDI, PRÆfecti Generalis Delphinatus, & plurium rerum memoratu dignarum, quæ in Gallia, Italia, Hispania & Belgio, regnantibus CAROLO VIII, LUDOVICO XII & FRANCISCO I, ab A. 1489, usque ad A. 1524, gesta sunt. Auctore Priore de LONVAL.

Parisiis apud Carolum Robustel, 1701. 8.

Constat pl. 16.

TOt sunt tamque præclara Bajardi gesta, ut digna reputaverit Autor anonymus, fidus ejus minister, *(son loyal Serviteur)* quæ tertio statim post ejus excessum anno, æræ Christianæ millesimo quingentesimo vigesimo septimo, typis consignata vulgaret. Aliam paucis post annis Bajardi Historiam edidit Symphorianus Champier, Antonii Ducis Lotharingiæ Archiater. Rursus quoque illum Anonymi libellum A. 1619 prelo subjecit Theodorus Godofredus, quem notis suis illustrarunt Expilly & Boissieu. Quanquam vero ipsa rerum varietate commendabilis esset hic libellus, neque parum conferret ad cognoscenda ea tempora, quibus vixit Bajardus, attamen stylus minus Autori nostro visus est ad ætatem nostram accommodatus. Proinde nova prorsus oratione vestitum edidit Lonvallius, hac insuper licentia usus, ut, quæ parum ad rem faciebant, consulto detraxerit, alia ex Historicis passim addiderit, a fabulis vero fingendis diligenter sibi temperaverit. Has enim largius immistas esse novæ cuidam Historiæ Bajardi, haud ita pridem Lugduni auctore Aymaro publici juris factæ, non parum indignatur Noster, idque in causa esse asserit, cur suam ipse Historiam, quam prelo, cum illam prodiisse demum constaret, subjecerat, eruditis invidere nihilominus noluerit. Sed hæc partim

tim sub finem operis, partim in præfatione monentur, quæ multa præterea continet, ad laudem Bajardi spectantia, e quibus hoc unum memoramus, quod Bajardus plurium annorum militia id consecutus fuerit, ut Eques egregius extra metum & opprobrium positus (*le bon Chevalier sans peur & sans reproches*) vulgo audiret. Cum vero pluribus & obsidionibus & præliis atque velitationibus interfuerit Bajardus, non possumus, quin per transcursum pauca ex Historia ejus delibemus. Tametsi jam tum sub Carolo VIII castra secutus fuerit Bajardus, clariora tamen sunt, quæ sub Ludovico XII gessit, primumque ejus fervor patuit A. 1500, cum in velitari pugna victor fugitivis Mediolanum contendentibus ardentius insisteret, & incautus in mediam urbem proveheretur. Unde captus quidem, & ad Ludovicum Sfortiam adductus, at singulari ejus benignitate gratis dimissus est. Paulo post idem Sfortia in manus Gallorum incidit, perfidia quidem Helvetiorum pugnam detrectantium. Secutum A. 1501 bellum Neapolitanum, ab Hispanis pariter Gallisque excitatum, quorum illi auxilii ferendi specie accessisse, eoque faciliori negotio, quam sibi partem pacti erant, occupasse traduntur; ex quo factum, ut Fridericus Rex Neapolitanus, Hispanorum detestatus perfidiam, sponte se Gallis dederet, a quibus annuum stipendium, etiam cum ejecti postea Neapolitano Regno essent ab Hispanis, constanter obtinuit. Prætermittimus Gallorum adversus Genuenses expeditionem, & alia, in quibus multa de Bajardo fit mentio. Celebre imprimis Gallorum aliorumque adversus Venetos bellum, quos vel ideo Ludovicus XII habebat odio, quod cum auxiliis suis satis instructi eoque pares essent Cæsari Maximiliano, nihilominus inducias in annum, se inscio, nec incluso Duce Geldriæ Gallorum amico, mercati a Cæsare fuerant. Quantos deinde progressus Galli fecerint, utque sero Cæsar, at cum ingenti apparatu accesserit, & quanti Bajardum, sibi subsidio a Gallis missum, fecerit, recenset Noster. Felicem autem Cæsar prædicabat eum Regem, qui ejus uteretur ministerio, addebatque se lubentem centum mille florenos annuos expensurum, si duodecim Bajardos posset nancisci. Quæ dein inter Pontificem Julium II & Ferrariæ Ducem Gallis fœderatum gesta sint, vel ideo non omittuntur, quod Bajardus Duci esset auxilio missus, qui intercipiendi Pontificis non imprudens consi-

p. 50.
p. 53.
p. 54.
p. 106.
p. 123.

lium ceperat, ast infructuosum. Sed ad cognoscendam Julii II
p. 162. indolem, ea imprimis faciunt, quæ de Mirandulana obsidione referuntur, in qua præsens ipse militum studia excitavit, exuta prorsus Episcopi persona; & postremo civibus ad deditionem compulsis ægre veniam dedit, per diruta mœnia tanquam triumphator
p. 165. invectus. In ea obsidione Pontifex, ut Ferrariam non tam impugnaret, quam arctius occluderet, castellum quoddam (*la Bastide*) unde commeatus suppeditari poterat, cum aliquot millibus obsidet, quos nihil metuentes subito Bajardus invadit, & longe plu-
p. 169. rimis cæsis, castellum liberat, adeo indignante Julio, ut vindicaturum se eam injuriam, juratus affirmaverit. Ut itaque Gallos omnes opprimeret, Ducis amicitiam, propositis clam conditioni-
p. 174. bus, ambibat; verum idem, quem internuncium miserat, parum Pontifici fidus, de ejus vita cum Duce *pacifcebatur: neque* evasisset forsan eas insidias Pontifex, nisi Bajardus Ducem a perdito
p. 179. consilio abstraxisset. Inde prælio haud procul Bononia facto interfuit Bajardus, quo cæsi & fugati Pontificii, capta quoque Bononia, & a Cæsare & Rege Galliæ nonnullisque Cardinalibus indictum Concilium Pisanum. Ex eo tempore Pontifex, deluso paulisper Rege Galliæ, novum adversus Gallos fœdus init, quod Ligam sanctam vocat, & publicis præterea precibus eos impugnat:
p. 196. unde vicissim ad arma redeuntes A. 1512 Brixiam urbem vi occupant, & ingentem in urbe prædam faciunt, qua ditati milites Galli, passim
p. 205. a signis discessere ad vitam beatiorem. Bajardus vero, accepto in ea oppugnatione vulnere, civis cujusdam *lautiori* hospitio aliquamdiu usus, adeo se hospiti gratum præbuit, ut & ejus familiam ab aliorum militum licentia tueretur, & dona sponte oblata gene-
p. 230. roso animo recusaret. Ventum postea ad pugnam prope Ravennam, e qua Galli & Germani superiores discessere, tametsi tanta cum pertinacia pugnasse Hispani dicantur, ut cum brachiis
p. 235. non possent, dentibus hostes incesserent. Auctis nihilominus Pontificis copiis, haud ita multo post Gallis universa migrandum erat Italia, quandoquidem, ob intempestivam Thesaurarii Gallici parsimoniam, Itali omnes, qui erant in exercitu Gallorum, a si-
p. 250. gnis dimissi fuerant, eoque ad Pontificis castra transiverant. Interjectis nonnullis, quæ ad Bajardum spectant, de fœdere agit Au-

ctor,

ctor, quod Cæsarem inter & Henricum VIII, Angliæ Regem, coaluit, ridetque Cæsarem, quod instar gregarii militis stipendia Henrici merere non erubuerit; fatetur tamen Cæsarem, sui magis commodi studiosum, Henrico belli inexperto obsidendæ Terovanæ auctorem fuisse. Urbs erat rebus omnibus, præter commeatum, instructissima; quem ut suppeditarent Galli, equitatum eo cum commeatu miserunt, quem ex composito, in loco haud multum ab urbe remoto deponerent, datis insuper mandatis, ne cum hostibus prælio congredi auderent. Quod cum rescivissent hostes, eoque ex omni latere ingruerent, factum Noster ait, ut Galli acceptorum mandatorum memores, mox in apertam fugam se dederint, nomenque ei pugnæ a calcaribus fuerit inditum. Captus tum quoque Bajardus, & ad Cæsarem, Regemque Angliæ adductus fuit, cum quibus quæ fuerit collocutus, malumus ex ipso libro cognosci. Ut postea Helvetii a Divionensi obsidione fuerint fraude Trimollii avocati, pluribus refertur. Cumque in annum 1513 mors Reginæ Annæ Britannicæ inciderit, ejus omne ingenium depingit Lonvallius. Publica inprimis negotia paulo, quam fœminam deceret, curabat nimis, quod æquo tamen animo tulit Ludovicus XII, hanc frequenter vocem usurpans: multa in uxore ferenda sunt, si & mariti, & honoris sui amans sit. At cum Pontifici prorsus obnoxia, Concilium Pisanum iterum iterumque coram Rege detestaretur, tandem Rex, anne, inquit, supra tot Universitates sapis, quæ Concilium hoc probant, neque tibi dictum unquam fuit a tuis Confessionariis, fœminam silere debere in Ecclesia? Ipso deinde Rege Calendis Januarii A. 1514 defuncto, ejus quoque characterem & jucundum inprimis ingenium describit, eumque primum e Regibus Gallorum Justi cognomen meruisse, Noster refert, & sæpius præterea in ore habuisse hanc vocem: *boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* Non minori Bajardus apud Franciscum Regem gratia floruit, idque imprimis singulari ejus honori cessit, quod A. 1515, post victoriam ad Marignanum feliciter deportatam, non alia, quam Bajardi manu, Franciscus ipse Eques inaugurari voluerit. Quæ deinde bella inter Carolum V Cæsarem, & Franciscum, in Belgio atque Italia gesta sint, aliunde quoque constat.

p. 253.
p. 257.
p. 263.
p. 267.
p. 268.
p. 291.

Istud

p. 333. Istud ultimo notamus, Bajardum A. 1524 in Italia, prope Romanianum, in pugna lethali vulnere affectum, cum a Carolo Borbonio, Regii in Gallia sanguinis Principe, sed tum Cæsareorum partibus addicto, in ipso campo solatii causa inviseretur, eidem perfidiam erga Regem suum exprobrasse graviter, pauloque post, non minori victoris exercitus, quam Gallorum ipsorum cum luctu, expirasse.

p. 336.

MONUMENTA PIETATIS ET LITERARIA VIrorum in re publica & literaria illustrium selecta, quorum pars prior exhibet Collectanea Palatina, posterior Eruditorum superioribus duobus seculis celebrium Epistolas nondum editas comprehendit.

Francofurti ad Mœnum, apud Maximilianum a Sande, 1701, 4.
Constat Alph. 4. pl. 12.

QUanquam sero nobis visa, non tamen silenda prorsus sunt hæc Monumenta, quæ optimo consilio collecta quisquis edidit, rem fecit Historiæ Literariæ cupidis utilem perquam & jucundam. Primo loco exhibetur Catalogus codicum Græcorum MSS. qui quondam in Bibliotheca Palatina asservabantur, a Friderico Sylburgio collectus, & Georgii Michaelis Lingelshemii manu descriptus (cujus exemplo usus est horum Monumentorum Editor) adjectis passim ad marginem notis, e quibus, num qui ex his manuscriptis codicibus editi hodie prostent, intelligitur. Qua occasione de eadem Bibliotheca pauca quædam in Præfatione, nec ubivis obvia traduntur, tum mentio fit inprimis Indicis librorum e Fuggeriana Bibliotheca in Palatinam translatorum, unde de Latinis quoque codicibus, quorum catalogus non exstet, aliquid innotescere possit. Sequitur Henrici Altingii Historia Ecclesiæ Palatinæ, quam tanti fecit Illustris Seckendorffius, ut magnam ejus partem Historiæ Lutheranismi insereurit. Subjiciuntur mox Antiquitates Palatinæ, a Joachimo Camerario, Ludovici filio, ex schedis disjectis Joannis Agricolæ, qui Ruperto Imperatori a manu fuit in concilio rationum, descriptæ; tum Chronicon Lutrense; Friderici III Palatini epistolæ nonnullæ, pietatis ejus testes certissimi; ejusdemque & Henrici III Poloniarum, post Galliarum Regis, Colloquium ab ipso Friderico

eo consignatum & lectu inprimis dignum; Acta item ad Joannem Sylvanum & Adamum Neuserum apostatas spectantia, & pauca alia. Parte altera variarum epistolarum farrago continetur, quibus immiscetur Pauli Strasburgii, Regis Sueciæ ad Amurathem IV legati, relatio de Byzantino itinere & negotiis in Ottomanica aula peractis, nec non de statu ac facie Orientalis Imperii, qualis erat circa A. 1633, additis Joannis Daykæ Keservini, Principis Transylvaniæ Concionatoris aulici, de Bethleniorum familia ad Davidem Pareum, & Cyrilli Patriarchæ Constantinopolitani ad Gustavum Adolphum Sueciæ Regem epistolis. Cæterum exhibentur hic nonnullæ Rubiani, Hutteni, Ursini, Hessi, Viti Theodori, Joachimi Camerarii, Hochfelderi, Lingelshemii, Hippolyti de Collibus, Prætorii, Grynæi, Giphanii, Salmasii, Scioppii, Philippi Parei, Gruteri, aliorumque, tum & inprimis plurimæ Rusdorffii ad Ludovicum Camerarium epistolæ, quæ non possunt non ad cognoscendam historiam reformationis remque literariam ornandam multum conferre. Insertus est quoque Rudigeri Parallelismus Annæ Burgii & Christophori Herdesiani, & Catalogus operum Scioppii, & adjectus in fine Anonymi tractatus Gallicus: *Discours considerable de l' Estat de la Religion en Engleterre & de la Reconciliation avec Rome*; quæ cuncta merentur commendationem, nisi quod dolendum est, sphalmata non pauca irrepsisse, e quibus potiora tamen Editor in fine correxit.

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

II. Libri Juridici.

III. Libri Medici & Physici.

Keil

IV. Libri Mathematici.

V. Libri Historici, Geographici &c.

Pufen-

VI. Philosophici & Philologici Miscellanei.

Juven-

INDEX RERUM
NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

Albar-

An-

Auri

Car-

A Cor-

qua-

Ista-

 siam

par-

Phi-

Sapo-

Te-

Voces

ERRATA.

Pag. 130. lin. 21. pro *Gen. III. 17.* lege Gen. II. 17. P. 176. l. 32. post *imprimi curaret*, insere *commisit.* P. 433. l. 30. lege *curationis*. P. 447. l. 7. pro *literis* lege *literatis*. P. 480. l. 17. pro *4000.* lege *40000.* P. 481. l. 25. pro *solvebantur* lege *solvantur*. P. 508. pro *motus* lege *momenta*.

